


Wyrestaurował i na nowo oprawił introligator Jan Wyżga w r. 1936. Ze starej oprawy, która już raz była restaurowana (przy końcu XIX-go w.), zachowano skórę pokrywającą okładki. Z końca rękopisu odjęto (zdefektowaną) składkę czystego papieru (11 kart).

K. 1-31 tego czystopisu odpowiadają K. 1-28 redakcji pierwotnej zachowanej w Rkp. B. J 6032.

I

Historiarum
Collegii Posnaniensis Soc: IESU
Tomus II

Historia
Collegij Posnaniensis Soc: Jesu
Annus D̃ni 1669

A: RP Joannes Paulus Oliva Gnãlis
RP Alexander Lorensowicz Provinciali
RP Baltasar Wielewieyski Rector.

Annus hic, longè ante alios Collegio Salubrior, fatalem Nrorum in singulos annos morientium seriem interrupit. Jam à decennio ferè consvetudinem quandam mors contraxerat quotannis complures è nobis fato destinare, et censum feralem, potiùs decimam lugubrem, exigen: Nec minorum gentium contenta tributo; sed magna capita in vectigal poposcit. Adeò ut magnorum SOC: hominum, magni sepulcri nomen, Collegio imposuerit. à RP Gaspare Druzbicki bis Provinciæ Præposito, Tum Collegij Rectore, viro Toti quidem Poloniæ sed majori imprimis, à vitæ Sanctimonia Celebratissimo, Clades cœpit. Vix annus abierat cũ R.P. Stanislaus Jerzykowicz Primus è Polonis, Poloniæ visitator, Provincialis deinde, Tandem huius Collegij Rector, fere ad initia sui muneris finem vitæ accepit. subsecutus R.P. Stanislaus Sczytnicki non ita longe post Fundatores Collegij sed ante Benefactores recensendus, olim et ipse Provinciæ Gubernator. Tum deinde R P Martinus Olszewski et Theologiæ Doctoris laurea et Totius Provinciæ felici regimine illustris. R P Sigismundus Zaranek, eadem Sapientiæ decora, et complurium Collegiorum quibus et officio et Virtute præerat laudes promeritus. R P Martinus Hincza Provincialis secundò. P Joannes Gawęcki Modestia et Sanctitate Illustris. P Paulus Nodzelewski Sapientiæ et Virtutis Vir. Hi non tam Vitæ quam Provinciæ erepti, et Tumulum et Templum nostrum Suarum exuviarum lypsanis consecrarunt. Hos omnes in singulos ferè annorum recursus, ceu in annuum sibi vectigal mors distribuerat. Annus ergo præsens hunc moriendi morem placato tandem tot victimis Numine, primus sustulit. Ita tamen Paternos affectus suos erga nos Parens misericordiarum moderatus est ut lætioribus acerbiora miscuerit. Incendium enim officinæ cervisiariam in uno, in altero prædiorum ædes nonnullas absumpsit.

Illustriores [illegible] aetatis Personæ in Collegio [illegible] extinctæ.

Incendi[illegible]

Congregatio Calissij celebrata, quæ Procuratorem Romam, R P Stanislaum Waponski creavit, nullum è nostro Collegio habuit præter R P Rectorem.

Solennes B S. Kostka feriæ post reliqua Celebritatis decora, etiam bellicarum machinarum ignibus illustratæ, inter quos tamen ejusdem Beati illuxit magis beneficium an prodigium. Tormentorum maximum violento erumpentis incendij nisu (per imprudentiam enim, majore justo pulveris nitrarij copia oneratum erat) ruptum et in fragmina lacerum in circumfusos seipsum eiaculatum fuerat, omnibus illæsis, horum capita, latera horum prætervolantium fragminum impetus non attigit modò sed ne quidem terruit, Quin librator ipse ante cuius pedes, et Machina, et Machinæ vehiculum, cum omnibus rotis elisum est. Nequidem advertit periculum (nox enim erat) nisi postquam violentia illa extinctum lumen iterum accendisset, cumque ubi ad locum Machinæ, ipsa enim Machina iam pridem se in varia sparserat, tubum de more purgaturus venisset, non Machinam sed Machinæ et Vehiculi reliquias mirabundus attonitusque reperit. Hæc Beati tanta gratia, ne parem apud Cives et admirationem et gratitudinem referret dolor amissæ Machinæ fecit usitato mortalium vitio, etiamsi plura referant si tamen minora amisere inter beneficia minime numerantium.

B. Stanislai honores, ac erga honorantes favor.

Universæ Theologiæ propugnavit Theses P Paulus Kostanecki Theologi Tertij anni Sacerdotes creati ipso Sanctissimæ Trinitatis solenni die primam Hostiam eidem litaverunt. P Petrus Dunin Rhetorices Professor quatuor vota professus est 2 Febr. Jam P Paulus Henski Residentiæ Valcensis Concionator Germanicus ad Collegium evocatus, et in gradum Coadjutoris Spiritualis promotus 15 Aug.

Sub tempus Coronationis Michaëlis drama à Rhetoribus exhibitum in futuræ felicitatis omen Principi Invictissimo. Argumentum scenæ dedit, Saladini succrescens Luna, cui ille in bella processurus adjice voverat: Plenior redibit. Hæc ergo Lunæ Wisniovicianæ supposita plenum Lunæ orbem non Saladino sed nostro Serenissimo effecerat auspicium accepturi olim ad Potentissimi Poloniarum è Polonis Monarchæ sceptra, Turcici Orientis.

Ad officinæ Lateritiam pro grande tectum siccandis lateribus per quam commodum extructum est.

[...]entiariæ nubi[...] [...]um

Annus Domini 1670

A R P Joannes Paulus Oliva Gnalis

R P Alexander Lorencowic Provincialis

R P Balthasar Wielenzyski Rector

Primum Collegij Posnaniensis seculum hic Annus conclusit, et primam temporum Hecatombem Regi Seculorum ad aras Fundatori et Mæcenatibus producta in Scenam Justiniani, inextruenda Divinæ Sapientiæ Basilica pietate consecravit. Spectavit è vero Secularem Actum gratæ Nostræ Mentis et in Fundatorem et in reliquos Benefactorum indicem, et Capituli et Palatinatus Posnaniensis præsentia et Celebritatis magnificentiam universa ferè Major Polonia auxit, et inter sua judicia ad quæ tum Posnaniam confluxerat, optimè de Societatis et gratitudine et fama decrevit. Successit deinde annorum Sacrificio prima Hostia, quæ iam olim quidem B. S. Kostka per Angelorum manus, sed nunc à nobis de Beato (sic annuente Clementissimo Clemente X) supremo Numini oblata est. Quam ne angusta solius Collegij pietas impari apparatu inumbraret, addicta Urbis imò et Totius Capituli propensio illustravit. E Cathedrali Basilica, triumphali pompa in Urbem primum, postea in Templum nostrum, Beati Imago procedebat. Prælata longo ordini Chotimensis victoriæ Trophæa, et præfixa hastis Turcarum capita, primum post Deum Deique Matrem Beatum Juvenem illius barbariei Triumphatorem testatura aderat propè et globus Poloniarum orbem repræsentans et sese Beatissimo Tutelari substernens. Pone subsecuta Germanici Equitatus Phalanx, Polona deinde Hastatorum Legio, triumphali curru B. Stanislaum Augustissimæ Poloniarum Reginæ pro victoria supplicem, ducebat. Tum Clerus universus, cui nos succedentes medio ordine effigiem Beati intercepimus; inde purpuratus Totius Capituli ordo Pompæ seriem claudebat, et ipse duobus cultu Præsulum conspicuis conclusus. Urbi illata Processio festivo Tormentorum plausu excepta est. In foro Dramate, futuræ postridie solennitati prælusum est. Deinde subeunte Arcum Beati effigie, qui ejusdem triumphos ad Majestatem erigebat, Vesperarum Sacra cani cœpta. Ipsa dies devotionis Ma-

iestate

Primi Seculi Collegii Celebritas

Sacrum de Beato Stanislao K. a Sede Aplica indultum

iestate privilegio maiori Pontificio apparatu Missas et Vesperarum sollennia peregit, audita in utriq. Sacra Beati Panegyris. Spectabat certo ad Secularis anni Nostri decora, prima haec, Honori Beati Stanislai concessa Hostia; integro ferè Seculo Totius Poloniae voto ambita quae dum primo Collegij centum annorum annulo ceu gemma inseritur. Nostri quà domi, quà foris animorum lucris insudaverunt feliciter, alios enim Sceleribus, alios damnatis ab Ecclesia erroribus, exement.

Magni Sanguinis sed imparis Sanctimoniae Abbas, ad aulam magis quam ad Religionem eruditus, totus Seculum spirans, unius Nostri opera...

Erat et alter, quem non aequè virtutes atq. Ecclesiastici honores exornaverant, is, ne agonem ultimum sine Sacri Olei inunctione aggrederetur, frustra Collegis annitentibus, cuiusdam Nostrum felici dexteritate et ad extremam unctionem et quod maximum ad seriam poenitentiam inductus, circumsistenti Canonicorum Collegio lacrymas elicuit, porrecta gemitui voce, gravissime, gravissime, gravissime, DEUM offendi.

Ne tamen sine illustri Superum favore hic annus effluxerit Beati Stanislai ope implorata, quidam e Nostris Scholasticis fere conclamatus à Medicis, Sanitati restitutus est.

P. Gasparis Sacrae Mem. invocati in morbo auxilia.

A. R. Dnus Laurentius Brocki, Collegiatae ad S. Magdalenae Decanus, duplici quartana febri ad extrema redactus, ubi Sacrae recordationis R.P. Gasparis Druzbicki reliquias pectori applicuit, subito Sanitatem recepit. Quod beneficium simulq. prodigium testaturus argenteum anathema aureo nomine JESU insignitum obtulit.

Judaei et Tartari Baptizati

Praecipuè vero anno hoc complurium, è Judaica procaci perfidia conversione fortunatus extitit; Seni omnino Salutaribus undis tincti non sine solenni, quam ipsis Collegij juventus constituit pompa. His annumerandus est è Tartarica barbarie unus qui exsecratis Mahometi fabulis Christianam veritatem amplexus Sacro in fonte renatus est.

Nos Casimiri Jagodzinski

Obijt Casimirus Jagodzinski temporalis Adjutor Vestiarius 21 Junij. Hic brevè quidem, optimè tamen ad exercendam Caritatem Religiosae in Societate vitae impendit. Egregie aeternitati praeparatus ultimam necessitatem generose tulit. Gratias ei referendo singulares qui nos vocavit in Societatem Filij sui, quod moriendo sibi in ea, nutu paterno, et omnibus concesso favore decreverat. Publica omnib. deprecatione submisit, veniam ab eo à quo et Gloriam recepturus.

Braxatorium erectum

Hoc anno officina cervisiae efficiendae stetit in area Collegij eidem antea Cereale Vinum Pistorum ministraret sed non sine ingenti Collegij totius incommodo. Vix unquam commode usibus nostris apparata Cerevisia, aut certe devehentium perfido obsequio corrupta. Nunc tandem ubi officina erecta est iam et illa melior haberi coepta.

Annus Domini 1671

A R.P. Joannes Paulus Oliva Gnalis
R.P. Hyacinthus Koczowski Provincialis
R.P. Stanislaus Branicki Rector

Eleemosyna Ill. Podleski

Hunc Gubernatorem novum et Parentem obvij non modo subditorum affectus sed etiam Superum favores excepere. Viz enim ille clavum Collegij tenuerat, cum Perillustris M. G. Dnus Valerianus Podleski decem millia florenorum Collegio legat, cuiq. vota Perillustris coniux intra exiguum unius aut alterius mensis spatium de integro solvit.

Nobilis non tam genere quam virtute Virgo Anna Labecka subito quidem sed non improviso fato erepta nos suae supellectilis domesticae rerumq. omnium Heredes fecit. Haec aetatem octogenariam non tam temporum spatio quam virtutibus exegit, illibatamq. animam suam quam per directrices Nostrorum manus DEO sacraverat tandem in oratione eidem reddidit. Cum per unum et alterum diem cubiculo non processerat, movit suspicionem aut morbi aut alicuius humani eventus, succutiunt levi primum pulsu ianuam, tandem vi recludunt. Illa in situm orantis composita inter mensam lectulumq. invenitur exanimis. Sic illa de genu moliri maluit ut etiam ipso mortis casu latriae honoribus DEUM adoraret, et ultra ipsam vitam si non Ordinem, certe orantis habitum prorogaret.

Eodem novi et secul. et regiminis anno, novam et Collegij Templum sumpsit dignitatem. Rude antehac et informis moles, non Sacra aedes fuit nudi calce parietes, et tetro nonnisi squallore obsiti, mersa tenebris speciem deformaverant, nunc tandem primum dignum domo DEI decorem induti templa faciem acceperunt. Cuius augustior iam et laetior aditus [illegible] assiduam confluentis populi celebrat frequentiam. Noxas in singulos festos dies eluentium, numerus fere ultra numerum. Multi General...

exomologesi vitam integram, plures continuata diu sacrilegia correxerunt.

Canonisatio S. Francisci Borgiæ.

Recens relati in Sanctorum Catalogum S. Franc. Borgiæ solennes ferias apparatu solenni toto triduo exegimus. Sed et ille ipse honores suos illustravit insigni beneficio in aliquos collocato.

Resipuit Peccator ope S. Borgiæ Sacer.

Fuit unus qui Pœnitentiæ Tribunal adeo horruerat ipsos 14 annos ut neque gehennæ metu insanum timorem superaret, à Nostris monitus toties invitatus et illectus toties invictam semper eorum conatibus opposuit proterviam. At nobis ille quidem usque adeo pervicax immortalium S. Franc. Borgiæ zelo non potuit non cessisse; vix sacra illius illuxit dies cum et ille divinore radio intus illustratus plenamque aleæ et periculi pertinaciam agnoscit, sacrum Tribunal adit, scelera eluit, divinæ mensæ accumbit.

Puerpera feliciter enixa infantem, ope S. Borgiæ.

Ne vero augusta S. Francisci et contracta ad unum munificentia videretur, extendit ille beneficium, et ad periclitantem in partu fœminam, hæc non modo periculo sed etiam fato proxima, quinquies ingeminato S. Francisce Borgia ora pro me, editoque testandæ gratæ mentis, si periculo defungeretur, voto, redditur voti compos.

Missiones per circumjacentia oppida consuetos, id est magnos retulerunt fructus; multi scelera, errores in fide aliqui ejurarunt.

RP. Branicki, Rector Collegii.

Rndus P. Balthasar Wielewieyski successorem in moderando Collegio diu expectavit ac tandem habuit Rdo P. Stanislaum Branicki Româ reducem hic ipsa Cœnæ Dni luce in Collegium venit Sabbatho Sancto ejusdem Collegij regimen inchoavit P. vero Balthasar Wielewieyski Torunium Præfectus in Spiritualibus discessit.

Templum restaurat et exornat.

Novus Collegij moderator à Domo DEI ordinem cœpit Templum quod antea impolita moles erat, per æstatem illinis calce parietibus, arisque in meliorem seriem distributis mirifice exornavit. Sacrarium quod notabilem templi partem ante occuparat demolitus novum longè commodius ad latus templi extraneum eduxit.

Piscinas et Stagnum in villa Piotrow, posuit.

In Prædio, Piotrow dicto, Collegij, piscinas restauravit. Stagnum vero non renovavit sed de novo posuit in usus Collegij præcipuos posuit

Theodorus Korzeniewski Dimissus.

Missionem à Societate obtinuit Theodorus Korzeniewski jam secundum Theologiæ annum orsurus, præter omnium non spem modo sed et cogitationem alia longè bono omini destinantium.

Annus Domini 1672

A.R.P. Joannes Paulus Oliva Gnalis

RP. Hyacinthus Koczowski Provincialis

RP. Stanislaus Branicki Rector

Mors P. Danielis Nancki.

Triumphanti Societati Annus hic annumeravit P. Danielem Nancki 6 die Martij. Hunc ad magnarum virtutum fastigium extulit Coadjutoris Formati gradus. Zelus quem tum annis 20 Concionator Germanicus tum Operarius exercuit, non tenui animarum lucro contentus; sed magnum, cœlo, Ecclesiæ, meliori vitæ, ultimo in Agone colluctantes animando, damnatisque Hæreticorum erroribus plurimos eximendo, indefessum laborem sacri Tribunalis exercere sustinendo, magnum inquam censum quotannis transmisit. Et literas ille annuas et librum vitæ restitutis tot perditorum nominibus implevit. Singularis Modestia et permista gravitati affabilitas imperturbata omnium Affectuum quies animi vultusque Serenitas omnium illexerat corda. Quamdiu illi Confessarij domestici munus, tamdiu longe plurimum quam cæteris Pœnitentium frequentia erat.

Apostoli Nomine decoratus.

Jam extra domum tanta illi opinio, ut post obitam mortem à dolentibus tanti hominis casum titulos Apostoli retulerit. Posnaniam quoties populata lues, toties in victimam charitatis, mortisque prædam se devovit, inter densa cadavera ipse generose animatus ad morientium auxilia, ægrorum solatia processit. Submissa sibi ab amicorum liberalitate alimenta, cum ijs qui ægre peste ac inopia laborarunt divisit, docuitque Posnaniam quam amplum amore pectus Societas in proximorum commoda gerat. Sub tempus Sveticæ Tyrannidis ad Collegij custodiam et solatia auxiliaque Catholicorum relictus, per immanitatem ab Hæreticis habitus saltumque per suppositos enses agere jussus, flagrisque innudos pedes admotis ut celerius saltum promoveret. ignominiisque vexatus fusti in capite saucius, tetro carceri diu immersus non solum patientiæ laudem, sed et intimum compatientium Catholicorum affectus tulit. E Polonis Concionatoribus cum nemo esset et plebs residua, nisi suum in Templo Oratorem audisset, ituram se ad Hæreticorum Conciones jactaret impatientius, tantum et scandalum et fidei

periculum ut amoveret ter verba facere diebus festis coactus, Germanice in Sacello, polonice in Templo, mane et a prandijs. In Sicilianis Collegio hominum affectibus felicissimus, multis testandæ munificentiæ campum obtulit. Omnia enim fere altaria per ipsum ab occulta Benefactorum liberalitate impensas colligentem, steterunt. cultissimum illi ultimo etiam in morbo cubiculum. Sancte vixit, sanctissime à Vita discessit, interiore febricula sensim extinctus. Elatum funus postridie inter publicos omnium dolores. Hæreticis Parentibus Gedani natus decimo est 3tio anno ætatis suæ, Ecclesiæ restitutus. Vitæ sexaginta quatuor Religionis Quadraginta quatuor explevit iam Beatorum Societatem impleturus

Podolia et Ukraina à Turcis occupata.

Annum hunc quem publica Regni calamitas, avulsis Reip: Corpori Podoliæ et Ukrainæ Provincijs, sub Tyrannidem Othomannicam fecerat deplorandum, divina bonitas quæ nunquam læta tristibus non interserit, blata est nostrorum circa proximorum animos successu laborum.

Mors P. Stanislai Kulewicz.

Censuit Collegium Personas 63. Hactenus insolito numero: sed quem Paterna Rdi P. Rectoris charitas, in exules è Collegio Jaroslaviensi nostros Rhetores, in magna licet temporum egestate, non augere non potuit. Sed et Cracovia profugos aliquos exceperat, quos inter P. Stanislaum Kulewicz, non ita pridem Cracoviæ sacris ad initium 3tij Theologiæ anni admotum ordinib. Hic diuturna iam phtysi absumptus, ad finem Septembris Posnaniâ venerat: ut immutata aurâ, afflictam veletudinem immutaret. Primam hostiam ipso S. Francisci Borgiæ die litavit Deo: brevi post et ipsam vitam, iam ad augem properante malo litaturus. Vix ille aliquot Septimanarum Sacerdos, Stolam tamen gloriæ adeptus est. ad quam multo ante per magnas Virtutes progressus, si non diuturnam magnam tamen vitam et viam egit. Magnas illi magna patiendi varijs in Collegijs occasiones, sæpe providit Deus. Sed ille majorem illis retinuit animum et constantiam, modestiæ omnium victor. Orationi addictissimus, nihil in votis majus habuit quam uniri Deo.

hinc morbo

hinc morbo ulterioris vitæ spem abrumpere supplex Superioribus accidit; ut sibi ante beatam, quæ in Cælo sit cum Deo unionem adhuc in terris arctius Christo ad aras adstringi liceret. Quod ubi obtinuit, nullam sibi restare fassus felicitatem nisi quæ ipsos Beatos reddit in Cælo felices. Extrema morbi generosa animi magnitudine nobilitavit: dum magis stempsit semper vitam quam mortem timuit; ad omnem è corpore evocantis DEI nutum paratissimus. Morbi illius et vitæ meta fuit dies 11 Novembris. Hunc è medio nostri Deo et alios fere omnes quorum in Civitate, anno currente Vitam Mors sistit ad vitam immortalem consueta Societatis solicitudine præparatos transmisimus

Puncta Annuarum; quæ alibi fuerant recensenda

Numerus Confessionum, extra numerum Nulla toto anni decursu dies fuit, quæ (si duas excipias) aliquem non expiavit. Trecentæ fere universæ vitæ exomologeses, quæ ut plurimum, præteritarum confessionum sacrilegia aliquando à 60 aliquando à 40 aliquando à 20 annis sinuata eluerant. Orthodoxæ Ecclesiæ redditi 10 a simulato Matrimonio reducti plures. Cæno voluptatum erepti aliqui: quos inter publica fornicaria meliorem vitam constanter ingressa. Odia inter Conjuges inter Parochum et duos nobiles composita. Insuper et aliqua domus Civiles, quæ ut odijs ita damnosis litibus mutuo exarserant restinctæ. Sacræ religiosorum familiæ compluribus e juventute, nostris in Scholis eruditâ, auctæ: ipsi Societati 5 nomina dederunt. Ad audiendum Concionatorem nostrum frequentissimus semper affluxit populus supra antecactorum felicitatem annorum. A Concione redierunt multi ad sacra Tribunalia seque ad Generales Confessiones vitæ, aliæ, concionibus impulsos, sunt attestati. Missiones de more obitæ, consuetum, magnum scilicet, Cælo peperere fructum. Erat quædam quæ annis 8 Confessiones V. timuerat vel tempserat: tandem unius in Missione Catechismo perculsa et ad pænitentiam impulsa est. Fuit alia quæ visum amiserat, sed secundum

dum quietem monita de recursu ad Divina media concepto confessionis hebdomariæ voto visu recepit. Quidam Suburbani Posnaniensis Accola annorum circiter 66 olim 17 annos morbo gravi afflictus sed aliorum consilio seu opinione pluribus hodie negie communi se infascinatum arbitratus Sacerdotem secularem Exorcistam celebrem quidem sed suspectum malo depellendo adhibet. Serta bonus ille Presbyter superflectente genua infirmum semel et iterum et tertio submurmurat: tandem senserit ne ipse aliquid interrogat, se nihil sensisse respondit. Non esse infascinatum denuntiat aquam tamen certam cum Herba à se benedicta porrigit, Balneo cujus usui præcepit affundendam; Paret ille calidam aquam illam cum Herba infundit vasi profundo totum se collocans immergit. Vix hora quadrans fluxerat, cum ecce nescio à quo, capite fundum versus flectitur pedibus sursum erectis Arbori inversæ eum similis. Situm illum corrigere nititur nec potest diu luctanti uxor supervenit, sed et illa opem ferre impar vicinos conclamat periclitanti Marito auxilium poscit. adsunt illi sed vix conatu summo hominem ex vase extrahunt semianimem, humi reponunt omni usu sensuum destitutum. Horas aliquot decubuit sic prostratus et sibi absens. Interim ut postea retulit videre sibi visus viginti prope Personas senio venerabiles feretrum afferentes, quorum unus de damnatione piscatorem admonuit, nisi sibi redditus sacrilegos Exorcismos pœnitentia abolere velit. Tres abiere Anni antequam sibi plane redderetur, sed plures antequam sacrilegum pudorem commissi sceleris in Confessione superaret. Tandem divina gratia annitente Jubileo hoc pudoris victor, et illius sacrilegij et totius vitæ reum se ad pœnitentiæ Tribunal sistit.

Iam Divorum è nostra Societate in mortales quæ fuerit munificentia, vinde planum fiet. Matrona quædam innodata conscientiæ ad ultimum Agonem duorum dierum spatio perductæ cultu Societatis usitato personam conspicit et minitantem audit: en qua in ambiguo tua salus momenti tantum distantia a felici et infelici æternitate consistis; sed propior in infelici. Quia

tamen Fratribus meis in illa N. Civitate benevolentia contestata es; ideo rependo Amorem Amori et te non morituram antequam uni è Meis Fratribus peccata aperias, compromitto. Restituta valetudini Posnaniam venit, Generalem Confessionem instituit et ad Aram D. Xaverij quem ipsum sibi apparuisse confirmavit Divinissimo Sacramento reficitur. Iam alia sed Genere nobilior pro Sacro Tribunali testata est se desiderijs carnalibus et Scrupulis inde orientibus liberam implorata B. St: Kostka ope: Cujus Beati Imago munificentia Perillustris Capitaneæ Bonzechoviensis argentea veste exornata decus Templi longè exauxit.

In Congregatione Maxima sub Titulo Annuntiatæ Virginis aucta supellex argentea iam vero ad Minimam sub Titulo Virginis Purificatæ facta introductio D. Martyris Candidi cujus Reliquias Romano Authenticò confirmatas et ab Loci Ordinario approbatas advexerat Roma R P Stanislaus Branicki Rector Collegij. Processionis apparatus longe insignis fuit.

Annus 1673

Adm R P Joanes Paulus Oliva Gnalis.
R P Hyacinthus Koczowski Provincialis
R P Stanislaus Branicki Rector

Præter communem triumphantis Poloniæ de Turcarum 30 millibus lætitiam, quum fuso intra duas horas, ad internecionem exercitu; fugato autem Hussein Bassa, ejus Ductore Generalissimo uberrimam collegit in campis Chocimensibus; ante annum secundum et quinquagesimum, ibidem Victrix de Osmanno: habuit aliam lætandi materiem Collegium nostrum totius Poloniæ Princeps quum illi Sanctior de Capitalibus DEI hostibus quia Peccatoribus triumphus peperit

Devoverat sese una è fœminis diabolo in æternum mancipium, eo constractu et pacto, ut in vim beneficij pro tali

Marginalia:

Exorcismus suspectus.

S. Francisci Xaverii ope, fœmina ad vitam, et simul ad Cor prævaricatrix redit.

Nobilis fœmina, ope S. Stanislai Kostka a Scrupulis et desiderijs carnalibus liberatur.

Introductio S. Candidi ad Minimam Congregationem

Victoria Chocimensis

Venefica

pro tali obsequio, artem se peccaminosè magicâ edoceret, permitteretque semper præstigiator Spiritus illuc libere evolare corpusque quò liberet. Præstitit Dæmon abundè omnia fidelitatisque suæ memor, primo illam ereptam focis domesticis librabat in aerem, mox ducebat, tandemque aliarum congregationi veneficarum præsentem statuebat, ubi pro more solito consuetis tripudijs et delicijs affluerent. A qua fictitia voluptatis scena, ne suo cum corpore et proprius abesset sanguis, germanam ex sorore Neptem duodennem ætate Puellam ijsdem præstigijs erudire statuit et effecit. brevi enim innocens Virgo perniciosissimam ab Amita edocta artem, ut diabolicæ sagarum coronæ adesse sic ipsa quæ debat assvescere cœpit. Nullus erat qui lapsam Puellæ innocentiam sublevaret, nullus qui haustum enormis veneficij venenum depelleret, respexit tamen qui totus Oculus est DEUS elusam fraude Diaboli Virginem, invenitque præsentissimum remedium vis Divina quo tam pestilens ex animo egereret venenum. Parvo enim post tempore DEO ut illuminante conscientiam sic stimulante facti pœnitens Puella accurrit ad Confessarium crimen fatetur, ab eoque quid facto opus sit erudiri expetit. quam Pater ubi multis pro rei exstentia non sine admirabundo compatientis animi sensu instruxisset, ad id tandem impellit ut omnia quæ didicerat statim ejuret. Abijque Deo Sacramentum dicat, nunquam ad ea amplius reditura mentem. Quod illa libens libensque præstitit eo iam libentius ardentiusque Divina frequentans Sacramenta quo longius ab illa recesserat diabolo mancipata.

Consimilis licet longè occultior pestis Tres Primariæ Civitatis incolas infecerat. Acceperant hi à certis Religiosis ignorantiane an malitia peccantibus nonnullas schedas typo pressas, in quibus multæ phrases vocesque vanæ superstitionis indices continebantur: paulo rariores etiam Dæmonum opem invocantes claudebantur, quamvis non ita evoluta maleficij apparentia. Quam fraudem et merissimam imposturam ipsa sese rerum cum verbis dissonantia, prodentem cum bene prudens demonstrasset Pater

Deceptio innocentis Animæ.

Superstitiosæ chartæ Civibus à certis Religiosis datæ.

Pater eas illico paginas, urgente eo pariter ac spectante in partes minutissimas lacerarunt, postquam prius illas è collo invicem et loco Sacrarum Reliquiarum gestassent ex intentione eas tradentium

Majori è periculo vindicatus ille fuit qui cum se vidisset strictissime implicatum in veteratis peccatorum habitibus, statuit de salute sua penitus desperabundus non amplius Sacramentum pœnitentiæ adhibere. Interea accidit ut stimulo conscientiæ morsu agitatus sacræ unius è nostris Patribus concioni adesset in qua cum multa patetice pro misericordia DEI Ecclesiastes disseruisset; attonitus ille hæsit ac tandem tangente cor per os Concionatoris Spiritu Sancto repente in alium mutatus omnem animi turpitudinem sancta exomologesi delet ac exanimi toto non sine summo dolore cordis, quiete animi potitus est; è tam intricatis peccatorum vinculis in libertatem filiorum DEI adoptatus

Quod ad secretissima peccantium Tribunalia attinet, non minori hoc tempore præsens anni frequentiæ ad Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ suspexit in Templo nostro. Nullus in eo dies quo non unâ plures confessiones exceptæ fuerint plurimæ ex tota vita vel majori illius parte auditæ multæ ab annis quadraginta / triginta septem / triginta, viginti, octodecim, quindecim, sex, tribus continuato sacrilegio frequentatæ in melius correctæ sunt. omnium tamen memorabilissima fuit ista. Asseverat unus per annos triginta varijs gravibusque peccatis è quibus ut libere evaderet difficile ei ipsa consuetudo in naturam versa faciebat exitum, et vel maximè viscosum perpetui concubinatus cœnum arctè implicitum tenebat ne emergeret ausus tamen cum virtute DEI debiles attentare vires, ut tandem aliquando ad meliorem mentem rediret: init satis longæ remotis partibus viam aditque quendam Collegij Confessarium, cui omnia vitæ peccata pandit, lacrymis delet multoque animi dolentis sensu et sacerdotali absolutione expiatus ad se et ad sua redit nunquam postea via impiorum ambulaturus. Fuit et alter qui pari locorum è distantia longe tamen impari peccatorum pondere oneratus, sola animi perturbati tranquillitate potiturus ad Collegium venit ibique ad Sacrum Conscientiæ Examen omnes conscientiæ resolvit nodos. Eodem secreto confessiones stratagemate convicta tres Concubinæ, et unus Juvenum lubrico

carnis

Conversio Peccatoris, ope Zelosi Concionatoris.

Alter inhabituatus, resipiscit.

Item, alius.

carnis vitio asvetus vitam in melius et locum mutarunt. Quartum vero Adolescens qui etiam Religiosis claustris macerandam cum sua Carne inclusit. Hoc rursus Tribunali decernente unus ex Ariano Catholicus, Annos ipsos duodecim usum Sacramentorum intermittens, ac à Templis Catholicis vel à primo limine salutandis abhorrens mutavit animum et constantissimè, quæ amplexus est Sacramenta frequentat.

Non solum autem Nostrorum cura apparuit in animabus a peccato ad pœnitentiam reducendis; sed par etiam opera enituit in hominibus ex Hæresi ad fidem Orthodoxam aggregandis. Sex decim enim ad minimum ejurato aut Lutheranismo aut Calvinismo aut Schismate per manus nostrorum inducti sunt, ut Vicarium in terris Christi caput adorarent. Quorum è numero fuêre duo qui erant quidem fidei Catholicæ sed ab ipsis incunabulis nati, sed interea longo tempore inter Hæreticos versati ita continua eorum familiaritate et usu intersuerant, ut à primæ fidei fervore et lumine ad Hæresim deflexerint, a quo tamen errore ad primam veritatem revocati sunt.

Conversio ab Hæresi ad fidei, è variis sectis.

Spiritualibus S. P. Nostri Ignatii exercitiis duo currenti Anno exculti.

Idem Anno advenam Româ in Sanctis suis Lipsanis D. Venustum Mart. Congregationi mediæ introduxit, ut præterito Minimæ Sanctum Candidum. Utrique sodalitati suum Martyrem applicante R. P. Rectoris manu. Pulchriusne verò Venustus an Candidus a suis clientibus exceptus in dubio sit. Quod ad pompam D. Venusti spectat ei media sodalitas ipso Immaculatè Conceptæ Virginis festo, sub cujus nomine militat triumphum apparavit. Cui ut solennius pretium faceret, primo argenteam sacris ossibus asservandis confecit tumbam ut ita pretiosa Mors Sancti in conspectu Dei non vilior oculis etiam humanis appareret. Tum ex umbra in lucem prodituro Sancto Martyri festivos accendit ignes: inter quos ut eo commodius propensi in Sanctum Patronum amoris intorqueret tela, Arcum illi struxit triumphalem prope proprii Oratorii limen. Tandemque eo loci cælestem e Latio hospitem panegyricis salutavit acclamationibus

Introductio S. Venusti, ad mediam Congregnem.

Datus est Posnaniæ et Nostrorum è Societate Sanctorum favoribus locus. Singularis ille Sancti Francisci Xaverii fuit prodigiosissimi in utroque orbe Thaumaturgi. Enixa est una fœminarum in auras sobolem magno sui cum discrimine, et sine vitæ infantis indicio: non solitæ lacrymæ, non motus corporis animam indicabant præsentem. Mater tum de suo periculo tum de infantis vita anxia illico confugit ad Deum e lecto causæ suæ Patrono et affectus interprete S. Francisco Xaverio cujus ut efficaciores inveniret preces adjecit suas votique in honorem Sancti usitatam Posnaniæ decem hebdomadarum devotionem singulis continuis feriis sextis, quibus et binas lampades ad ejusdem aram se accensuram appromisit. Vix hæc animi sensa perfecta sunt, cum ecce non infans modo sibi pariter ac vitæ restituitur sed ipsa parens vitæ evadit periculum. Actæ igitur Deo Sanctoque gratiæ votum solutum ac fœmina pristinæ valetudini restituta.

Mater ex partu laborans, infans semivivus, ope S. Xaverii valetudini restituuntur.

Peregrini ab India beneficium istud fuit S. Xaverii. Adfuit è cælo in primam Majoris Poloniæ Metropolim et Polonus monuit enim Beatus Stanislaus Kostka certam è numero aliarum Matronam de ultimo vitæ termino: addiditque ut ultimæ luctæ non ignara se ad eam Divinis sacramentis præsertim pœnitentiæ communiret. Et verò ut pronus adeo hujus Beati in homines favor sit, inclinat eum singularis clientum erga se devotio et liberalitas: extra enim commemoratam in annuis anni præteriti de lamina argentea imaginem accesserunt ejusdem honori complura alia ornamenta conferente ad id eadem liberali manu Perillustris ac Magnifica Dnæ Marianna Podleska Capitaneæ Borzechoviensis ac imprimis altare de novo erectum est pariter artificiosa dispositione prænobile tum præter insigniores laminas ex argento beneficia Beati insigniora variis Poloniæ in urbibus præstita referentes, duæ argenteæ statuæ cubitorum singulæ circiter duorum additæ imaginem Beati circumstantes quarum una fert personam S. Patris N. IGNATII altera Divi Valeriani cujus nomen gerebat defunctus conjunx dictæ Capitaneæ. Accessit e Collegio non mediocre cum sodalitate ornamentum quod tam prædictæ Perillustris Capitaneæ Brzechoviensis quam Illustrissimæ Dominæ pariter Mariannæ de Tuczno Tuczynska Succamerariæ Inovladislaviensis simul cum filio suo Joanne Cancellario et Canonico Posnaniensi munificentia auxit. Jam primo una ex nobilioribus pars Collegii præcipitem in Annos ruinam minitans, ab ipso fundamento roborata et reparata est. Tum in summo ejus vertice aula domestica refovendis animis oculisque constituta, hinc atque hinc ab utroque latere erectis cubiculis quæ commode Scholasticorum habitationi congruerent. Tandem triclinium dilatatum comparatisque de novo imaginibus adornatum: quibus et bina maxima condecorata gratiorem intu-

S. Stanislaus Kostka fœminam monet ut se ad mortem disponat.

Altare S. Kostka erectum

entium oculis ostentant faciem.

Missiones hoc Anno nec semel nec paucæ habitæ, ita ut numerosis è Collegio in obsequium animarum excursantibus personis residui ex Patribus atq Scholasticis in absentium detenti officio, non haberent unde essent otiosi.

Annus 1674

Adm R.P. Joannes Paulus Oliva Præpositus Gnalis. R.P. Hyacinthus Koczowski Provincialis. R.P. Stanislaus Branicki Rector.

Annus hic pari antecedentibus labori Nostrorum circa lucra animarum respondebat, felici nimirum eventu.

Sacrilegæ Confessiones.

Confessiones generales plurimorum expeditæ, unius quidem nobili loco natæ Personæ, ab Annis 15 scelus enorme pro sacro tribunali celatum una cum aliis ex totius vitæ memoria enarratis noxis benigna absolutionis deletum sententia. Alius vero cui constans fuit consuetudo sacrilegè noxas exponere. Dei permissu a Dæmone sui corporis exagitatore et per duas noctes tortore ad pedes et tribunal Sacerdotis compulsus est inibiq vitæ ante actæ delicta ritè exsolvit.

Serpentium agmen mulierculam enormis sceleris, admonet.

Nec minore industria ac dexteritate multorum contra fas initia multorum violata jura matrimonii suis adstricta legibus sunt, secumq redacta in ordinem Deo etiam pro sua benignitate hujusmodi trangressores in misericordia præveniente. Quorum fuit è numero quædam quæ juratum sibi ad aras consortem spreverat, alterius in partes veniens. Sed dum scelus repetit, profunda nocte, serpentes sese magno agmine glomerantes cohorret, certo concessa a Deo vi in sese acturos, nisi vel medias noctis tenebras divina affusisset lux quæ potestates tenebrarum antiqui Serpentis formam indutos protinus effugavit. Subiit procaci mulierculæ in mentem se ab ea monstrorum turba fore liberam si peccati commissi serva esse desineret, et quod commissum fecerat ultro non dilata pænitudine elueret. Vix ea inter se sanciverat, omni periculo libera ad templum prima luce advolat, aures poscit Confessarii, scelus ejurat maritalis fœderis tenacissimam in posterum se fore profitetur.

Vota Religiosa instaurata, per Confessionem.

Alius quidam religiosis se votis adstringere cupiebat, religioni a multo tempore dato jam nomine; verùm ut induci nullo pacto potuit; redarguentis occulta scientiæ palam ut faceret Confessario sua religionis; cætum deserit una et obstinatæ mentis sententiam; Unum è Nostris adit suam per homologesim conscientiam reducit ad quietem, rursumq meditatæ postliminio sese devovet disciplinæ.

Excommunicatus quidam, a nobis absolvitur.

Alter proximo in oppido Civis ecclesiastico fulmine è publica exedra percussus, cum mentem malis ipsis, quæ horrendo anatemate luebat indurasset ac pejore proposito nunquam ad Sacrum confessionis areopagum sese sistendi confirmasset. Divina tandem vi intus adlaborante mutat pervicaciam, et unius è Nostris postulata ope rite Deo reconciliatus Corpori Ecclesiæ jam saniore mente membrum restituitur.

Advenerant Baccho et Licentiæ Sacri dies cum non pauci præcipui Nominis viri jam inde a 16 leucis nostris convolant Posnaniam usitata id temporis Nostræ pietatis illecti religione; jubileum illis diebus propositum non aliter consecuturi nisi inveterato multis ab annis scelerum veterno, Nostrorum Pænitentiariorum ab obsequio abdicassent. Hæc Extranei. Domesticis devoti oratoris profecerunt plurimum apud Matrem totius Consolationis, et Consolatricem afflictorum: unus namq illorum magnus inter Cives nostros gravi afflictus morbo sitam in Civium Oratorio Matris Virginis appellat Iconem et opem nec vano conatu, mox vires recipit ex integro seq recipit in verba et vota gratiarum unde gratiam emanasse noverat sanitatis.

Convalescit æger, patrocinio B.V. invocato.

Cælites etiam Poloni præsertim Reginæ Poloniæ applaudebant pari, rebq humanis miserendi teneritudini, quos inter præcipuum locum optinet inter præcipuos Lechiæ tutelares hoc Anno transcriptus ex Urbis decreto B: Stanislaus Kostka. Eventum hic probat casus. Inaudierat unus ex adolescentibus nostri Collegii maximè Divi ejusdem in mortales elogia pietatis: quibus ipsemet subscribens, Deo cor animante, nonulla cultui et amori ejusdem Divi exhibuit. Verum cælestis gratificandi vis superavit terrestrem clientum munificentiam. Cultor D. Kostka in supremum ex morbo trium dierum agonem delabitur. Luctanti adest Divus (quem ipse à morbi et mortis redux faucibus juvenem appellabat Jesuitam) monetq ut si velit sua ope pristinæ restitui valetudini commigret Posnaniam purgata confessione mente, vires integerrimas ex Pane Cælesti ad aram B. Stanislai Kostka resumpturus. Dictum factum. agnoscit bene jam mente sanus et corpore Benefactorem suum ex Icone publico cultui in templo Nostro proposita, eumq ipsum fuisse, qui se de recipienda incolumitate infirmum monuerat, Beatum Adolescentem palam testatur.

Adolescenti infirmo restituta valetudo, invocato Sancto Stanislao Kostka.

Inter plurimos dissidia composita, reintegratæ amicitiæ, multi ad refundendum æs alienum, quod iniquo jure possiderant, ~~eumq ipsum fuisse~~, inducti, alii alia pro cujusq morbo ex præscripto Nostrorum, jam publicè ab exedra detonantium jam privatis consiliis bono proximi incumbentium curavêre.

Præter comparatam prudenti unius è nostris dexteritate amicitiam multorum Regni e primoribus; magnum etiam Templo Collegii accessit ornamentum ejusdem in doctrina. Nam Illustrissima Palatina Pomeraniæ Dña Bąkowska è domesticorum splendore parietum, rem sanè et pretio et tanta feminæ beneficentia æstimabilem cessit

Illma D. Bąkowska in altare S. Kostka liberalis.

publici in templo Nostro D. Stanislai Kostka ad ornatum: sericeam nimirum supellectilem inter aurea fila ubertim adspersa, longe conspicuam. Nec munificentiæ posuit limites et Patris praedicti circa bonum Societatis solicitudo et ipse animus benefactricis optime Societatis universitati addictus. Nam quod habuit inter muliebrem mundum singulare telam sericeam nobilissimam argento affatim intertextam, aureisque aspersam floribus in altaris ejusdem D. Kostka antependium et in maximarum solennitatum usum pro pluviali ut dicitur amplissimo cultui ejusdem memorati D. Stanislai Kostka dedicavit adjecto non mediocri in ea sumptu, quo ad perfectiorem horum splendorem servierant.

Aemulatus exterorum liberalitatem unus e nostris primæ Polonorum inter familias notæ, alieno quidem e Collegio verum domestico, Divisque intimo ex affectu. Adjecit is Templi ad ornatum ex holoserico pleraque ornamenta. Insuper et sericeum auro intertextum tapetem publico usui longe illustrem. quo quidem et pretiosiorem et singulari benevoli testificatione animi donavit Perillustris Dominus Andreas Radlicki Judex Terrestris Posnaniensis morti quidem vicinus, sed evidenti Dei ope, a morte et morbo emancipatus.

D. Radlicki a morte liberat.

Funera ultra sex inter pretiosos a morte Sanctorum cineres sub aris nostris condidimus non mediocrim partem eleemosynæ percepta condentium gratitudine. Inter quæ fuit Divos inter (ut spes est) receptæ corpus Perillustris et Religiosissimæ Constantiæ Wolffowna Sanctimonialis ex ordine D. Benedicti Culmensis Monasterii Professæ consecratæ. Pro cujus incolumitate dum adhuc diuturna affligeretur ægritudine frater suus Perillustris D. Alexander de Ludighausen Wolff Capitaneus Felinensis nunc Dei providentia Abbas Peplinensis multa profuderat vota ad aras Divi Francisci Xaverii. Dum periculum quamvis in horas instaret mortis jubet accendi facem e Virgine cera pondo decem, quæ dies et noctes aliquot, ante iconem et aram Divi ardens continuo, hoc apud Divinam benignitatem evicit, ut malum intimis conceptum praecordiis virgineum non ultra divexaret corpusculum, animamque diu ad manus conditoris ire liberam permitteret. Conditæ apud nos nobili tumulo exuviæ: ipseque Perillustris Abbas in vicem gratitudinis Mille florenorum nobis transcripsit.

Funus Constantiæ Wolffowna Sanctimonialis D. Benedicti.

Illustrissimi Wolff Abbatis Peplinensis in nostros liberalitas.

Addidit præterea ad dictam liberalitatem continuatæ beneficentiæ cumulum dum in usus triclinii scutellas ultra sexaginta e stanno nobili minoresque mappulas cooperiendis orbibus totidem adjectis nonnullis mantilibus omnia justi pretii et suos apud artifices magnæ specimina artis attribuit. Quo etiam tempore maximæ erga nos propensionis ex eximio demissionis homo Abbatem ferme exuit formam servi indutus, dum in communi triclinio accumbentibus nobis linea præcinctus tela tanquam unus e nostris, proprio sumptu comparatas dapes ultro nobis apponebat. Dignus profecto vir tum nostræ Societatis amorum tum vero am-

NB. Idem Abbas ad mensam nostris ministrat.

plioris in Ecclesia Dei dignitate, qui ex aulæ tot Regum favoribus est obnoxius.

Eodem benefactricis nomine intulimus sepulchro propriis Nostrorum Patrum manibus pios manes Perillustris Dominæ Marianæ Podleska Borzechoviensis Capitaneæ cujus, ut historiæ Societatis, annorum, præsentis et antecedentium nomen, ita posterorum monimentis beneficentiam erga Superos et mortales perennaturam transcripsimus.

Funus Perillustris Marianæ Podleska Capitaneæ Borzechoviensis

Mors P. Ladislai Gurowski.

Annus Domini 1675

A. R. P. Joannes Paulus Oliva Generalis
R. P. Stanislaus Branicki Provincialis
R. P. Bartholomæus Wyzowski Rector

Diu in votis habitum tandem Mense Aprili præsens Annus Rectorem Collegio dedit. R. P. Bartholomæum Wyzowski, quod illi officium ad manus tradidit die 25. R. P. Albertus Wyszynowski pro tunc ab abitu R. P. Stanislai Branicki ad Provincialatum per menses quatuor Vice-Rector. In decursu ejusdem mensis celebratum funus in templo nostro Stephani Kosteniewski Capitaneidæ Kostinensis epilepsia extincti anno ætatis suæ non plus duodecimo. Sumptu finita pompa funebri in Nostro refectorio prandium ab hospitibus externis invitatis opera Perillustris ac Magnifici Domini Andreæ Radlicki Judicis Posnaniensis, cujus etiam sumptu tam funus quam mensa stetisse dicitur.

R. P. Bartholomæus Wyzowski Rector Collegio datur.

Funus Stephani Kosteniewski.

In Junio die 21 Congregatio Provincialis habita Cracoviæ ad Sanctum Matthiam

ad eam solus ex Collegio uti etiam ex praescripto pertinebat perrexit R. P. Rector, ibidemq lectus procurator Romam fuit, quo 21 Septembris movit cum Magistro Andrea Strzemeski ibidem Theologiam audituro. Hoc eodem mense et alii duo inchoatam Posnaniae Romae continuaturi Theologiam abivêre, Scilicet Albertus Bartoсzowski et Stephanus Kiezski hic primi, ille 2di Anni Theologus, adjuncti R. P. Alberto Wyszynowski futuro pro Urbe Polonae Provinciae procuratore in locum P. Joannis Hermanni. Omnes illuc convenerunt ad 20 Novembris. Ipsa Congregatio Procuratorum omnium fere unanimi consensu peracta est et finita. Cunctis decernentibus non esse cogendam Congregationem generalem.

4 Villae emptae a nostris pro Collegio.

In Augusto empta sunt bona pro Collegio Dąbrowa, Luciny, Kaleie, Kotowo et Sortes in Niezamysl apud Magnificum Dnum Joannem Dobrzycki habentem apud nos tum Su[...]em adhuc P. Thomam Dobrzycki fratrem germanum. Haec bona jam ab Annis [...] triginta inclinaverant animum R. P. Gasparis Druzbicki et aliorum tum Rectorum ad sui emptionem idq praecipue ratione sylvarum quarum ibi copia, domi vero inopia magna. Vendita erant pro illis coëmendis bona Kielczewo et Korablewo et Grzybowo ad oppidum Kostenum siti pagi conscriptiq contractus cum Magnifico Dno Maniecki sed bello Suetico cuncta perturbante et contractus rescissi et Summa flo: 21 millium pro bonis venditis accepta, apud Illm D. Jacobum Rozrazewski Palatinum Inovladislaviensem haesit hucusq apud Successores detenta. Nunc quia minore pretio comparari poterant, data sunt pro illis 40 millia quae tali methodo extradita sunt primo 10 millia quae Collegio p: m: P. Christophorus Rokoszewski donavit redux Roma post auditam ibi Theologiam tempore belli Suetici. Alia rursus 10 millia quae templo aedificando germanus M. D. Venditoris P. Thomas Dobrzycki inscripsit pro reliquis 20 millibus acquirendis oppignoratus est pagus Nagradowice dictus, additis insuper supradictus pagi florenis quadringentis

Continuatio Supe: rig Scripti negotii.

Anno decurrente liberatus est praedictus pagus per acceptas mutuo pecunias ex oppignoratis Luciny & Kaleie donec vindicetur Summa fl 21 Millium apud Successores praememorati Supra Palatini Inovladislaviens aut aliunde acquiratur. Post annum item resignatio facta Collegio ab eodem Mgco Dno Dobrzycki in Castro Posnaniens ubi etiam primi Contractus inscripti. Quia vero haec bona ille jure haereditario Uxoris Suae possederat, quae de Domo Maniecka erat, relictamq ex ea defuncta prolem habebat, bonorum istorum haereditariam, ne vel hac mortuâ, vel Succedente aliâ ex Secundo toro evictio vacillaret & Collegium periclitaretur, fecit recompensam Uxori Suae, aut potius proli ex illa Suscepta, ejusq Successoribus: ut patet ex Contractibus Nobiscum factis hac in Causa. Ad extremum, licet vetet Lex publica in Constitutionibus Anni 1635 Ecclesiasticis emere bona terrestria, obtinuit tamen impetravitq Collegium quaedam bona vendendi, emendi alia cum Sylvis in locum eorumdem. estq haec Concessio inscripta Constitutionibus Anni 1678 eâ additâ cautione, ut Judicium Terrestre dijudicet decidatq coaequationem emendorum cum venditis, quod nunc fieri adhuc non potuit. Pro venditione vero priore bonorum Collegii facultates Romanae tum Admodm R. P. N. Mutii Vitelesci A. 1636 tum A. R. P. Vincentii Carrafa Anno 1646 tum Summi Pontificis Urbani VIII obtentae sunt ut habent earum Authentica [...] Collegio asservata.

R. P. Stanislaus Rokicki obiit.

In eundem Annum incidit mors Patris Stanislai Rokicki Rectoris Bidgostiensis, qui medicorum gratiâ Posnaniam venerat, nec rediit, nisi ad immortalitatis Suae possessionem. Eodem mense Augusto Sepultus est in Templo nostro Perillris & Mgcus Dnus Adamus Czarnkowski relicto filio, Unico Domûs Czarnkoviana fulcro & haerede in Polaicwo, Vladislao. Funus per biduum celebratum nostris Sub utramq requiem de Suggestu dicentibus. Inscripsit Testamento Templo extruendo decem millia, quibus palatiolum Suum urbanum antonomasticè dictum Czarnkovianum in ipso foro Posnaniensi Situm inoneravit quo alacriores Successores redderet ad Summam extradendam. Semper haec Czarnkoviorum Familia Maioris Poloniae è Primariis una Societati addictissima & praesertim Collegio nostro, quem illi affectum & favorem tot Palatini & Generales Maioris Poloniae testabantur.

Czarnkowski sepelitur in nostro templo. Testamento inscribit Collegio 10.

Turris Civitatis fulmine tacta damnum fecit 40 millium flor.

Hoc etiam Mense non Solum Civitas Sed etiam Collegium Nostrum in metu incendii fuit; Decimâ Augusti Sub vesperum Turris in Curia Civitatis maxima concepit ignem in ipso apice, cum orta foeda tempestate accensisq nubibus fulmine tacta est, gliscente vero per noctem velut Sacro igne Sensim flagrans, tandem postridie Sub ipsum meridiem, frustra tentatis remediis igni in praedam cessit. Computatur damnum ad florenorum quadraginta Millia, maiorem aliquam vim habuit flamma illa ut cuprum Solveret non incendio & extingvi non posset.

Philosophia biennalis inchoat.

In Septembri inchoatus est alter Philosophiæ Cursus biennalis per Patrem Theodorum Akreutzen data facultate ab A. R. P. N. Joanne Paulo Oliva eo animo impetratus ne necesse haberent Consummati Rhetores aliò migrare ad Philosophiam inchoandam, sed haberent domi, quod foris quærere cogebantur possentq́ in eodem Collegio Studia Speculativa prosequi usq́ ad quadriennium Theologiæ non factâ ad alia Collegia digressione. Nec non ut fieret satis Conditioni bullarum Pontificiarum, quæ in ordine ad faciendas promotiones literarias & laureas conferendas requirunt cursus Philosophicos & Theologicos ut continuet Studium more Academiarum.

P. Pauli Henski mors.

Octobri die undecima diu luctatus cum morbo tandem hydrope præfo[illegible] obiit P. Joannes Paulus Henski Coadiutor Formatus Concionat[illegible] Germanicus. Summum hic in sui Auditoribus desiderium reliquit, Vir certè Apostolicus. ex hæreticis Parentibus iisq́ bene habentibus Gedani natus, post ad fidem & Religionem nostram pellectus adeo zelosus fidei Propugnator exstitit, ut nihil amplius oderit quàm Sectam Lutheranam. Tota illius Concio eo tendebat ut errores Acatholicorum refutaret. eo in officio adeo infatigabilis, ut diebus solennioribus binas mane & à prandiis conciones dicere solitus fuerit eâ frequentiâ & aviditate audientium, ut locus iis non sufficeret. Aegrotanti quâ poterant operâ & sumptu inserviebant Cives Germani nihil in votis habentes, nisi ut vel semel de suggestu dicentem audirent. Visus post mortem a quadam fœmina (ut fama ferebat) vultu quidem tristi sed tamen indice æternæ salutis.

NB

Hactenus hoc Anno quæ vidimus fuêre lætiora, successêre tristia. Fortunatior futurus erat annus hic 1675 ni in fatalem casum incidens claudicasset. Die ultimâ Decembris sub vesperum dato tympano Civitas Posnaniensis excitavit tumultum contra Studiosos, unumq́ globo traiectum intra horas aliquot è vivis sustulit, alios vel mutilavit vel concussit. Eius mali origo hæc fuit. Acceperat acriter verberibus unus ex Suburbanis Accolis nostrum Studiosum Poëticæ auditorem, quam pueri ulterius injuriam P. Præfectus protunc P. Stanislaus Theygarth misit ad Civitatis Præsidentem, eo temporis hoc Officio functum D. Casimirum

Tumultus Civium in studiosos memorabilis.

Ross

Rossman duos è Studiosis Philosophos, secularem alterum, alterum nomine Ciązynski qui exponerent à Cive Suburbano Posnaniensi vim immunitati Scholasticæ illatam esse rogarentq́ sumendam de Cive pœnam pro hoc ausu temerario, alias periculum esse, ne ipsi Studiosi vindictam de eo sumant. Pupugit hoc animum Præsidentis, quòd repetitis vicibus & acrius paulò instarent, & quidem in præsentia Hospitū mensæ assidentium agerent, proinde tam in Studiosos, quam in perorantem Clericum invectus est. Reddit ille talionem tecto illum capite abhinc allocutus, protestatusq́ se huc non ad convitia sed ad iustitiam impetrandam venisse. quodq́ maximè in eo D. Præsidens incusabat non addidisse sibi compellationem honorificam ex officio, sed solum [illegible]garem Dñi Rossman. Vix eâ finitâ lucta, mox ob detractum sib[illegible]lum furibundus D. Rossman accurrit ad Collegium & apud R. P. Vi[illegible] Rectorem protunc P. Petrum Abramowicz multis contra Clericum questus, sui contemptum, illius audacem accusat protervium. Appromissa à R. P. Vice-Rectore satisfactio. Visitat ille interea templum nostrum adestq́ Vesperis solenniter, ut pote in pervigilio Circumcisionis solennitatis nostræ maximæ decantatis. Advertit inibi eundem præfatus Clericus, reducemq́ (cum non longè à templo, domus, quam Domini Tulibowscy inhabitabant, quorum erat pædagogus, distat) invitat ad hospitium semel, bis, & tertio: inquiens se ita illum tractaturum sicut ille domi suæ, quam invitationem contemptivâ subodoratus D. Rossman accensus irâ eripit se invitanti & imperat servo Civitatis, suo pedisequo, ut clavâ quam ferebat vulgo obuch dicta importunum reprimeret, fugit ille, acquisitoq́ domi baculo, eum in Præsidentem & servum jacit, an (ut alii narrant) percussit ipsum Præsidentem (quanquam hoc non semel ipse D. Rossman negavit). Mox servus & alii a Dño Præsidente (sparso in vulgus rumore Præsidentem Civitatis à Studiosis aut cæsum aut verberibus affectum esse) iussi sunt domos & plateas obire, concitare plebem, Custodes Civitatis in unum cogere. quod ut dictum, factum. Nam brevi miles stipendiarius sistitur, Consilium initur in Curia, pulsatur tympanum, totaq́ in armis ad Curiam apparet Civitas, maximè in nos infrementibus Lutheranis & Calvinistis de Garbary adventantibus. Clericus ubi hæc agi videt, fugit ad Collegium. Interea ex Senatus-Consulto mittitur

miles, qui Clericum vi ex hospitio extrahat. de quo certior factus P. Præfectus modo primum ex missione redux, Sine mora convocatis aliquot, qui finitis Vesperis ante templum Substiterant Studiosis, Stetit præ foribus domûs hinc & inde illum Stipantibus Studiosis pluribusq' accedentibus. Veniunt milites igne, onustisq' bombardis aliisq' instrumentis bellicis armati. Cedere locô P. Præfectum & Studiosos iubent, quibus vocibus ter v quatuor vicibus iteratis cum nihil proficerent iussi tandem bombardas exonerare, unum è Studiosis Martinum Doroszewski Philosophum globo trajiciunt, non plus horis aliquot ab illo ictu Superstitem. Ergo cum illo Saucio ac R. P. Præfecto nonnullisq' Studiosis cla[illegible] Domus, cæteri audaciores Studiosi, qui pauci tunc erant, Strictis gladi[illegible] reprimunt. Sed ubi illis in Subsidium longè maiorem turbâ venir[illegible] tunt in partes dilapsi Sunt. Tum demum furibunda plebs duce Joanne Czeszkiewicz Notario Consulari, qui Stricto gladio, vulgo Multan & Vladislao Grzytkowski Apotecario Civitatis, qui minoribus Sclopetis vulgo pistulety, armati visi Sunt, huc illuc Studiosos insequi incipiunt, plateas Sine lege Sine ordine circumire, cæmeterium circumcursitare pergunt unicam Studiosorum cædem & Collegii nostri Subversionem inclamantes. Et ut nunquã Solitarium Scelus est, non contenti, quòd Famulum Collegii causâ invitandorum hospitum pro crastina Solennitate et prandio missum capite percussum, duobus digitis prope mutilaverint, in plateam quæ Templi nostri facie terminatur exploserunt, ut complures globi Januæ templi inhæserint. Quin ausu nefario in Cœnobii Monialium S. Benedicti fenestras, eo quod vicinum esset domui, in qua percussor habitabat, explodebant aliqui, atq' Monialem velo capitis traiecto in periculum protruserant. Adhæc cum Sedandi causa tumultus P. Nicolaus Bernech Juniorum Collegii Præfectus in Curiam venisset, inclamabant Cives ut tamdiu detineret, quamdiu Clericus non extraderetur, non tamen Secuto effectu. Verbis quæ furor, arma & iras subministrabat, nihil intentatum relictum, furentemq' insaniam magis magisq' intendentes, cum iam nox immineret, disponunt tandem Vigilias in quatuor partes nocte dieq' Sequenti per horas 24 duraturas iuxta Statutum Civitatum, cinguntq' Domum maximè Clerico hospitalem, quamvis Scirent a nostris, illum ad Collegium eva-

evasisse. Nec finis. Eadem nocte domos Studiosorum invadentes duos ex lectis Philosophos eosq' Nobiles Zukowski & Matthiam Kuczewski extraxerant, ac Stricto carceri incluserant, quorum primus partim frigore partim inediâ Sed maximè clandestinæ timore mortis adactus cum aperto vitæ periculo è fenestra Se dimisit in terram, ac aufugit, alter brevi dimissus. Infremuit ad hoc facinus Universa Nobilitas et maximè Mgcus Dnus Tuczynski & domus & Suorum periculo motus, Statimq' è Comitiolis Sredensibus missis Legatis demandatum, ut eã causam tum apud Serenissimum, tum in Comitiis coronationis contra Cives urgerent promoverentq'.

Annus Dni 1676

Ad. R. P. N. Joannes Paulus Oliva Generalis.
R. P. Stanislaus Branicki Provincialis.
R. P. Bartholomæus Wąsowski Rector.

Benedixit DEUS Coronæ Anni huius. Eius enim ad initium 2 Februarii Coronatus Cracoviæ in Regem Poloniæ est Serenissimus Joannes III unâ cum throni thoriq' Sociâ Joanna Casimira. Adfuerunt ibi & Nobis in illo Poloniæ totius Compendio, multorum è nobilitate patrocinia Studiaq', qui Collegii causam contra Cives Posnanienses memorati nuper tumultûs Auctores promovebant, conabanturq' plerique eam Causã per Delegatos à Serenissimo Judices terminari. Sed Serenissimus ne convellerentur Jura Regiâ ipsemet obtulit Se iudicaturum hoc Negotium aiens, illud ad Judicium Suum Assessorium pertinere.

Instat nobilitas apud Serenissimum pro vindicando ausu Civium

Ecce verò dum hæc agitantur necdum unâ peractâ Scenâ nova cum iisdem Civibus aperitur. Parum illis visum erat Collegium & immunitatem Scholasticam læsisse, facto brevi a profanis ad Sacra, ab hominibus ad Sanctos gradu. Congregationi B. M. V. Civium dictæ Sub Titulo Nativitatis eiusdem Divinæ Matris vim inferunt. Duo Sodales, quorum unus Præfectus tunc erat Joannes Krzymuski opificio pellio, alter itidem Joannes Zielicki Aurifaber inducti procul dubio

Congregatio B. M. V. expilata a Civibus

ab invidis res ferè omnes è Congregatione Subduxêre, ut eam v. ad Parochiam v. aliò transferrent. Ac Sensim primo argentum, tum aliam Supellectilem diversis vicibus Subtraxerunt, partim ea, palam & aperte perpetrando cum vi & indignatione aliorum non audentium tamen ob metum Civitatis impudenti adeo audaciæ resistere, partim furtim apertâ etiam per Serifabrum exteriore ad Cæmetarium ianuâ, cum clavis esset in Collegio. Impudenter ex his aurifex etiam tempore missæ habitæ à P. Congregationis absente verò Magistro hæc & illa auferebat aliis frustra reclamantibus, quos authoritate Magistratûs Sibi assistentis terrebat. Monebantur privatim ut referrent res [illegible]ceptas ad locum debitum etiam per Nostros a R. P. Rectore misso [illegible]ed aut impedimentum aliquod fingebant, aut necessariam rerum illarum reparationem in causa esse dicebant, ac tandem cum nullus effugiô locus esset, negârunt se reddituros. Cumq. nihil in dies proficeretur, inito Consilio R. P. Rector ut eos a reliquo terreret ausu (nam & Altare cum imagine Sub tempus conventus habiti nominatus aurifex tentabat Subducere) venit ad Congregationē, cum frequentiores in ea essent, fecitq. Sermonem ad adstantes, quo felix Pascha melioribus gratulatus, egit gratias constantioribus in Officio Suo erga B.m Virginem appromissâ illis benedictione ab eadem Divina Matre. Tum questus est de Violentiis loco Sacro illatis, Spoliatione ac prædatione facta à duobus, atq. pro hoc Scelere in Congregationem commisso dixit se coactum esse, ut descenderet ad poenam infligendam eam, quæ pro Similibus delictis, reliquis etiam casibus Marianis usitata est, nempe ad exclusionem eorum à Congregatione & consortio reliquorum Sodalium. Quare pro Potestate Sua quam habet in Congregatione eiusmodi tanquam Patronus Tutorq. earum quia Rector Totius Collegii (cui utiq. designandi Patrem Præfectum dirigendæ Congregationis ius est, adeoq. et excludendi facinorosos, et quidem à fortiori, cum ea potestas vi legum Sodalitatis Patri Præfecto concedat:) eosdem illos duos Krzymuski & Zielicki nominatim exclusit. Quo audito unus Similis illorum Joannes Wolniewicz opificio Cultrarius homo

homo vilis & barbarus fidelisq. in rebus Surripiendis adiutor cum indignabundus è cœtu Sodalium abiisset, iussus est tertius ille pro excluso haberi a R. P. Rectore. Conticuêre cæteri. ex quibus alii rei seriem mirabantur, alii gaudebant in cultu B. V.M. constantiores. omnes tamen veriti tum odia ac invidiam Contubernalium, tum mulctas a Civitate imponendas nihil contra illos locuti sunt. quin postea rariores & rariores in Congregatione visebantur. Non intermissa tamen communis in Congregatione à nostris devotio, paucis licet præsentibus Sodalibus commodata interim Sacra ad Missæ Sacrificium ex templo Supellectile. Sic exclusi illi Duo citati sunt postea ad Officium Spirituale Sed favorem experti decretum tale obtinuerunt, quo Pars utraq. app[illegible]are debuit ad Nunciaturam, plerumq. non admittebatur pro legi[illegible] Actoratus noster ex eo, quod Sodales alii Nobiscum non agerent contra illos duos, id autem fieri tunc nequaquam potuit, quia verebantur ne in invidiam apud suos et maximè Magistratum, assistentiam & sumptus Spoliatoribus illis Subministrantem, vocarentur. Venit ad Nunciaturam negotium, Sed & ibi deliberatum an essemus Actores legitimi.

Hoc eodem Anno die 17 Aprilis mortuus est P. Laurentius Charyszewski Trium Votorum Professus antea pro Operario huius Collegii, hoc anno iam pro Valetudinario habitus, ut pote in dies physi consumendus. Vocali ut plurimum orationi addictus Sæpe in dies Christū D.m Eucharistiæ Sacramento inclusum adibat, cum eoq. per pios affectus colloquebatur. Ut omnis honoris, sic sui contemptor & incurius. Vicinus morti tanta affectus & verborum demissione, sui depressione adstantes PP. & FF. allocutus est, ut plerisq. lacrymas excusserit, adeo humilem de Virtute Sua sensum admirantes. Sepultus in templo nostro. cuius funus multi è Civibus & Civissis comitati sunt.

Mors P. Charyszewski

Brevi, Mense Majo duo alia Externorum funera absoluta. Unum die 16 Virginis Agnetis, quæ bonorum Suorum omniū hæredem Collegium fecit, pia & Sancta Virgo Agnes Organiscinka. Alterum non tam funus quam Exequiæ Perillris & Mgcæ Dnæ Constantiæ Tuczynska de Domo Prusimska, quas illi in Nostro Templo persolvit 18 præsentis Maritus eius Perillris ac Mgcus Dnus

Duo funera externorum

Benefactoribus nostris facta

Stanislaus Tuczynski. Concionatus in Sacro est unus è Nostris Pa-
rochiæ Ecclesiastes ordinarius, eius postea Corpus translatum est Zbo-
szynum ad bona hæreditaria Tuczynsciorum, quæ Domus A-
mica & benefica Collegio Nostro fuit. Avus enim, Perillris Dñi
nominati Valcensem fundavit Residentiam Nepos vero huius
cum Parente Sua Perillris Joannes Tuczynski pluribus mil-
libus Collegium ditavit pro Templo extruendo.

Abraham Bajer, Dimissus.

Mense eodem non tam mundo, quam Religioni vivere
desiit pulsus terrestri hoc paradiso vere ineunte Abraham Ba-
jer Coadiutor temporalis dimissus in pago Peziorki. Revocabat
ille quidem Sua Studia & preces pro impetrata dimissione, sed eo
primum tempore, cum dimitti iussus est.

P. Stanislaus Maliszewski inclusus, Dimissus, admissus, inclusus.

Quanquam Majo mense non felicior Junius fuit. Eius e-
nim die 4 P. Stanislaus Maliszewski Votorum 4 Professus e-
vectus est ex Collegio Sandomiriam (unde hospes venerat) ea in-
tentione ut inde post toleratam toto triennio & aliquot mensibꝰ
clausuram Cubiculi, in quam coniectus erat, non quod (ut ipse calu-
mniabatur) ad Sacram Congregationem Inquisitionis Romam appel-
lâsset contra quasdam unius hîc Theologiæ Professoris Sententias,
sed quia aliunde meruerat. Ut inquam inde admitti peteret ad PP.
Cistersienses Koprinicæ, quo animum Suum post repulsam hîc
Posnaniæ a PP. Conventualibus S. Francisci nolentibus admit-
tere acceptam, inclinaverat. Verum nec Cistersienses, nec posdea
Norbertani Cœnobii Hebdoviensis illi se faventiores præstitêre.
Negaverunt omnino admissionem, nec nisi à Religiosis S. Bene-
dicti in Monte S. Crucis Susceptus est: idq ea lege, ut nihil quidquam
mali de Societate, quam deserebat, apud Suos loqueretur. Sed nec ibi
diu Substitit. Annus necdum elabitur, & ille R. P. Rectori Sando-
miriensi ad manus redditur eiectus è Tyrocinio, quod iuxta imma-
nitatem rigorosè peragere debuerat, degitque rursus Sandomiriæ Sub
clausura in Collegio.

In Julio eiusdem Anni 1676 Sub Solennibus In-
diciis quæ anthonomasticè S. Joannis vocantur inchoata est in
Tem-

Inchoata devotio Bonæ Mortis.

Templo Nostro frequente & præcipua & copiosa Nobilium coronâ Con-
gregatio Bonæ mortis ex assensu & grata Voluntate Adm R.
Patris Nostri iuxta mores & leges illius, quæ Romæ in Domo Pro-
fessa Societatis Nostræ erecta est pro utroque Fidelium Sexu. Finis
eius & Scopus est, præparare Suos Sodales ad felicem mortem, ean-
demque per Passionem morientis in Cruce CHRISTI doloresque
Bmæ eius Matris impetrare. Unde omnes fere huius devotionis
actus sunt ad Christum passum & B. Virginem Mariam doloro-
sam, totaque devotio Vespertina tendit in honorem trium horarum
quibus Christus moriens in cruce pendebat: Mater verò dolorum
assistebat. Prima huius Congregationis Solennitas celebrata est
24 Julii die Feriæ Sextæ quo etiam die & tempore inscribebantur
Albo Congregationis eorum nomina, qui huic Sodalitati annume-
rari expetebant & exoptabant. Et Nobilitas quidem promptior fu-
it quàm Civitas, ut pote necdum post tumultum nuperum bene
composita, exceptis iis, quibus factum displicebat. Inscripserunt
Libro nomina & Ecclesiastici Viri, præcipuè accedentibus tribus Cœno-
biis Sancti-Monialium S. Benedicti, S. Claræ, & Carmelitanarum
Lublinensium. Pro Actibus præfatæ Congregationis absolvendis ac-
censis circumcirca lampadibꝰ adornabatur Imago Christi Cruci-
fixi mere ad compassionem Sculpta & Altari Magno iam olim apta-
ta ac imposita. Manè Confessio & Communio expediebatur
præmissa ad illam bonamque mortem impetrandam accommodâ præpara-
tione Suggerente tales affectus P. Directore Congregationis protunc
hoc Officium Sustinente R. P. Rectore, (P. Barthol. Wąsowski) ut pote qui primus eam Posna-
niæ erigendi facultatem agens Romæ Procuratorem Provincialis Con-
gregationis, ab A. R. P. N. Joanne Paulo Oliva, Indulgentiàs ve-
rò à Clemente X. Summo Pontifice impetrârat. Curavit & methodum
eam devotionem peragendi una cum Suis affectibus tum Latinè tum
Polonicè expositis typo imprimi, additis ad calcem Libelli legibus prædictæ
Congregationis.

In Augusto pridem agitatum tandem dissolutæ Residen-
tiæ Medirecensis negotium peractum est, deduxit illud ad finem

in reliqua parte R. P. Rector ex Voluntate A. R. P. N. Joannis Pauli Oliva; Adversus hic semper fuit parvis Societatis domibus ob modicam in illis religiosæ disciplinæ observantiam, nec huius dissolutionem ægre ferre potuit, quin eloquentissime ad PP. Provinciarum Procuratores anno Superiore Romam congregatos ea de re locutus parvosq homines parva dare Collegia asseverans persuadere conabatr Provinciis ut nec tenerent, nec promoverent, nec admitterent talia Collegiola.

Restabant pro hac Residentia duæ Summæ donatæ & inscriptæ ab Illmo & Rdmo Dnô Alberto Tholibowski Episcopo Posnaniensi Fundatore illius. altera in Bonis Hekla, altera in Curia Civitatis Posnaniensi deposita & ad censum locata. Sed postquam à morte Fundatoris repugnante tali Fundationi Venerabili Capitulo Spoliata esset Residentia habitaculo, Ecclesia, bonisq eo pertinentibus, quibus Dispositus Nobis ex Voluntate Episcopi cesserat annuit A. R. P. N. ut etiam reliqua Solverent, Præcipuè, quia ipsi Successores Illmi Episcopi Perillres Dñi Tholibowscy urgebant, ut illis Summa una decem millium florenorum in bonis Hekla resignaretr ut iam vastata vendi possent tanquam imparia satis fundationibus usq multis. alteram decem itidem millium in Curia locatam ipsi pro usu Collegio Sublata Residentia idq sine ullo onere transfundebant, relinquentes insuper Societati omnem Sacram & domesticam Supellectilem atq Bibliothecam Satis Notabilem & usum Residentiæ olim datam. Rationes vero id petendi ab A. R. P. N. has adferebant. quia dissoluta iam esset Residentia, non Sua culpa & Studio, sed Patrum potius in ea deserenda facilitate, graviter ictus aliquot impetita Residentiæ ferentium, proindeq Se iam liberos videri a persolvendo, uti se liberam fecit Societas à Residentia. Tum quia qd maximum pondus habuit Bona prædicta Heklæ ita concidisse ut omnino imparia sint tam huic oneri persolvendo, quam aliis consimilium Fundationum Sibi impositis tolerandis. desiderarentq Successores ut saltem aliæ Fundationes ab Illmo factæ Antistite conserventr Salvæ qd fieri non aliter posset, quam si Summa illa decem millium tolleretr.

Residentia Meźerzecensis Soluta

Ergo

Ergo habita facultate ab A. R. P. Generali R. P. Rector cum Scitu R. P. Provincialis resignavit in Castro Posnaniensi Summam decem millium florenorum in Hekla locatam refundens eam in Illmi Episcopi Successores, ac vice versa Simul ibidem Perillris & A. Rdus Dnus Tholibowski Decanus Capituli Posnaniensis Nepos Illmi & Rdmi Fundatoris Suo Suorumq Fratrum nomine (quorum Singulares resignationes in Suis Territoriis faciendas procuraturum se suscepit) resignavit Collegio Nostro Summam decem millium in Curia Posnaniensi locatam cum Suo usu fructu ipsi Collegio & quidem Sine ullo onere Statim Servituram.

Eodem mense & Sequentibus Aula Studiosorum in Collegio Sita pulchram intus acquisivit faciem inventioso talium Capiti R. P. Rectoris eam debens formam. Novum hic ex toto Theatrum illudq componibile extructum est, et publicis Theologorum Philosophorumq Actibus, & exhibendis Dialogis Serviturum. Erectum a pegma artificiosa curiosum perspectiva octo vicum columnis. Complures variæ quantitatis & inventionis appensæ imagines quarum duæ Christi duodennis & Salomonis illustriores Sunt ut pote Româ advectæ. Addita pictura, Scamna, & reliqui eo pertinentium rerum apparatus.

Aula ad Actiones exornata

29 eiusdem Mensis repetiit Seculum Samuel Finckadi Anni Theologus, ultro hic dimissionem expetiit, brevi aliquam pœnam desertæ vocationis expertus ut pote diu cum periculo etiam mortis vario vexatus morbo, & inde Sibi molestissimo, quod repentinum accipiendo Sacerdotio iecerit obicem, quem ille ordinem ordinandis Sibi post egressum rebus maximè idoneum Summo conatu accelerare ambierat. Exclusus autem est è Societate post toleratam in Collegio inclusionem in ea duobus tantum ferculis, in refectorio vero pridie dimissionis publica per Miserere disciplina maceratus.

Samuel Finck Dimissus

In Septembri nunc primum Sæculare Jubilaeum Anni 1675 inchoatum est, dilatum tamdiu ab Illmo & Rndmo Episcopo Posnaniensi Stephano Wierzbowski in pœnam Nobilium per Comitidla Sua in bona Ecclesiastica statuentium militarem executionem pro Contri-

Jubilæum Sæculare

butione Capitali. Remissum tamen est de eo rigore. Processit in Archidiaecesi, cuius gratia commodius peragendi cum a Venerabili Capitulo Gnesnensi & nomine Perillris Sui Officialis Gnalis rogatus esset R. P. Rector, missi sunt ad confessiones ibi audiendas. P. Joannes Hostynski, P. Paulus Kostanecki. P. Theodorus Kreutz ille Theologiæ Scholastica, isti Philosophiæ Professores, tanto gratiores maioribus votis mansuri toto Jubilæi tempore petebantur, si tempus pateretur. Hos omnes magna humanitate excepit Præsens tunc Illmus Regni Primas & Cathedræ Archi-Præsul Andreas Olszowski. Durante verò in nostra Diæcesi Jubilæo maximus ex omnibus ut plurimum vacantibus in Nostro templo concursus tum ad Sacrum pœnitentiæ Tribunal, tum ad Sanctissimum Eucharistiæ convivium erat. Absq intermissione à pluribus mane & vespere confitentibus auris dabatur. Nulla dies Præterim ad decursum Jubilæi, quoad, v post meridiem ipsi communio non distribueretur. die ultimo ad horam à meridie usq tertiam & hoc divinum epulum et Sacra exomologetis Subministrabatur. Nec alibi Secularis hic Annus gratiæ Coronam Sui & coronidem accepit quàm in Templo nostro. Incidit terminus Jubilæi in diem B. Stanislao Kostka sacram (fuit autem Dominica 25 post Pentec. 15 Mensis Novembris) Decantatum Sacrum a Perillri & A. Rdo Dno Hieronymo Wierzbowski Præposito Capituli Posnan. una Officiali Gnali, uti & Vesperæ ac Te Deum laudamus in magno tam populi quàm Nobilitatis concursu nostris de Suggestu mane & vespere perorantibus.

In Octobrem incidit funus Vladislai Smigielski bonæ Indolis & Spei Juvenis. demortuus hic Augusto Sepultus nunc primum in Templo Nostro. Grammaticæ discipulus.

Eodem mense (exceptis per annum variis & multis Præterim de Clericis Studiosis) Spiritualibus S. P. Ignatii exercitiis excolendus Secessit ad Collegium Nostrum Illmus Dnus Petrus de Onin Opalenski Capneus Medirecensis idq post recens absolutum funus Coniugis Suæ Ludovicæ itidem Opalenska sed alterius Domus. Moratus est in iis prosequendis ac una Jubilæo consequendo toto octiduo Sua & mensa & aulico ad obsequia usus.

Admissus Primas Regni, petit submitti Confessarios.

Posnaniæ cum plausu finitum Jubilæum.

Smiglecki Grammaticus mortuus.

Exercitia S. P. obit Capitaneus Medirecensis.

December illud potissimum dedit, quod cum à Nostris in Comitiolis Sredensibus tunc habitis Supplicatum esset, ut nomine Conventus Generalis Varsaviensis Sub idem tempus decurrentis, rogaretur Sedes Apostolica pro decernenda Canonisatione B. Stanislai Kostka Compatriotæ nostri, eiusq negotio terminando: promptissime admissum sit, appromissaq in urgendo negotio fortis executio.

Epilogum huius Anni aliorumq paulo Antecedentium inde Sumimus, unde Sui exordium & maius incrementum accepit Societas universa. Sunt autem æviternæ Mgri Dni Adriani Pominski Ensiferi Posnanien. Collegii bonorumq Nostrorum infestationes, quibus famosus hic Societatis etiam Universæ persecutor nos exagitat. Vicinus hic bonis nostris Krzeckowice dictis adeo molestus Subditis, familiæ, bonisq nostris est, ut cathalogum tricarum et iniuriarum texere otiosissimum sit. Sufficiat semel pro semper de illo dixisse, quod totus quantus nihil aliud sit, nisi perpetua Nostri vexatio, interminabile odium. Missis enim iniuriis quas in dies cum Subditis Sustinemus, homo in omnes lites promissimus alienoq tantummodo malo sane pessimus vivens varia Nobiscum non solum Judiciorum Subsellia & Tribunalia, sed etiam Comitiola implevit. læsurus procul dubio & bona & famam nostram, ni levitatem oris inconsulti graviores auctoritate homines toties repressissent, nostræ verò favissent causæ.

Comitiola Sredensia spondent [illegible] tentari Canonizationem S. Kostka.

Ind. Pominski de Societate pessimè meritus.

Annus Dñi 1677

Adm R. P. Joannes Paulus Oliva Præp.tus Gñalis.
R. P. Stanislaus Branicki Præp.tus Provincialis.
R. P. Bartholomæus Wysowski Rector Coll.g

RR. P. Provincialis. Ill.ssimus Abbas Bledzevien.sis hospites in Collegio.

Annus hic cum mense Januario Sui initium accepit à Visitatione R. P. Provincialis quo etiam tempore ac Sæpe deinceps adibat Collegium nostrum ibidemq' per aliquot dies commorabatur, Illmus & Rdmus Abbas Bledzevensis Joannes Casimirus de Bnin Opalenski tam Singulari in Societatem affectu propensus, ut cum corde Sua etiam in Collegio deposita asservaret. Quia tamen plerumq' miscent, mediis gaudia luctibus non levem quin imò gravissimam Nobis Subditisq' Nostris molestiam attulit panis hybernus pro Staticis militum extradendus. Ita ille exoticâ militum malevolentiâ è Subditis Nostris extorquebat, ut præter pecuniam quæ illos contingebat, requisiverint pabula, ligna, brassicam, & quidquid vi extorquere possent contra Solitam Regni ordinationem & concessionem. Speciale istud licentiæ militaris argumentum Sit, quod quia ligna betulæ Sibi advehenda optarent illa Sibi Siekierciis usq' Bukum Spatio quinq' milliarium distantibus apportanda imperârunt. Oppressionis autem huius Seu origo Seu occasio inde processit. Erat olim ante Annos decem mos iste in usu, militi panis hybernus ex bonis Ecclesiasticis dabat, ea ratione, ut quilibet Episcopatus, Capitula, Abbatiæ, Beneficiarii Conventus & Collegiâ conveniret cum milite illuc destinato, tantumq' pecuniæ impenderent, quantum facta conventione Se daturos appromiserant recisâ omni dependentiâ bonorum Ecclesiasticorum ab illis Similibus. Tandem Episcopi posthabito tali modo (procurante id nomine totius Ordinis Ecclesiastici Illmo & Rdmo Archiepiscopo Gneznen.si Nicolao Prazmowski) Statuerunt pacisci uti defacto facti Sunt cum Illmis Ducibus Exercituum de toto pane hyberno, appromittentes Se ex bonis Ecclesiasticis daturos quinquies centena millia florenorum. Qua conventione facta Episcopi iam ut Suos alleviarent Subditis alienis ad Suas dyæceses pertinentibus maiorem imposuerunt Summam, ac onera, Nostra Certim Collegia ita aggravantes, ut Calissiense coactum fuerit extradere pro uno Anno septem millia florenorum. Eaq' in oppressione hucusq' manent Collegiâ, panem hybernum Distributoribus Dyæcesium assignantibus prout cuiq' placet plus vel minus.

Pressura ingens Collegii, ab exotico milite.

In Februario magnum & peropportunum favorem expertum est Collegium à M. D. Petro Radziminski eiusq' Coniuge Cathanna. Habuerat ille pridem firmum propositum Vicinum horto Collegii hortum Sat justum multisq' ex agris ac pratis attinentiam habentem donare Collegio, Seu potius transfundere Nobis ius illud q.d habuit in illum pro Summa duorum millium florenorum. ab Illma Palatina Junovladislavien.si Rozrazewska Vidua (qui hortus erat ex bonis Mariti Palatini eiusq' Filiorum) Sed cum Subito graviq' morte interceptus non posset adire ~~libros~~ acta quib.s Jus Suum Nobis inscriberet, ex Consilio Jurisperiti cuiusdam eam Summam jusq' in hortum legavit testamento Consorti Suæ, tam Vitâ quam eiusdem propositi. Hæc postea, quæ Maritus non potuit, explevit, inscripsitq' ac transfudit Collegio Jus Suum totum facto Nobiscum contractu ut advitalitium Sibi permitteremus usum. Ex cuius postea consensu Intromissio facta 27 Martii & permissa. Statimq' occupati horti Sepirientia correcta, & viâ ambulatoriâ ex antiquo horto deducta in Signum possessionis exercendæ citra tamen ullam advitalitiæ Dominæ injuriam.

Hortus venit in possessionem nostrum.

Hoc eodem Februario ad Comitia Varsavien.sia protunc habita Citatum est Collegium Nostrum à Civitate, eo q.d Sub tempus Interregni protraxerit Magistratum ad Judicium Capturale pro illatis Violentiis Domui Bursæ Nostræ Sitæ in Suburbio S. Adalberti, ubi pro Bannitis declarati Sunt Cives. In his Judiciis Comitialibus absoluti illi quidem Sunt ab hac Civili excommunicatione, Sed magis de gratia ac favore, quam de Jure nunquam opinor in Suo robore Sub interregnis conservando. Quis enim facilè credat per illud Decretum ita absolvi potuisse Cives ut nulli Sub tempus Interregni Subsint Judicio præterquam Regis, qui utiq' tunc nullus est. & Capturalibus Subsit tam Nobilitas Universa quam Senatores. Nihil tamen ea in parte Collegium perdidit, nisi quod pro absurdo in quorundam Senatorum Sententiis allegabat, tamen in Civitatis gratiam, decretoriè decisum est.

à Civibus citatur Collegium ad Comitia Varsavien.

Aprilis Solâ Perillris ac M. D. Capitanei Golubien.sis Nicolai Victorini Grudzinski liberalitate memorandus est. qui templo ædifican

2000 fl. data templo

cando consecravit duo millia florenorum. designato Sibi ibidem Sepulchro ad Latus Matris Suæ, ut penes eam tam natus quam mortuus quiescere videatur.

Majus in novum Collegio fructum refloruit, augendo illud Typographiâ. Quarum prima usu iam deserta empta est Cracoviæ à R. P. Rectore, altera per R. P. Mlodzianowski comparata, eo temporis in Aulica missione Illmi Palatini Cracoviensis Alexandri Lubomierski commorantem, breviq; Sua opuscula nonnulla ac Conciones eodem prælo imprimentem. Duo ejus præla Sunt, minus unum, regale alterum. Vitis autem ac fundamentum præliq; immediatum fusa Sunt ex aurichalco. Ad corrigendos insuper characteres literarumq; Varietatem rite formandam Seu instituendam fusor advocatus. Sita est Typographia ac collocata in Vicinio Scholæ Parochialis circa Turrim Collegio incorporatam, Mediâ dom Congregationis locô, quo ad eam collocandam amplior inveniri non poterat. Ad praxim & lucem educta est in Juliô.

Typographia Comparata.

In Junio Fabrica Templi continuari cœpit desinentibus ab ea inchoata annis non paucis. Ac primùm, post Omissa complura anno præterito præparamenta, cœpit ædificari in facie templi, tum deinde per latera iactis insuper nonnullis fundamentis iuxta ideam eius recentem visam ac approbatam ab Admi R. P. Nostro. Sumptus ad eius ædificationem habeo ex Domo Tuczyniana, apud Judæos conservatus apud quos detentam Summam Perillres Fratres Joannes & Casimirus Tuczynscy Collegio inscripserant pro Templo Suasu & ductu Perillris & Mgcæ Parentis Suæ Mariæ Tuczynska de Domo Leszczynska quæ etiam ex peculiari animi Sui in Societatem propensione plurima in eandem fabricam contulerat circa tempus belli Suetici.

Summa Templi apud Judæos

Decima quinta die Mensis eiusdem mortuus est P. Stanislaus Kanski vir plenus dierum & virtutum. Vnicum eius tota fere vita Officium fuit, Collegio in Juribus administrandis, Civibus, in piis operibus obeundis Subservire. Vere Operarius Comite ubiq; ædificatione diligens & exactus.

P. Stanislai Kanski mors.

Hunc bonum Patrem brevi Secutus est M. D. Adrianus Poninski Vexillifer Posnaniensis, qui illi ac Collegio litibus vel ex minima atomo excitatis ita molestus fuit, ut nulla Subsellia vacua forent ad quæ nos & illum non Sisteret, cum magno rubore nostro iam in adagia adductus. Creditumq; proinde est a plerisq; illum fuisse a Patre Stanislao ad forum illud ultimum evocatum ita insuper Nobis divina Providentiâ adspirante ut duos eius Vexilliferi ex fratre Nepotes ad Societatem vocaverit non sine magna Spe ac optima Societati educandos.

MD Poninski adversarius Nr mortuus.

Sub eundem Mensem die S. Joannis Baptistæ. Sacro Subsistens Oleuæ Serenissimus Joannes III Rex Poloniæ, in præsentia R. P. Rectoris, causam inibi Collegii agentis, in Corona verò plurimorum Senatorum tam Sæcularium quam Spiritualium ad Convivii Regalis pompam assidentium, facta Sibi attentione, propinavit additis Votis nominavitq; ad mensam Suam in Episcopum Kiovien Sem R. P. Adrianum Pikarski Professum Votorum 4 Suum Concionatorem, quam ille gratiam eâ animi modestiâ & Significatione accepit ut pro Voti Sui exigentia iocum modestè interpretatus pro taliq; esse voluerit.

Serenissimi Joannis III. favor in nostros.

P. Pikarski Eppus Kijov. Nominatus

Ab eodem etiam fere mense, ducto principio multis in locis Poloniam pestis invaserat, quo mali contagio, ita vicina Nobis Cujaviâ ac Bidgostiâ incessanter arsit, ut vix hyeme exhausta Saniori aura respirare inceperit. Omnes Posnaniæ hanc mali translationem expectabant & metuebant, miraculo eam à peste immunitatem passim adscribentes & defacto iuxta rei meritum iudicabant. Inter hos igitur timores ut incolumitati Collegii prospiceret R. P. Rector ad Sanctorum Patronorum auxilia imploranda conversus, præter alia, concepit votum excitandi Mausolæa Singularia SS. Martyribus in templo Nostro repositis, quorum tamen reliquiæ Sparsim tantum & nondum adornatis arculis inclusæ asservabantur. Bono exquisitæ Devotionis Consilio pestem una ac mortem ne per plures vagaretur Sanctorum Mausolæis includente, quos insuper ea etiam intentione Roma Posnaniam Illmus ac Rdmus Lucas Koscielecki Episcopus Posnaniensis advexerat ut repetitam tunc Singulis fere annis pestem eorum patrocinio compescere, quod & factum erat, ut nunc iisdem recognoscit Collegium gratiam.

Pestis.

In Julio ante majus Altare manu R. P. Rectoris baptisatus est Judæus Adolescens una cum Sua ex Sorore Nepte iam nubili præmissâ eorum à Nostris instructione. Hæc nomen accepit Mariannæ. ille Joannis Baptistæ, Adolescens Patrinum habuit M. D. Gronowski cum M. D.

Judæus et Soror eius baptizati.

M D . Skretuska Vidua. Puella M D Zachariam Ignowski & M D Mariannam Pogorzelska, quæ etiam hanc Spiritualem filiam Suam, in curam accepit, Addlescentem verò eius Germanus frater M D Bronikowski.

Augustus dedit terminum litibus cum Civitate excitis nuper ratione tumultûs facti in exitu Decembris Anni 1675. Advertit Civitas non modicam Nostrî in negotio promovendo diligentiam, ac promptum Regis Serenissimi in Societatem Animum, cæpitq́ R P Rectorem invitare ad Compositionem compellentibus se insuper ingentibus sumptibus futuris, quibus parcere maluerunt. Maximumq́ in eo perficiendo laborem posuit Præsidens tunc Civitatis D. Szultz Vir satis eruditus & in bonum publicum promovendum intentus. Hec etiam R P. Rectori de Consilio Suorum visa est respuenda Compositio, amplexusq́ est eam his potissimum adductus rationibus. 1mò Quia plus lucri Collegio situm erat in Compositione quam in lite, præpue cum Civitates ipsos Reges defensores ordinarie habeant, ne vel eorum Iurisdictio lædatur vel Cives opprimantur ab aliis ordinibus. 2do. Plurimorum ad Aulam ex parte Civitatis amicorum favor & gratia; donariis etiam submissis empta; obstinatusq́ animus Cancellarii Regni & Generalis Maioris Poloniæ Illmi Ioannis Leszczynski qui pro Civitate contra Collegium obfirmatissime stabat. 3tio. Exempla aliorum Collegiorum in simili materia tumultuum monebant litibus non fidendum. Præterim cum Nobilissimos quoq́ Iurisperitos in Suam partem Civitas traxerit & præoccupaverit adeo, ut Collegium vix aliquem inveniret, quem consuleret. 4to Dato in rei veritate non infrequentes fuerunt occasiones Civitati adhunc tumultû à Studiosorum insolentiis, affectata conniventia illorum, qui eos compescere tenebantur, accitis. potissimum verò pondus addidit hæc ultima occasio, quâ contemptus & percussus est Præsidens Civitatis à Studioso temerario, cum tamen ille Regis locò habeatur à Civitate, quæ statim ad tuendum honorem Præsidentis Sui tumultu excitato percussorem capere destinavit, seu domo, seu in Collegio illum perculsis in templo interea evadentem. 5to Simulabat ad eandem Compositionem sperata non sine vano metu similium exemplorum subiectio Studiosorum Iurisdictioni seculari non solùm in Criminalibus maioribus, sed etiam in minoribus, cum insuper defacto instet Constitutio Regni Anno 1650 data, quæ Studiosos universos in talibus facinoribus Iudicio regio & nobilium subiiciat, licet ejus usus necdum unquam Posnaniæ ad effectum deductus fuerit. 6to. Non leve momentum habuit & ista ratio, Quia Cives collegerant Argumenta partim falsa partim vera proferenda sub litibus coram Assessoribus alisq́ Viris Amplissimis quin & coram Sacra Regia Majestate, quæ ad ruborem Collegii ad vilipendium Scholarum Nostrarum saltem quoad disciplinam Scholasticam notam aliquam inurerent. Magno deniq́ ad eâ Compositionem incitamento fuit Nobis attendenda brevi ex assensu A R P. N decreto verò Provinciæ, Promotio Literaria ad laureas Doctorales, contra quam, cum certissima Cathedralium ac Capitularium, cæterorumq́ Academiam Cracoviensem dentium impugnatio speraretur, congruum videbatur, ut saltem Civitatis non haberetur hoc in Puncto offensa, sed recenti conjunctione animorum conciliata. Compositionis Puncta hæc fuêre a R P Rectore porrecta & à Civibus acceptata. 1mo ut sola semper esset Iurisdictio Collegii in Studiosos, nec ad ullum unquam protraherentur forum nisi ad Nostrum, prout hactenus in usu fuit. Ad quod se submiserunt Cives. 2do ne in similibus casibus tumultus unquam excitaretur contra aliquem Studiosum, idq́ sub vadio decem millium florenorum. Atq́ totum salvo Iure aliorum, qui prætenderent injuriam tunc sibi illatam sub eo tumultu, non turbando ullatenus Collegium, cui Vadio concedendo, licet contrarium opposuerit Illmus Cancellarius Regni a nobis debuit dissimulari; sub fide tamen publica & honore cautio est, & ~~Libris~~ actis Castrensibus inscripta præsentibus & sua Nomina ponentibus Viris ternis ex ordinibus Civitatis, Consulatu Scabinatu & Communitatis. 3tiò ut more Majorum suorum sint Cives in Societatem benevoli, prout eam animi benevolentiam apud se meruisse videtur Societas jam ab Annis centum labore impenso Civitati proficua. 4tum additum Punctum à R P Rectore ne Civitas Spoliatoribus Congregationis assisteret ullo auxi

Compositio negotii cum Civibus, ratione tumultûs superius nominati.

Puncta Compositionis Civibus porrecta a R P. Rectore.

80

21

auxilio contra quos agebat in Nunciatura. Stetitq; hæc Compositio 24 Augusti, datâ postridie, ac inserta Castro Posnaniensi quietatione Civium à Processu nomine Collegii à R. P. Rectore, concessâq; omnium amnistiâ: Quo etiam Domini, nomine Civitatis venientes ex Consulatibus, ipse D. Præsidens, ex Scabinis et plebe Submissionem Subscripserunt, appromittentes Civitatem nihil acturam unquam contra Studiosos, & si Casus intervenerit Criminalis, relaturam Seid ad mutuam conferentiam cum R. P. Rectore. His peractis in Castro recta ad Collegium cum deprecatione venit D. Czeszkiewicz cum aliis satisfaciendo Conditioni datæ à R. P. Rectore inter alias Supra allatas. Post breve tempus etiam Spoliatores Congregationis seu Sodales, qui se et pleraq; ex rebus Sodalitatis Civicæ amoverant redierunt. indulsit R. P. Rector quod interposita mediatione Primorum ex Magistratu illos relictis litibus in Nunciatura, ad Sodalitatem receperit, non tamen ad ea Officia quæ ante gesserunt. Qui etiam de Processu quietati Sunt, deprecatiq; publicè Collegium ac Sodalitatem in Congregationis loco. Atq; hîc omnibus invidiosis actibus finis impositus est.

Spoliatores Congregationis petunt veniam.

Septembre currente, in quem ea cum Spoliatoribus Sodalitatis Compositio fere inciderat, incœpit Canalis muratus Subterraneus extrui ad emundandum Collegii tractum item à Sordibus Civitatis ad Nos confluentibus. Cum enim in declivi Urbis huius locum insedent Collegium nostrum delabentium per declivia platearum aquarum ac Sordium meta, ne per apertum ea Sentina mali ut Solebat decurreret, circa templi aspectum ac Collegii elatus est prædictus canalis Subterraneus ambiens tam Collegium quam Templum usq; ad aream Rusticam post templum dato jactoq; initio a plateola Monialium S. Benedicti ante portam Scholarum.

Canalis muratus, positus ad emundandum tractum Collegii.

October mensis dedit id tandem Nobis, quod optabat diu Provincia Nostra: Anno 1672 ab A. R. P. N. in Congreg. Provinciali expetivit ac impetravit. Nempe Promotiones ad Laureas Doctorales Posnaniæ peragendas ad ritum & normam Collegii Romani. Facta enim-verò est Promotio ad Lauream Theologicam duorum

Promotio ad Laureas concedit Posnaniæ.

Viro-

Virorum gravium ex Archidyœcesi Gnesnensi (eo fine ne Officium Episcopi in eos aliquid posset agere, si forte se opponere voluisset) Primus illorum fuit A. R. D. Joannes Kurzewski Canonicus ad S. Georgium Gnesnæ ac in Ecclesia Metropolitana Poenitentiarius, Præfectus Seminarii, ac Simul Theologiæ Moralis Professor. Secundus A. R. D. Joannes Josephus Modrzynski Pænitentiarius itidem in eadem Cathedra Archiepiscopali; ac Præpositus Wrzestensis. Istâ autem ob hanc actus Solennitatem temporis opportunitate usi Sumus & non aliâ, tum nè post absoluta recens Comitia ita facilè turbaremur ibidem à Cracoviensibus. tum ne Cracoviam interea peste devastante liberum esset inde aulam Sollicitari ad impediendum. Adfuit huic Actui Illmus & Rdmus Coadjutor in Episcopatum Posnaniens. Casimirus Joannes Opalenski Abbas Bledzevensis Singulari in Nos ac in eam Solennitatem literariam benevolentiâ ac affectu, conciliatis insuper Animis ac præsentia tam Rdmi Officialis, quàm reliquorum Cathedralium, qui omnes in carsum abire hunc actum contendebant. adfuêre et ex Nobilitate præcipua non pauci. Ac licet brevi contra prædictam Promotionem Nostram à Magistris Scholarum Cathedralium protestatio facta fuerit, quasi ea, in præjudicium ac privilegia Academiæ Cracoviensis gesta forent; ea tamen Nobis minimè oberant, cum & nullo jure & vana ac temerariâ contradictione præsumatq; à Cracoviens. unam tantum Academiam in Polonia debere esse, & insuper in eodem Consistorio Reprotestatio contra Protestantes reposita Sit à Collegio.

Semini Canonici promoti.

Protestat contra Nos Academia Cracoviens.

Sit reprotestatio à Nostris.

Eodem etiam Mense in pago Stawno dicto, ubi Collegium ex antiqua obligatione curam hospitalis habet, Septem pauperibus in Xenodocomio collocatis victus competens constitutus & provisus est. Conductus & Sacerdos ad missas menstruas absolvendas pro defunctis benefactoribus ejusdem hospitalis. nempe ipse Parochus. tum ob tenuem ejus Sustentationem, tum ob tempellum vastatum, ultimaq; ruinæ proximum. Donata eidem hospitali est Crux & calix argenteus casula, item alba in locum deperditæ; quæ omnia deposita Sunt ibidem, exponenda toties, quoties ad usum R. D. Parocho, ab eo, qui præest hospitali.

In pago Stawno provisus victus in paupere hospitali.

Item Sacerd. adductus ad missas celebrandas pro defunctis benefactoribus.

In Novembri die 14 Solennitas B. Stanislai Kostka

ex duplici Capite festivitateq absoluta. Tum quia ipse Illmus Coadjutor Sacris operatus est, mensaeq cum aliquot Capitularibus adfuit, Tum quia novum eo die Monstratorium expositum est manibus ac diligentiâ Unius è Nostris F. […] elaboratum, cujs medium ex auro perfectum est liberalitate M. Dn'a […] Rogalinska Viduae. Conopaeum verò conforme Monstratorio è bombyce & partibus nonnullis cupreis deauratis.

Annus Dn'i 1678

Adm R. P. Joannes Paulus Oliva Praeptus Gn'alis.
R. P. Bartholomaeus Wasowski Praeptus Provincialis
R. P. Joannes Hostynski Rector Collegii.

Professio 4 Vot. P. Lucae Zegocki.

Seposito Januario, in quo nihil Speciale dicendum occurrit, Februarius Solennis fuit facta Professione Vot. 4 R. P. Lucae Zegocki Philosophiae tunc in Logica Professoris. Cui Superstes adhuc adfuit Perillris & Mgc'a Dn'a Capitanea Kostinensis Mater Sua non Sine tenerrimo animi in filii Solennitatem & actum Sensu.

6000 fl. inscripta Collegio.

Eodem etiam mense alia Vidua ac Capitanea Perillris & Mgca Dn'a Catharina Grudzinska de Domo Przyiemska donavit Collegio ac inscripsit Summam Sex millium florenorum in bonis Suis recipiendorum.

Majo Mense ex Solita Capella Germanorum ad Collegii Scholas in Caemeterio S. Mariae Magdalenae Sita facta translatio est ad Tempellum SS. Omnium anteunum circiter annum restauratum post ruinam bello Svetico acceptam.

R. P. Wasowski Provincialis datus.

Annus hic insignis erat primo auspiciis Novi Praesidis Provinciae R. Patris Barthslomaei Wasowski post regimina Collegii Posnaniensis: deinde liberalitate Perillris Dn'ae Capn'eae Bolemoviensis Catharinae Grudzinska de Domo Przyiemska. haec Semper benevolo in Societatem animo pendebat: benevolentiae addita munificentia: nimirum 6000 fl. in bonis Suis Collegio inscripsit. Illud quoq inter notanda retulimus, quod in hortum, qui Rozrażevianus erat, obtinuerimus Intromissionem.

Haec domi. funestiora extra. Illmus ~~Boguslaus~~ Joannes Leszczynski Vir & avito nomine & Suo memorandus, quippe qui ingentes Titulos ac honores, ~~[illegible]~~ Cancellarius Regni, tum Palatinus Cracovien, Gn'alis Majoris Poloniae praeclarè Sustinuit mortuus est. Caeterùm brevi reparavit orbitatem, quae amisso Generali luctuosa fuit Majori Poloniae inauguratio Illm'i Joannis Opalenski Palatini Brestae Cujavien. adiit brevi urbem & Arcem magnifico Nobilitatis comitatu deductus: et Nos Illm'i excepimus oblata panegyri: deductae insuper in Theatrum Scenae biduo plauserunt Novo Generali. Hymenaeis quoq Illm'i Petri Opalenski plausum est panegyri Epithalamicâ: erat is Illmi Gn'alis Frater Germanus, Capitaneus Medirecensis mox Palatinus Lenciciensis ac tandem Generalis Poloniae Majoris. & quod summè amavimus, Societati addictissimus.

Boguslai Leszczynski obitus.

Joannes Opalenski Generalis majoris Poloniae.

Annus Dn'i 1679

A. R. P. Joannes Paulus Oliva Praeptus Gn'alis.
R. P. Bartholomaeus Wasowski Provincialis.
R. P. Joannes Hostynski Rector Colleg.

Devolvimur in Annum 1679 immanem funeribus aliquot quae ideo huc referuntur, quod vel Maecenates Sublati Sunt, vel nostro Sepulchro illati vel morituri Supremè à Nostris adjuti. Primum funus occurrit Illm'i Andreae Grudzinski Palatini Posnan. è cujs munificentia Collegium habebat ligna foco & aedificiis. Secundum Perillris Annae Zegocka Capitaneae Costenen. è cujus beneficentia 150 florenorum cesserunt Templo, Collegio quoq Supellex. desiit vere Piotrovii in pago Collegii, disposita à Nostris: adfuit morienti P. Lucas Zegocki è Societate Filius eiusdem Perillris. Corpus in Sacello Civium compositum ad diem funeris, ubi quotidie missae peractae tam à Nostris, quàm ab externis Sacerdotibus. Cineres tandem in Nostro Templo reconditi, pluribus Sacrificiis litatum est pro Anima; Elemosina abunde in pauperes erogata. Illm'ae

Funus Andreae Grudzinski Palat. Posn. Item Annae Zegocka & dispositio erga filios Suos.

quoq

Mors Illmae Palat. Crac. Leszczynskae

quoq; de Konari Leszczynska Palatinæ Cracoviensi annus hic Supremus erat. à P. Młodzianowski disposita. & M D Albertum Wilczynski annus hic consumpsit, tumulatus in Nostro Templo. Fata autē

Mors Casimiri Rossman.

Dni Casimiri Rossman Viri in hac urbe Consularis ad fastos ideo reducimq; quod à P. Pęski in Parochia Concionatore dispositus sit, & quod ante

Complicat nu. perniti tumultus.

Supremum morbum P. Gaspari Druzbicki votivum anathema appenderit, viresq; primò resumpserit, & quod olim animo minus æquo in Nos ferreretq; ob tumultum ante biennium exortum.

P. Lucas Zegocki mors.

Collegio quoq; fatale tempus id, P. Lucam Zegocki Professorem Philosophiæ Sustulit è vivis repentina morte. Postquam enim accubuisset Mensæ languere cæpit, & tandem in gratiarum actione post Cibum apoplexiâ correptus non Spiravit ultra horam. Mortui vices in Prælectione Philosophiæ Suppleuit R P Rector. Deinde Tho-

C. Thomæ Bagenski mors.

mas Bagenski Coadjutor temporalis extinctus. Erat is ætatis decrepitæ & Spectatissimæ integritatis ac vitæ Religiosæ. Pater autem Joannes Skrzez extremè valuit, jamq; munitus Sacramentis Supremè

Patrocinium V.P. Druzbicki.

Spirabat, Sed a R P V. Rectore commendatus Patrocinio P. Gasparis Druzbicki resumpsit vires.

Tres Philosophiâ Laureâ insigniti.

Anno hoc tres Theologi externi Subiêre examen in Cubiculo R P V Rectoris pro Philosophico Doctoratu et deinde in Aula Collegii magno Ordinum concursu promoti.

Collegio 800 fl. Templo 200 aurei, dati.

Illmus Dnus Nicolaus Grudzinski Capneus Golubensis insignis Templi Nostri benefactor cujus munificentiâ assurrexêre muri, Singulariter adiit Collegium Templumq; Sæpius, obtulit 800 florenos Collegio, deinde 200 aureos ad Templi Fabricam.

Capsa Sanctorum.

R P Provincialis Mausolea Cineribus Divorum ex voto, quod imminenti periculo pestis cæperat, erexit.

Annus Dni 1680

A R P Joannes Paulus Oliva Generalis.
R P Bartholomæus Wąsowski Provincialis.
R P Joannes Hostynski Rector Collegii.

Complanatio cum M.D. Skorzewski.

Complanatio amicabilis circa Prætensiones M D Primi Skorzewski, qui contractu reemptionali tenuit bona nostra Scilicet Lugi ny & Kaleie, facta est, iuxta Decretum Judicii, & tandem in Collegio Sequentibus diebus finita, et utrinq; Subscripta: recepimus deinde bona in præsentia duorum Nobilium ac Ministerialium Regni.

Citati in Officio ob testamentum M.D. Zegocka.

Eodem anno intentatæ Sunt lites Nobis in Officio ratione testamenti Perillris Dnæ Annæ Zegocka. urgente M D Kieglewski Vexillifero Schovensi. Obiecta inprimis Nobis Suppressio Testamenti, Sed patuit Innocentia, tandem pro Nobis Decretum Stetit. Tum per multas dilationes Causa hæc agitata est, impedimenta Semper Objecta, ne approbaretur Testamentum. Citati insuper eramus ad Tribunal Regni ratione 5000 millium inscriptorum Templo a Perillri Zegocka, prætendebatur Jus M Dnæ Vexilliferæ, quæ erat Filia defunctæ Capitaneæ ad hanc Summam, cum tamen illa abrenunciaverit omni Successioni in Castro Schovensi.

Mors Virginis Wolinska. quæ dedit Collegio 4000. fl.

Nobilis Virgo Anna Wolinska fæmina pluribus à Deo donis cumulata vivere desiit. hæc plures annos ad Templum Collegii exegit Magnorum pœnitens Virorum. Ultra votum castitatis, quo se à Pueritia obstrinxerat, voverat curam maioris perfectionis & electionis, quidquid Sibi videretur perfectius. Cæteris quoq; Virtutibus, ac præsertim in egenos clementia & liberalitate enituit. Collegio quoq; inscripsit 4000. Cineres in Nostrum Sepulchrum illati Sunt.

Calix oppignoratus, vindicatus est.

Calix aureus, quem urgentibus Collegii indigentiis in pignore 4000 M D Domiechowski detinebat, repetitus est: persoluta a Nostris 3000, quartum 1000 à Conjuge Vidua ejusdem Mgci, condonatum Collegio.

Annus Dñi 1683.

A. R. P. Carolus de Noyelle Præptus Generalis.
R. P. Stanislaus Branicki Præptus Provincialis.
R. P. Bartholomæus Wąsowski Rector.

Initio anni currentis Collegii regimen Vicarium penes R. P. Bernardum Reymer erat, postquam R. P. Młodzianowski ante triennii finem ad aulam Illmi & Rndmi Præsulis Crac: assumptus est. Evolvente se tandem Martio novum Pridem Salutavimus R. P. Bartholomæum Wąsowski, & statim ad veris initium Templi fabrica, quæ cessaverat, renovata, nova item Scholarum fundamenta iacta, veteri aulâ, quæ ante Collegii januam constabat dejectâ.

Novus Rector Collegio datus R. P. Wąsowski.

Anno hoc junctis Viribus Poloni ac Germani Turcam profligaverunt ad Viennam, tandem Poloni Soli ad Parcanum; Victoria hæc ingens & vix seculis memorabilis. Ante belli exordia Jubileum indictum, cum Vienna obsidione teneretur. Crebras ergo Nostri pœnitentium confessiones excepêre, Singuli quoq; quasi pugnarent pro Christianitate Orationes, mortificationesq; addidêre, quasdam ad Imperium, quasdam ad votum R. P. Provincialis. Toto belli tempore & deinde in gratiarum actionem exponebatur Venerabile horâ post meridiem quartâ, Litaniæ de omnibus Sanctis recitatæ, ad quas Studiosi quoq; confluebant.

Victoria ad Viennam.

Magna Forensis controversia hoc anno finita est, de onere Sex millium florenorum Polonicorum Pago Siekierki inhærentium, à quibus annuus census dari debuit Venerabili Koninska Moniali Clarissæ Calissiensi ex eodem pago. Recuperata sunt hæc Sex millia ex bonis Emptoris Dñi Koninski Patrui illius Monialis, qui pro venditis Siekierki totam Summam à Collegio acceperat cum deberent ex illis Sex millia fratri Monialis, quæ illi Successit, & Tribunal eidem adiudicavit Successionem & jus censuum. Jam igitur hæc Sex millia à Creditore Dñi illius Koninski, hoc est à Dno Grodziecki recuperata sunt hoc anno, et ex illis provisio datur Moniali, & jam non ex Siekierki, post fata verò ejusdem Monialis eadem Sex

6000 fl. in Siekierki haerentia [illegible]

millia

millia Successoribus ejusdem Monialis debebunt reddi. Debebat autem Dnus Grodziecki novem millia Dno Koninski, & inde ex Decreto Tribunalitio sex Moniali, 3 verò Collegio in compensationem tot censuum expensorum, & quidem non habitâ Summâ à Collegio, adjudicata sunt. Non tamen hæc compensatio est sufficiens, cum per tot annos trecentos florenos Collegium persolveret, & insuper initio Causæ judicatæ expensa sunt Moniali duo millia.

In reliquo Annus hic nihil habet notabile, quod fastos mereat.

Annus Dni 1684

A R.P. Carolus de Noyelle Præpositus Generalis.
R.P. Stanislaus Branicki Præps Provincialis.
R.P. Bartholomæus Wąsowski Rector. ad Julium
inde, P. Thomas Dore

Auspicium Anni duximus ab insigni devotione Procerum, qui in reditu è Comitiis ad Nostrum Templum confluxerunt, frequentesq̃ interfuere Solennitati Circumcisionis Dominicæ. Pari frequentia conclusimus Bacchanalia.

Joannes Opalenski Palat. Brest. moritur.

Exordium Quadragesimæ funestavit mors Illmi D. Joannis Opalenski Palatini Brestæ Cujaviensis Gnalis Majoris Poloniæ. Fatum istud Societati nostræ luctuosum erat, quod Studiosissimum Nostri Mæcenatem amiserimus. Magna ille pretia Religionis nostræ habuerat, quod & vivens pluribus documentis consignavit, & tandem moriens, quippe cum in supremis ageret & moribundo plures è Familiis ordinum Religiosorum qsto adessent, nostro Patri expiavit se confessione nostrorumq̃ in manibus exspiravit. Funus deinde ad Nos delatum proseguente, Procerum, Cleri, Religiosorum Nobilitatis concursu, pæne Universa Majori Poloniâ. Biduo litatum est pluribq Sacrificiis, duæ Conciones habitæ, prima à quodam è Nostris, altera à Franciscano. Apparatus funebris sine pompa, & luctui Christiano conformior quam superbo dolori. Tumba vili panno instructa in pavimento, qd itidem vile pannum instraverat, composita, ad urnam sex faces col

collucebant, ad altaria plurimæ; quod suprema voluntate statuerat Religiosus Heros, uti etiam ne in laudes Familiæ defuncti excurreret. Præstitum id à Nostro, Concio enim proponebat modum magnificè moriendi. Scholæ complorationi publicæ addiderunt picturas, emblemata, elogia; panegyris quoq̃ Illmis Episcopo Culmensi & Palatino Lenciciensi dicata à Collegio. E templo funus deductum ad Civium Congregationem, inde post dies aliquot Osiecznam.

Eppus Culmensis et novus Gnalis Salutat.

Junio decurrente Rdmus Casimirus Opalenski Præsul Culmensis (& sæpius eodem anno) invisit Collegium; in area Scholarũ à Juventute Nobili salutatus, adfuit concertationi Theologicæ, Thesesq̃ sibi oblatas humanissimè excepit. Ecce inter disputandum adfertr Præsuli nuncius collati Generalatus Illmo Palatino Lenciciensi suo fratri. Mox novus Gnalis confert se ad Collegium & subito plausibus (interrupta tantisper disputatione) excipitur.

S. Xaverius Patronus Urbis eligitr.

Ineunte Julio Sanctus Xaverius (Authore Perillri & Rdmo Stephano Moręski Canonico Posnaniensi, Præposito D. Magdalenæ) ab Urbe Patronus deligitr, mox in Sacello Superiore Templi D. Magdalenæ altare erigitr, tandem imago Divi, quam & Ars & pretium commendaverat, solenni pompa ac tripudio deducitur. Ferebatur è Templo Nostro Nostrorum humeris effigies Xaverii, ibant currus Triumphales, & comptè elaborata fercula, prædebant Primores Civitatis caeteriq̃ Incolæ, Succedebant Patres Bernardini, deinde Clerus, tandem Nostri, imaginem comitabantur Illmi Præsul Culmensis, Generalis Majoris Poloniæ, Palatini, Posnaniensis & Podlachiensis, Castellani, Posnaniensis & Rogosinensis, cæteraq̃ Illustria Procerum & Nobilitatis nomina, ut totum forum nec non plateæ obsiderentur. Juventus verò Studiosa more militari instructa & in ordinem digesta, equis generosissimis vehebatur. Totus hic triumphus ibat per circum fori, tandem intulimus pompam D. Magdalenæ ædibus, ubi Votiva Missa de Divo, Concioq̃ peracta, imagines S. Xaverii præsentibus oblatæ. Hæc Cleri, Procerum, Nobilitatis, & Incolarum Urbis studia in Divum, Religiosæ Familiæ parum addictæ videbantur Cultui S. Xaverii, quasi suo nomini detraheretur, quod pietas in Apostolum Indi

Religiosæ Familiæ debeitant obsistere Processioni

* triumphalis pompa.

diarum conferebat, quidam Ordo invitanti ad Processionem Perillri Praeposito & ipse id Obsequii negavit, & quasdam Familias Religiosas, consilio, precibusq retraxit, Soli adfuere Bernardini.

Ingressus Illmi Generalis Majoris Poloniae Petri Opalenskii. Plausus a nostris ipsi dati.

Triumphum Divi paucis post diebus excepit Solennis in Urbem Atrem ingressus Illmi Generalis Petri Opalenski. Plausit honori Illmi Collegium primo instructissimo Studiosorum equitatu, deinde panegyri ac Dialogo duobus diebus celebrata ornate & magnifice. Adfuit exhibitioni Illmus Generalis, Procerumq frequentia.

Duo Judaei baptizati.

Sub idem tempus duo Juvenes Judaei rudimentis fidei instructi in Collegio, atq à Rdmo Hieronymo Wierzbowski Suffraganeo Posnaniensi festo S. Patris fonte Baptismatis abluti.

Fabrica et alia, ferventiq instaurata.

Anno hoc diviso opere sudatum est in Fabricam, nam et Templi facies exstructa adornataq & Schola, quarum anno superiore jacta sunt fundamenta, altius surrexêre, & canalis subterraneus, qui templo imminebat, aliò versus, & aquaeductus, quem vetustas corruperat, restitutus, cumq antea subintraret Refectorium non sine incommodo, alio deductus.

Mors C. Romanowski.

Eodem anno Carissimus Georgius Romanowski Coadjutor Temporalis è vita, Carissimus autem Petrus Zelechynski è Stii Anni Theologus è Religione decessit.

Zelechynski Dimissus.

Annus Dni 1685. et 1686

A. R. P. Carolus de Noyelle Praepositus Generalis.

R. P. Stanislaus Branicki Praepus Provincialis.

R. P. Bartholomaeus Wąsowski Rector. ad 11 Julii 1686

ab 11ma Julii Rector P. Thomas Dore.

Raphaël Koszucki ex vulnere moritur.

Annus hic auspicatè currebat, & altissimâ pace, nisi mors Domini Raphaelis Koszudzki Logici aliquantulum res turbasset. Erat is paulò fervidior, retinens tamen modestiae. Sub vesperum elabente Decembri contulit se memoratus Adolescens, in domum, cui, labes nulla, ubi ortâ levi rixâ, seu levitate Paterfamilias domum invadi conclamat nec id solum per nocturnos Urbis custodes deducit, qui efferâ crudelitate involando in paucos Juvenes, Raphaeli tam

tam grave vulnus in caput inflixêre, ut nulla medentium arte curâq sanari potuerit. Mense igitur Februario extinguitur Adolescens, hinc nonnullorum in Nos querelam quasi conniventiâ peccatum sit, sed injuriosa haec criminatio: quia nec severior vigilantia cohibet impetus juveniles extra Scholam, & postea diligenti Judicio patuit Innocentem oppressum esse, ideoq & ductor Satellitum & Paterfamilias in carcere conjecti Supplicio destinantur.

mors ejus nostrae negligenti vigilantiae imputatur.

RD. Wilczek obiit.

Eodem mense Senio confectus R. Dnus Andreas Wilczek Parochus ad S. Martinum Posnaniae Sancti obiit, à Nostris per dies aliquot dispositus adusq Supremum agonem. Erat is & Amicus Nobis, & munificus, semperq operâ Societatis in Concionibus & Cathechismis utebatur. Suprema Voluntate Notabilem Eleemosynam & Bibliothecam Collegio legavit.

Contra Jus Canonicum querela Academiae.

Contra Jus Canonicum, quod primum anno hoc aggressi sumus voces protestantis Academici exsonuerant in Comitiis Sredensibus. Sed repressa animosa cujusdam è Nostris Oratione exnunc; ajebat venales potus hederâ designati eo tamen confluere magis emptorem, ubi melior potus propinatur, ita si accuratiori operâ pertractaverit Jus Academia non defuturos illi Auditores.

Fabrica Templi hyeme urget.

Fabrica Templi nec hyeme cessavit. concameratio ligneorum fabrorum opera ex integro in Templi parte quae exstat peracta: odea sex a partibus constructa ineunte tandem vere columnis ad summum erecta, et sua cuiq coronix imposita. Crux quoq in facie Templi deaurata imposita est, Cateraq in frontispicio peracta. Scholarum itidem opus reassumptum notabiliter assurrexit.

Infirmus Patrocinio V. Druzbicki convalescit.

Unum è Nostris gravior infirmitas divexabat, cumq medicorum industriâ parum proficeret devovit se aeger patrocinio piè defuncti Gasparis Druzbicki & brevi è toto vires resumpsit.

1686 **Julius.** Cum Posnaniam Sendomiria venisset 7ma Julii ejusdem undecimâ, ad Benedictionem Primæ mensæ promulgatus est novus Rector P. Thomas Dore. Status Collegii, ante omnia retro tempora, quoad sustentationem difficilis, tum ob ingens rerum ad victum spectantium prorsus extraordinarium pretium, (quod, inter Judicia, frequentia Nobilitatis auxerat) ita ut bos unus fl. 70 aut 80 æstimaretur, pisces pro uno prandio fl. 40 et supra quandoq́ exigerent) tum potissimum, quod inciperet tunc difficilis aut nulla monetæ Solidariæ acceptatio, argenteæ autem defectus esset

Mutatio Rectorum

Festivus S. Patriarchæ dies magna celebrium Hospitum frequentiâ, tum Externorum, tum Nostrorum, qui supra 20, occasione causarum in Judiciis tractandarum confluxerant, celebratus. Fecit ad Aram solemniter Perillis Rndus [illegible] Stawowski Suffraganeus Gnesnensis qui in Triclinio quoq́ cum altero Suffraganeo Vladislaviensi et Canonicis duob. Gnesnens. Archidiacono etiam et Canonicis aliquot Posnaniens. communi mensà acceptus. aderat eidem Referendarius Regni et Nominatus Camenecens. Perillis Rnd Gninski Abbas Wagrovecensis et aliquot Externi &.

Festivitas S. Pris.

Accepta in decursu Julii missa à R. P. Provinciali Personarum dispositio, quæ numero facultates Bonorum desolatorum sustentationi illi impares prægravabat, nisi opportune tunc Providentiæ Cælestes occurrentibus Eleemosynis subsidium attulissent.

Augustus Perillis Capitanea Usciensis Gembicka, quæ Puerum Templi Nostri Discantystam subduci curaverat, metu ulteriorum difficultatum, quæ ab intentato illi aliàs Jure imminebant, et jam Citationibus et ex Contumacia in Judiciis tunc currentibus urgebantur, componere nobiscum tentavit, pueri pretium florenos trecentos offerendo, duosq́ insuper ex suis subditis, ad similem qua subductus obligatus erat Inscriptionem. Quod cum mediante interventu aliquorum è Nobilitate fuisset acceptatum, mutavit illa ipsa Consilium, seq́ Processu ulteriori Juris urgendam permisit quo factum causa ad Petricoviens. Regni Tribunal devoluta.

Circa Puerum Musicum Lites

Eodem Mense recepti à Gener: [illegible] Matocki fl. 300 pro 600 quos olim b. m. Virgo Regina Malachowska, Bonorum nostrorum Mater familias, pro sua erga Collegium Devotione nobis dicaverat ac in Bonis Witaszyce sibi inscriptos monstraverat. Ut vero trecentis interea contenti essemus, causa fuit, quod Collegio id esset utilius, quam Juris impendia continuare, et tandem nihil accipere ob extremam Bonorum illorum desolationem, ita ut præter sterilem fundum jamq́ diu incultos agros, nullum aliud vestigium Pagi restaret. Sola restabat spes, si quis fundum illum, ob viciniam suo fundo emere vellet sed heres illum vendere non potuit nisi onere isto levatum, adeoq́ neq́ nobis ex illo pendere, et Consulti CC. ita faciendum censuerunt. accedente etiam interventu Magnorum Virorum Jidem PP. CC. non sine approbatione P. Provincialis censuerunt, ut contenti essemus millibus quatuor pro sex millibus, quæ Gnus Osiecki Vexillifer Brestens. in Bonis Murzynowo Scerentia habuit. expensis diligenter et inter Consultorum judicia versatis pro parte utraq́ rationibus. ex quarum consideratione patuit, et Bona quibus hæc summa inhærebat esse desolatissima, nec eos qui a 4000 millib. numeratis sperari possent proventus ullo modo suffectura, et Jus nostrum ex multis respectibus videbatur dubium. Quod si patuisset, (patuisset autem si jure decernendum esset) in periculum etiam hujus quod accepimus amittendi nos conjecissemus, ac saltem bene minus obq́ non sine impensis obtinuissemus. Reddita summa hæc P. Præfecto fabricæ.

Eleemosyna Reginæ Virg. Malachowska recepta

Summa pro Fabrica ex Murzynowo levata fl.

September. Continuata Judicia. in quibus nostræ quoq́ Causæ aliquæ agitatæ, ac ad Subsellia Judiciaria remissæ. Sub idem tempus Gnus Morawski et Gnus Korytkowski qui post mortem Gnsi Blaszkowski Bona Viduæ Consortis illius, pulsâ illâ, occupaverunt cum Testamento memoratæ Viduæ, totam nobis ejus supellectilem, Inventaria Pagi in Jumentis &c. inscripta viderent, Jureq́ contra se actum, iri ac agi jam pro recuperandis testamento dicatis viderent, componere nobiscum per Amicos laborabant. Sed cum obstinatius aut nihil prorsus dat modicum, nobis millea aliquot requirentibus, concederent, innixi Statuti decretis, in quo præter vestes Currus et Equos nihil illi deberi plus exprimitur, frustra tunc ut componeremus laboratum.

Causa circa Legatum Gnsæ Blaszkowska

In eodem Mense gravavit nos Hiberna pensio, cujus nobis pretium impositum fl. 1800. unde porro maximè gravem habuimus quod cum moneta currenti non acceptaretur, Imperiales pendere debuimus quorum pretium cum tunc esset florenorum sex et grossorum 25 a nobis acceptari non sunt nisi fl. 6. unde jacturam in singulis florenis gr. 15 tolerarimus.

Pensio Hiberna gravis [illegible]

Dispositiones Personarum explicantur

Minus sperata Dispositio R. P. Provincialis facta est, Patre Janiszowski Joanne Positivæ et Controversæ Theol. Professore ad Petricoviensem Cathedram destinato. Cujus futuræ ignarus Illmus Palatinus Lanciciensis Ontis Joris Poloniæ, fecerat jam instantiam apud Rectorem Collegii, ut apud R. P. Provincialem desideria illius pro obimpetrando ad Aulam suam. Ex quo respectu jam ex domestico Consilio fixum erat, illum retinere, ac R. P. Provincialem de circumstantiis hac edocere. Sed cum informatus Illmus esset de voluntate R. P. Provincialis, a proposito et instantiis ut sic retineretur recessit, postquam spem sibi factam videret, finitis Petricoviæ ad festa Paschatis Judiciis, votis suis potiri posse, sponte sua recessit, atque ab illo demum tempore suo illum Aulæ applicari, datis ad R. P. Provincialem Literis postulavit. quod deinde ita etiam, nempe à Festis Natalitiis obtinuit. misso sine successore in Cathedra P. Wierzbicki. cujus sic Concionarii ad B. Magdalenæ munus translatum in P. Casimirum Wolski qui ana cum Lectura Scholastica Theol. hoc Officium tractavit, usque ad Anni finem.

M. D. Royalinska in Aram Salvatoris Dono v. Monile illi exornandæ sua vulgo devotione donavit

M. D. Anna Rogalinska pro sua ad Iconem B. V. quæ in Ara Salvatoris exposita fuit, vulgò Medytatorata, devotione, illi exornandæ, obtulit donum Clenodium aureum, quod Aureos numero 97 appendebat. Atque inde est illa Aurea qua se nunc tegit Vestis. cum Marginibus argenteis operâ et arte Cmini Fratris Michaelis Manczykiewicz laborata. Addidit symbola M. P. Raus Aureos 5 et Imperial. 4.

Visitatio Collii et in illa Decreta.

October Hospitem dedit R. P. Provincialem qui inter alia in Lustratione Collii decreta, statuit aliqua in Consultore cum Præfecto utriusque et Magistris circa scholas. eaque inter, ut Diebus Festis, nisi in Majoribus Solemnitatibus aliquando aliud visum fuerit, Minorista Grammatici et Infimistæ non adsint Concioni, sed cum majore fructu, Lectione spirituali ac Historica attendente uno ex Professoribus scholarum suppleant in scholas. [illegible] [illegible] prætextu suam pro sodalibus celebrari soliti, quod nonnisi soluto Cœtu in templo celebrabatur, et ordinarie Concione inchoata, et quandoque dimidia finem accipiebat, plurimi sodalium, aut Concione neglecta ad Hospitia pergerent, aut magno Concionatoris incommodo importune tumultuario adventu obstreperent, placuit ut deinceps constituta (quæ commodissima [illegible] videbatur 8va) hora Sacrum primo diceretur, illo autem finito, tum demum Cœtum facerent, ac consuetis incumberent Devotionibus ac [illegible] sodales. quæ, ubi tempus

concionis appetere nunciatum fuerit etiam interrumpere ac Concioni adesse diceret

November. Habuit Collegium sortem in Niezamyskie Pago hæreditario Generosi Poninski Pocillatoris Vschovensis certam minutam sortem non ita pridem cum bonis Dabrowa emptis eorundem bonorum appendice ab iisdem tamen intervallo unius circiter milliaris discontiguam, in qua est unica parva casa, quam inhabitat subditus Collegii cum illa emptus horti tantum modici dominus. Totus ex hac sorte Collegii proventus est Nostrates floreni duodecim. Habet præterea Collegium in eodem pago præter lacum compendiosæ magnitudinis & cum obstantibus piscationi impedimentis jus piscandi in lacu hæredis pagi, ita ut tertium piscem capiat cum onere tertiam partem impensarum in rete magnum seu niewod pendendi. A tempore possessionis hujus sortis occasione propinationis Cerevisiæ, quam dubio satis jure prætendebat Collegium nunquam id hærede pagi tanquam sibi præjudiciosum permittente, cum nulli subditi Collegii, qui Cerevi-

siam illam distraherent in illo pago per-
manerent, Unde cruda subditi & rusticelli i-
stius vexationes & eorum, qui Cerevisiam inde
derivarent oriebantur, denuum decem Circiter duo-
rum Circiter Annorum non sine sumptu fructu
nullo lites. Disceptatum ergo coram Rever. Patre
Provinciali an ad hasce molestias redimendas fun-
di istius, quod Generosus Boninski offerebat Sex-
centorum aut Septingentorum florenorum pre-
cium plura ubi ad rem & licitationem ven-
tum fuerit oblaturus esset acceptandum. Uno
consensu sicut in privata etiam domestica con-
sultatione visum fuit judicarunt omnes ex
rationibus sequentibus acceptandum, tum quia
commutatio hac erit in aliquid evidenter
melius, quando memorata summa pro
fundo illo tam modici proventus accepta fue-
rant anni duodecim, piscatio autem per totam
ab empto pago Collegii possessionem nulla
fuit nec fere esse potuit, aut Census de-
cies quam nunc penditur major, aut sta-
bile aliquod quantum per Regni leges licebit
comparabitur. Tum quia alias inevitabiles ma-
nent cum haerede pagi lites, quas nunc etiam biennio
circiter contra illius violentias actores longe majore impendio
quam novem etiam annorum ex fundo illo proventus sperari
posset, continuamus parva lucrandi causa, nisi spe, certis autem in tribus pagi

dif-

difficultatibus vexationibus et damnis. 3 Mortuo illo nostro
rusticello, quod illi tum aetas illius jam annis gravis, tum calamitosa
valetudo (pedibus nempe captus manuali tantum levi aliqua opera
vitam sustentat) minatur, etiam minuti illi annui Collegii Proven-
tus cessabunt; cum ille sit absque Haerede. nemo autem alius, ad has
quas in illo spectavit vexationes, succedere ad illam casam audebit:
qua etiam ipsa vetustate jam ruinosa collabente, aut (quod timeri non
sine fundamento potest) procurato incendio sublata, locus ille sterilis et
sine ullo Collegii fructu remaneret, forte a Collegio amplius non reaedifi-
candus, in spem scilicet tenuis, et ob dictas vexationes non ambiendi
proventus. 4 Videtur quoque habendus Personae emere hunc fun-
dum volentis respectus intentionisque emendi: quam non aliam habere vide-
tur, (et quando plus offert, quam commodi ex emptione sperare possit,
fidem facit) quam ut tollat occasionem dissidiorum cum Societate
mento sibi, ut ait, ex respectu duorum quos in illa habet Nepotum, ca-
vendam; Persona quoque ipsa, est ejus inter Nobilitatem auctoritatis
quae in publicis occasionibus, in utramque partem bene vel male de nobis
merendi habere facultatem videatur. Haec atque similia in me-
dium prolata, quamquam R.P. Provincialem convincerent, probaretque
ille venditionem, ipsa tamen illa est illa tenuela, pro qua alienanda fa-
cultas A.R.P.N. sit procensanda. Quod his ipsis rationibus a P.P. CC.
Collegii subscriptis in Urbe actum est obtentumque jus vendendi, quo in
sequenti demum anno mense Octobri usi sumus.

Ad 21 diem hujus mensis, cum tabulatum, quod sub fornice templi fuit
dissolvendum esset, monstrandumque quod hacterus supra tabulatum latebat pars
superior templi cum Capitellis, & dum minus caute substructiones, et fulcimenta quae
ad securitatem respectus posceret, submoverentur, tigno majore violento
lapsu ruente, aliaque impellente aut trahente, magna strage ad pa-
vimentum templi magna sui parte corruit: non sine damno, facile ta-
men in Capitellis, et ornamentis aliis reparando. Concussi, graviterque illa ipsa
substructione vulnerati aliqui, usque ad periculum vitae faber lignarii,
et cum his unus ex nostris C. Jendrzejski qui et Praefectus fabricae longe
fuit, grande et periculosum vulnus in capite retulit, quod plenium mensium

Ruina Tabulatu templi

spatio et multa boni Fratris patientia aegre curatum. Speciali Divinae Providentiae acceptum retulimus, quod non plurium, etiam Nostrorum qui tunc supra tabulatum illud stabant, nisi celeritate sibi consuluissent in se submovendo, strage facta etiam casu hic praeterito. Instaurata celerrime quae [illegible] strage erant reparanda submotoque reliquo tabulato Templi fornix cum suis ornamentis ad diem S. Stanislai Kostkae, frequentia multa Nobilitatis celebrem, patuit.

December. Cum Instantia Ill[mi] Palatini Lanciciensis Generalis Majoris Pol: Petri Opalenski, adhuc in Septembri pro impetrando ad Aulam suam Patre Jo: Janiszowski 3a Lect. Professore apud R.P. Provincialem proposita, nihil tunc effecisset, eo quod Pater ab ignaro adhuc desiderii Ill[mi] Palatini R. Pre Provli P. Janiszowski per emptione esset evocatus Petricoviam Concionatore carentem, visum est R. P. Provli hoc demum mense, votis Ill[mi] obsequi, privatis insuper causis R.P. Provto nostris id deposcentibus. assignatus igitur ex Collo nro Ordinarius ad S. Magdalenae Concionator P. Wietrzbicki, qui P. Janiszowski euntem ad Aulam Palatini succederet. quod et factum hoc mense. P. autem Janiszewski ad memoratam Aulam pergere recusans, ad Posnaniense Collm spectare jussus. In Collegiata vero cum in promptu Concionator non esset, impositum est onus concionandi Patri Casimiro Wolski Theologiae annum 3[um] decurrenti, non invito.

Exculti Spiritualibus Exercitiis duo primae Hostia ad Aras oblaturi et ante hos superioribus mensibus 4. aliquot [illegible]. Ex iis quae privatim ... annus [illegible] Juvenis quidam ex Nobilibus, vitio impudicitiae moris deditus, ut emendaret se, Mater ejus mortua in somnis illum admonuit ut obtemperaret uni nostrae Societatis homini, Magistro olim sui in Materia quam illi indicaret. Rursum eidem nostro Mater illius in somno dixit, ut moneret filium sui de pessimo contra pudorem more contraque castimoniam. Simul contulerunt ambo somnia sua. Noster indicavit Materiam in quo illum mater commonitum esse voluit, agnovit monitus, et emendavit.

Alt. Janiszewski datus ad Aulam Ill[mi] Generalis majoris Poloniae

Quidam impudicus a Matre cui id in somno innotuit, reprehenditur.

Annus Dni 1687.

A.R.P. Carolus de Noyelle. Praepositus Societatis. A.R.P. Dominicus Maria de Marinis ad diem 29 Junii Vicarius Generalis.
A.R.P. Tirsus Gonzales Praepositus Generalis
P. Jo: Hermanni Praepositus Provincialis.
P. Thomas Dore Rector Collii

Annum hunc initiavit orbitas Societatis denuntiata hoc mense, ex morte A.R.P. Caroli de Noyelle, ad diem 12 Decemb. an. proxime praeteriti. Decedens nominavit Vicarium Societatis A.R.P. Dominicum Mariam de Marinis. Inchoata hoc mense Piscatio, minus ex eo commoda, quod remotiore quadragesima pauci essent, qui Piscium delectu facto pro Collegio, reliquos distraherent. quin et ipse pro Collegio delectus non plane utilis fuit, quando et in transmittendo illo Posnaniam sex circiter milliaribus jactatio plerosque extinguebat, et acriores [illegible], e fontibus in piscinis aquas alias in patrio lacu assueti non ferrent. Fuit tamen usus piscationis hujus ultra mediam Quadragesimam in sufficienti abundantia, poterantque pisces universim aestimari florenis sexcentis.

Sepultus hoc mense in Templo nostro. Mag. D. Christophorus Marszewski qui ut hoc obtineret facultatem R.P. Provlis conciliavit insignis Collo fl. 1000. quos apud suos Creditores monstravit pro vindicandos.

Ill[mus] Generalis, Palat: Lanciciensis cum in filia ac filiola sua infirmitate opem pro voto S[ae] Mem: P. Gasparis Druzbicki implorasset, et nunc jam aliunde speratis subsidiis remediisque obtinuisset, id, gratus beneficii per suum Capellanum recognovit, ac argenteam tabellam illius Sanni dicata misit.

P. Martinus Schartt, 4ti anni Theologus approbante R.P. Provinciali donavit Collegio florenos mille, cum vero tantundem R.P. Provinciali Collegium deberet, summas inde tulit, Creditum vero suum, quod ab illo sub Rectoratu P. Wasowski Collegium pro pensione militari hibernâ contraxerat, remisit. Sed postea repetiit eleemosyna 500 a P. Praeft contenti fuere.

Puer Discantista, de quo in mense Augusto et martio cum illius occasione obtenta super usurpatricem illius Capitanea Ustensi Pertto Zembicka ejusque Marito Baritio, causas illius in Tribunali moraretur, aliquot Nobilium interventu et complanatione, memoratae Celsi Capitaneae, cum jam praesertim non parum de voces gratia amisisset ac proxime reliquam amissurus putaretur, transactum est, persolutis pro ejus institutione fl. 250.

Mors A.R.P. Admodum Generalis Caroli de Noyelle.

Votivum donum Patri Druzbicki factum

Causa circa Musicum finita

quæ Bursæ applicati, emptusq́ pro illis Census apud Judæos. addictis Collegii, reliquis ad florenos 800 desideratis. Memoriæ nostræ

Februarius.

Complanatio cum Illmo Culinæ Præfecto Gałecki

Illmus Sigismundus Gałecki Culinæ R. Præfectus, ex antiqua cum Collegio, ratione Censuum a summa Rozrażewiana, per multos annos retentorum, compositione, qua pro 20 circiter millibus, ad persolvenda 3000 se obstrinxerat, cum diuturnis instantiis ac etiam Citationibus et usq ad Judicia Tribunalitia processu nihil ab illo extorqueri posset, in Judiciis Petricoviensibus Tribunalitiis, captatis ex medio Judicum assessorum cum Auctoritate Mediatoribus apud P. Procuratorem Causarum Provinciæ, præmonitum sine licet, ne ad ullas præjudiciosas Collegio Compositiones descenderet, neq aliter quam novem millibus cum eo transigeretur, effecit, ut tamen sublicet Plenipotens Collegii cum eo componeret, et pro Novem, quinq millibus nos esse contentos juberet. Firmataq́ ea Compositio, decreto et subsellio illo Judicum auctoritate, etiq usq Judicii. Reclamatum sui Impositioni ad primam nostram, tanquam privata auctoritate et nobis contradicentibus factæ. duæq ac ad Augustum usq suspensum Debitorem teneimus. ac [illegible] cum illo pene iterum resulta ea compositione decernere. Causæ exitus ad memoralia hoc anno mensis recensendus.

Scenica Mysteriorum Passionis diebus Quadragesimæ Dominicis repræsentatio

Quadragesimæ Dominici dies confertissimâ in Templo nostro populi frequentiâ celebrati. invitante ad spectaculum scenicâ mysteriorum Passionis, singulis Dominicis, non sine motu ad bonum, repræsentatione.

Mors D. Hieronymi [illegible]

Mortuus hoc mense [illegible] Wierzbowski, dispensavit illum ad æternitatem ex Collegio Patribus. ante mortem misit Collegio per P. Krasszewski fl 800. totidem à morte a Germano suo ex relicto a se peculio gravi satis, ordinavit. Requisitus nihil præstat. nec urgeri potest, Paterno tantum postulato, nullo autem Codicillo ad eam pensionem obligatus.

Martius.

Civium expostulationes quod lucra illorum diverterimus

Deputati duo a Magistratu Posnaniensi Cives cum aliquot Civitatis Opificibus Civibus venientes expostulamant quod in præjudicium variorum opificiorum illorum opere exerceantur ac nominatim Cera dealbata et Candelæ divendantur, aurifex Faenstrany Frater noster, præter ea quæ ad usum Templi præstare potest, extraneis

artem locet, nominatiq́ quibus id officii exhibuerit expressi, Medicamenta et Civibus et adventanti Nobilitati ministrentur, ipsiq́ ægroti a nostro Apothecario, tanquam Medico visitentur. Quia negari omnia nostra poterant diluenda non erant: De Apotheca satisfactum, quod illius usus nonnisi Amicis et Benefactoribus præstet, Nobilitati vero adventanti excusari quandoq́ non possit. nec illa cogi, ut ex Civitatis Apothecis, non ita ut putant illi, instructis medicinales species derivent.

PP. Prædicatorum erga nos officia etiam cum sua tolerantia

Instantiis Conventûs Ordinis Prædicatorum datum est, etsi non sine respectibus ad paratas inde invidias, ut unus ex Scholasticis nostris Theologis ad Sacrum Divo Aquinati Thomæ diem, in Ecclesia eorum Panegyrim Divo diceret. Ingens inde Academicorum, tamquam præscriptione id sibi arrogantium motus, suffragantibus etiam Cathedralibus: qui, ut postposita, Sacerdotes ad eos usus adhibitæ Academiæ vicem redderent, Pœnitentiarium quem ab antiquo ex hoc Conventu, non sine ejusdem emolumento habebant, suâ illa statione movent, non restituendum donec PP caverint deinceps non alium ad hæc annuatim Rostra, adhibendum, Oratorem, quam ex Academico Collegio. Accepit eam denuntiationem magno animo R P Prior Conventus illius P. X Woliński, multaq́ prudentia negotium transegit, ita ut neq́ damni quidquam, restituto in locum suum Pœnitentiario Conventus pateretur, neq́ servitutem eam in imponenda Lege memorati Oratoris admitteret, ac in libertate eum eligendi invitandiq relinqueretur. affectumq erga Societatem se potiorem damni etiam sui habituum, et in annum etiam sequentem simili invitatione Oratoris, non obstante indignatione aut Academiæ aut Cathedralium, testatus sunt. Panegyricum autem ipsum festo illo die habitum typo mandari rogavit, atq id annuente R. P. Provinciali obtinuit. tum ob hoc propensionis erga nos experimentum tum ob plura alia, quæ nullo invidentium respectu, per reliquum nobiscum commercia probavit, loco hic et ad posteros memoranda.

Mense hoc celebrata Cracoviæ Congregatio Provincialis ad eligendos Congregationi Romanæ pro Electione Supremi Præsidis Societatis mittendos. Profectus sunt ex hoc Collegio (duobus, per morbum P. Jeglewski, per incommoda itineraria, quibus ætas illius impar fuit, Pre Wąsowski excusatis) cum Rectore P. Jastowski Joannes et P. Kruszewski, qui inter Electores electus, n redit hic a finita Congr.

In Augusto Mense obiit sic disposita per nostros ad
aeternitatem disposita Perill. Czarnkowski primo loco
Conjux, mox Perill. Gnezdowski Subdapifer [illegible] a quo deinde
legitimo divortio separata fuit. Hoc autem mense in nostro
templo sepulta. quod ut fieret Perillis Filium toties obtesta-
ta est. Sed ille quaesitis obtentibus, contradicente etiam cum
Auctoritate Officio Spiritualis Fori, noctu cadaver Polajewum asspor-
tavit. tandem memoria et religione materni inter suprema placiti
mandatique convictus, hoc mensibus sex elapsis transtulit, atque
nihil ad funeris pompam ultra desiderantibus exequiis, illam in
maternorum votorum executione moram, et ea intervertendi consilium,
compensavit. Etsi, tam Templo quam Collegio sterile tunc et pro-
missis tantum dives funus fuit. Oratorem sacrum gessit P. Casimirus
Wolski Scholasticae Theologiae Professor simulque Ordinarius in
Collegiata Concionator, et avocato ad Provincialem Congregationem Re-
ctore Collegii V. Rector.

Sepultura Perill. Czarnkowska.

Aprilis. nihil fere habet memorandum nisi
quod profugus ab Israelitis Juvenis, usitata hic ex Schola-
sticae Juventutis equitatu pompa ad sacrum fontem deductus.
Panegyres duae soluta ligataque Eminentissimo Cardinali Donhoff
Romam per R.P. Provlem ad Comitium Societatis Generale unum
deportandae, Panegyris item Eminent.mo Cardinali Radziejowski, Pri-
mati mox Regni laborata.

Baptismus Israelitae

Panegyris Eminen-tmo Dynhoff.

Majus Mortua M.D. Romiejowska Tribuni Posnan. Conjuge,
Filia autem M.D. Mieszkowski Subjudicis Posnan. uterque instituit
ut tanquam illi, quae nostrorum in extremis cura spirituali (quam prae-
sentes cum aliis pluribus consanguineis, cum aestimatione Societatis pro-
babant) ad aeternitatem esset expedita, etiam jus sepulchri in nostro
templo concederemus. Quae erga nos inclinatio Domus istius tanto
magis aestimanda fuit, quod Majorum suorum sepulcrum apud Pres
Carmelitas discalceatos, impensis suis extructum, et tot jam exuviis
suorum depositis usu haberet longo confirmatum. Intercessere Dest-
natis hisce, non sine aspera, et perstrichendis Societatis expressi

R.P. Discalceatorum Carmel. affectus [illegible]

hostilitate P.P. Discalceati, continui Hortatores, ne defuncta
a Majoribus suis tumulo secerneretur. Frustra quidem erant omnes
conatus, et tamdem Patri maritoque libertatem omnem reliquerunt.
rogati tamtum ut Cadaveri ad diem sepulturae in nostro templo futurae.
Locum concederent, cum obligatione, illud in tempore extradendi. Locum
prompte offerunt, onus extradendi admittunt, fide religiosa, et sub
poena transferendae Posterorum Domus Mieszkowianae sepulturae
alio, jacturaque beneficiorum, quae hac occasione per multorum millium In-
scriptiones in Ecclesiam illam ac Claustrum ipsum conferebantur. Sed Cada-
vere sub memorata fide accepto, et illius extradendi tempore, primum
tergiversari, cum fide promissi, testibusque ejus acriter urgentur, ad Pro-
vincialem causam rejicere, tandem obfirmate nolle extradere. Exacerbati
plurimum Pater et maritus, nihil vel a persuasionibus vel ab intentanda lite
omittere, nihil obstinatis persuadent, et denique victi, quia interventu alioru
per Patres quaesito, quia ipsorum importunitatibus, et nostrorum, aedificatio-
nem, quae ex hac nobiscum collisione pati non parum posset, ante quaecunque
demum ex hac apud nos sepultura commoda reponentium, hortatu; eo jam
solo contenti, quod sacer in funere Orator, quem statim a morte invita-
verant, unus e nostris esset futurus. At Patres eventu, quem impor-
tunitate ac obstinatione obtinuerant, et inde insultatione, non contenti, etiam
Concionatorem, quemcunque alium, modo non esset ex Societate, protestati sunt.
protestati sunt. Id vero, etiamsi sine Oratore sacro funus esset cele-
brandum, se non permissurum testatus M.D. Subjudex, sed nostrorum persua-
sioni manus dedit, et tam obstinatae necessitati, invitus paruit.

Junius Ad diem hujus 27 vixit ultimum Pr
Joannes Piglowski Primus in Provincia Professorum, Aetas illi fuit An-
norum 82 In Societate an. 63. quos potissimum in Concionatoris officio
per celebres in Provincia Cathedras exegit. Rectoris officium Rava e-
xercuit. Vixit omnibus amabilis. post exactos hoc loco annos aliquot in
Spiritualis Patris munere, quod satisfaciente etiam per aetatem valetu-
dine, cum suorum Poenitentum satisfactione, usque ad ultimum morbum
gessit. In Confessionibus audiendis quotidianus fuit etiam tunc cum jam
morbescens pedes aegre moveret. Vitae communis studiosissimus, ita ut
nihil sibi extraordinarium apponi pateretur etiam profligata aetate
et lecto affixus. Paupertatis studium et observantiam, quaesita toties quo-
ties pro minutulis, ut jenculo, aeu cereo facultate, comprobavit.

P. Piglowski moritur. Long[aevus] in Provincia [Professorum]

Dum Residentiam Valcen. lustraret Anno praeterito R P Prlis, ne Rationes examinaret, propositum sibi habuit, quod aliquando Valcen. Residentiae summam 2000 in Collegio forte Posnanien. depositam, mutuo ad redimenda Bona Sie-kierczyzna Collegium acceperit, ejusq rei memoriam in monimentis Residentiae exstare, nullam autem, an aliquando creditum hoc restituerit. unde rem mutuo cum Rectore Collegii ac P. Superiore conferri mandavit, et restitutionem urgeri. Factumq id hoc mense, et monstratis sibi in Resignationibus Rectorum documentis convictus P. Superior summam illam, transcriptâ alia Capitali Collegii summa simili persolutam, et tam de summa, quam de reditibus censibus satisfactum esse Residentiae. Videri potest Resignatio Officii Rectoris 1655 atq alis quoq Resignationibus idem Collegii pt. Videri quoq pont Rationes Vrles 1655 signo

Circa summ 2000 Valcen. Residentia nulla praetensio

Quoniam autem non una vice Valcen. Residentia apud alios huc Collegii Praesides Debiti hujus exactrix fuit, ideo visum est ad futuram memoriam, id quod memoratum est adnotare.

Inter Academicam et nrã Collii Juventutem certamina

Julius Non parum negotii Collegio turbarumq facessivit antiqua Academicam inter ac Collegii Juventutem Hostilitas, particularibus primum utrinq inter aliquos qui Valisevam inhabitant irritata injuriis, tandem in apertum bellum, praeterito mensis decursu inchoatum, hujus autem primordiis continuatum prorumpens: ita ut Collegii Juventus, ipsa Bursae Koldrscianae mania fugiturnatim suggressa, ad conflictum Academicos provocaret. Nec tamen ultra mutuas contumelias tunc progressum. donec per internuntios ignaviae exprobramentis exagitati Academici, provocantibus, diemq ac locum pugnandi nostris decernentibus, prodituros se in campum aleamq experturos renuntiant. Qui vero numero impares successum sibi promittere non poterant, auxiliarem a Canonicis manum implorant impetrantq. Ardore enim experimenti duellaris, unus ex Canonicis, qui tunc vacante Sede, Bonorum Episcopalium Oeconomicas curas tenebat (vulgo Starosta dictus) severo Edicto Valisevien. ac Srodcae incolas admonet, ut ad datum signum, armati compareant, et prout imperatum fuerit decertent. Atq ita Studiosis Collii paucis tantum armatis, caeteris inermibus, ad Campum Bursae subjectum tendentibus, occurrunt in ponte aemuli, cum turba Valiszeviensium de Srodensium incolarum quos tum severum edictum, tum in Srodka et ad S Nicolai, datum quale in incendio aut gravi tumultu aere campano dari solet signum, exciverat, praeeunte memorato Canonico cum armis districtis, et altero Equite Canonico, comiteq ac aliorum Praelatorum familia numerosa. Occursus hic insperatus, non tam deterruit Collegii Studiosos, quam perplexos fecit an contra spirituales (qui in fronte, ultra Canonicos duos, plures erant simulq Excellentes Academici) pugnandum esset. Unde etiam, plures statim gradum retro ceperunt, paucis in ponte reliquis; nec contra Clerum arma tamdiu stringere ausis, donec hinc contumeliis, et provocationibus exagitati, invadenti primum Canonico arma excussit, ferroq prope Collo applicato, monuit, ut donatus vitâ, quam jam sub ictu habuit, Campo cederet, iterum porrectis sibi a famulo armis, studioso nro infestus, iterum vim ictusq non sustinens arma sibi, vulnere in manu levi accepto, excuti vidit. Quae Canonici pericula dum alii spectant, mutuo hortatu turmatim paucos illos invadunt, è ponte pellunt, ac unum protrudebant in aquas. nec ultra pontem progredi ausi. Destinatum erat sequenti item die Cancellarii hortatu, majore jam providentiâ et paratu Academicos lacessere, bellareq. Sed tempestive oppressi impetus, tum animadversione in aliquos tum exclusionis comminatione. quae tamen remedia, quamtumvis ne, ut parabant, acie decernerent valebant, quo minus tamen privatim sibi utrinq injurii essent vim non habebant, quando et Collii Juventus obvios in Civitate, aut ab Academia remotiores, qua ipsos ac proximum incolas Valiszevien. infesti occupabant ac fustibus mulctabant et vicissim illi, hospitia in Waliszewo habentes studiosos invadebant et contumeliis et verbere quandoq afficiebant. Res tandem tota motisq inchoatis Judiciis sub comm. securitate conquievit, ac in Academiae minas, quibus se Rempub. ac Sedis etiam Aplicae, auctoritatem interpellaturos jactabantur, desiit.

Sancto Doctori Seraphico Bonaventurae ab uno ex Nostris Mgro Anni secundi Gaspare Swarzewski, in Eccla PP. Franciscanorum dicta publica Panegyris, eorumq instantiis datum, annuente R P Provinciali, ut Typis Collegii in publicam lucem produci.

apud PP. Franciscanos Panegyris ...

Festivitatem S. Patriarchae insolita Nobilitatis et septem Senatorum frequentia celebratam, celebriorem reddidit unius ex Israelitis ad Fidem accessio consueta sic Studiosorum Equitum pompâ ad Templum nostrum deducti, et ad Aras interea Rndo Suffraganeo et Episcopatus Administratore celebrante, a Rndo Archidiacono fonte sacro lustrati

Augustus Freti jure quo per Legem Comitiorum Bona stabilia in locum eorum quae distraxissent aliquando, emere alia ejusdem valoris permissi sumus, cum jam alias 40m Bona Dabrowa emisissemus. pretioq tanto proventus annuus non tantum non responderet, sed eorum instauratio continua, et nunquam compensandas impensas exigeret, et jam aliquot millium, exiguâ licet emendatione ac restauratione absumpsisset, laboratum, ut propositis sub tempus Judiciorum in tabula venalibus, eo pretio addito quod adhuc restabat 20m, magis aliquid utile compararemus. Sed enim, nemo cum ea, qua in nobis ad illa olim emenda facilitate fuerat repertus est. et si quis erat, aegre dimidium pretii nostri offerebat. Illa igitur jam manu tenere debuimus. et quod adhuc reliquum erat ad emenda Bona juris, in alia expendere. Atq huic rei initium datum emptis Bonis Sinowice, non quidem latitudine fundi, sed ob contiguitatem Pago Wydzierzowo aptimandis, pratorumq commoditate, qua Pagi hujus subditi prorsus carebant, ob quem respectum aliaq commoda, memoratus fundus olim a nostris majoreq sumptu frustra quaerebatur. Quicquid ad securitatem Possessionis praestandum fuit nihil omissum. Intromissio tamen cum ex justis tunc causis haberi non posset, dilata in aliud tempus, ad eam instandam facta Juridica Rndi Hieronymi Wierzbowski Suffraganei Posnanien. apud quem ea Bona sunt empta submissione. Sed neq pretium integrum tunc illi numeratum; relictis enim in fundo ad annum [trib] millibus duobus aliis et quingentis contenta esse debuit.

Pagus Synowice emptus.

Controversia de qua in Februario est memoratus, cum Culina Rga Benefecto, hoc mense transacta. Acceptata est a nobis illa Petricoviae facta complanatio, potissimum quod Auctoritate Tribunalis coaluerat, quod Judicium, salvo illius deinceps in aliis favore, offendere non erat integrum. et quod compertum esset, etiam his 5000 ex compositione millibus, si jura Bonorum in quibus summa Collegii haeserat, ab illo emptori nimium perplexa, et innumeris debitis onerata expenderentur, carendum fuisse Data igitur ille plena in Castro Quietatio; facta insuper cessio molendini lapidea Rozrazewiana super quam donatam a Mag Radomicka mille et aliquid supra habuimus: illo vicissim recedente ab omni Jure ad Hortum nostro contiguum, quod omnium Bonorum Rozrazewiensium emptione, etiam ad Hortum extendebatur

Complanatio cum Mto Culina Rg. Benefecto Pentk Salecki Praef Culinae Rg.

Gnsa Virgo Gutkowska cum aliis Collo summam 2000 inscripsisset advitalitate censuum sibi relicta, summam ab illa Censum est 200 Collegio Eleemosynae nomine obtulit.

Summa Legeziana 2000 quae in Praetorio olim a Benefactrice ex Censu locata fuit, ipsis civibus volentibus, hoc mense levata est: non sine commodo inde Collegii: tum quod Census ab illa a Civitate magna cum difficultate redderetur; neq in illo repetendo expediret jure agere salva Civitatis, cujus in nos studia per hoc offenderemus, amicitia, tolerantiâ supplendum esset; tum quod Census alias a Benefactrice per 10 a Cento recepi solitus nobisq ita inscriptus, non redderetur obtentu Constitutionis nisi per 7. Locata haec summa apud Israelitas, aliquos privatos, cum eam nollet Communitas, Bona quoq Terrestria nulla occurrerent quae emenda esset. et in exigendis Censibus eadem ac major esset cura quam fuerit cum civibus ac difficultas. Locata est haec summa ad triennium, cautumq in contractu, ut si appetente tempore restitutionis summae Capitalis, valor monetae solidaris penelitari inciperet essetq jam dubius, ut tunc erat cum locabatur dubius jam fuit, indeq cum ejus locatione sestinatum est liberum esset Collegio, quantumvis Israelitae levari onere hoc vellent, nolle acceptare tamdiu, donec constans monetae valor, vi legis invalesceret.

Summa 2000 Legeziana ex Civitate Posnan. levata

Strages jumentorum

September Mensis pestilens animalibus Bonorum Collegii planè omnium: non multo tamen ubiq damno praeter Pagum Januszevice ubi omnium prorsus Subditorum vaccae bovesq extincti, tanto majore damno quod operis circa agros et conseminationem incumbere ob jacturam boum non licebat. quam tamen supplevit Bonorum Procurator per Aulae aratra, aliosq Subditos agros, ab illis conseminandos excolendo.

Fundatae Oves in Kalejè.

Ovile Kalejense desertum, instauratum, emptaq quae nulla ibi erant Oves 400 et supra, eiq loco fundatae.

Sacelli Predenz. per plurium annorum stillicidia in tecto et Canali vitiati, ulterioribus injuriis obviam itum, servata solidiore, tamquam sumptuosa adeoq inter caeteras difficultates et impendia non tentanda reparatione.

Kiezamysla Sors vendita

October Sors illa Kiezamysla, seu potius cum uno Inquilino fundulus, de quo habet Anni praeteriti November, accedente A.R.P. N.ri consensu, cessit memorato ibi Emptori Gen.so Hieronymo Poninski Pocillatori Cosciensi Capitaneo postea Wschoviensi pretio omnium judicio justo, ac apud consocios ex venditis illis Bonis proventuum, majore fl. 1200. qui depositi sunt pro coemendis Bonis Miecislinensibus Dobrovae contiguis, quae sine illis multum claudicat praesertim ob defectum Pascuorum; ob quem Inventaria ut vivant in pecoribus, in Lucinensi et Calerensi praedio fundari nequeunt indeq agri et Campi parte majore arenarii, foecundatione pecuaria destituti, steriles.

Mors Pris Bar. Wąsowski de Collu ac Templi fabrica meritissimi

Ad 4tam Mensis vixit Collegii hujus ornamentum et fabricae Templi ob exquisitas in illius ornamentis inventiones magnum momentum P. Bartholomeus Wąsowski, anno aetatis 70 Religionis 53. Rexit Collegium Posnaniense per vices ultra Sexennium Provinciam Visitato Provincialibus triennii curriculo Collegium item Bydgostiense et Jaroslaviense cum omnium satisfactione. relictis ubiq non paucis vestigiis industriae et instaurationis meliorationisq Collegiorum.

Vir erat semper cum Deo conjunctus. affabilis et similiter in conversatione gratus. singulariter illustratum fuisse à Deo, tum ex colloquiis cum illo spiritualibus, tum ex vulgatis ab illo piis libellis, nominatim ex Idea quam impressit. Vitae communis etiam in aetate ultima observantissimus. Mortificationis studiosissimus. Lectus illi etiam in supremo morbo non alius nisi asseres. et triduo fere ante mortem, deprehensus ita jacere, aegre inductus ut stragulum admitteret, pro quo Cilicio utebatur. Ingentes morbi molestias et taedia, subjectus omnium oculis, tulit patientissimè, nullo signo impatientiae aut doloris dato, nec faciei sereno immutato. Totum fere Adventus tempus jejunio consecratum habuit, et ne in ferculorum delectu, et separatis pro se cibis gravis esset, atq ut ab aliorum oculis abstinentiam contegeret, admittebat ordinarios cibos, ex quibus tamen praeter juscula et Legumina nihil sumebat. De Collegio hoc, duplici Rectoratu optime meritus. ac potissimum in Templi fabrica; quam ante annos plures inchoatam, et correxit in fundamentis male haerentem, et ornamentis ac gratiis quas nunc oculis repraesentat, decoravit. ipse manu quoq sua, decora ipsa, ex massa formans, et parietibus inserens. Bonae Mortis Congregatio ipsius Cura zeloq instituta, et qua legibus, qua Praxi devotionis firmata, cui etiam primus ipse praefuit. Cum Jaroslaviensi Collegio Rector ageret, inter alia miserationis in pauperes et famelicos argumenta fuit, quod copiosos pro illis ex pagis commeatus curaret, panesq quos in copia singulis diebus suspendes curavit, ipse manu sua famescentibus magnâ admiratione exempli et Charitatis distribuebat. Infirmitatum suarum plane Religiosam patientiam exercuit, indifferentiam ad divinam voluntatem. Sacramentis muniri tempestive rogavit ipse, et magno sensu ac aedificatione eis communicavit. tandem in toto Collegio praesentia, expeditioni illius in aeternitatem iter bene precantis inter pios, quos in tacente etiam advertere licebat affectus, Caelo concessit.

November. Occasione male tractati a Judaeis Studiosi cujusdam, cum leves et ordinarias suas vexationes à minoribus Studiosis, in illo, proximè adolescentes praetergressos sequente, aliquem ex Opificum Familia, adolescentibus illis adjunctum putantes, vindicarent, ccortus in sequentem diem gravior a Studiosis tumultus. Et primo, post Scholas pomeridianas, aliquot illorum multati bene fustibus, vesperi autem et majore parte noctis, praeduntibus Studiosis ab artificibus, et Vagis plerisque ac ad similes opportunitates intentis, in domos illorum grassatum. quae, supellectili, mercibusque, et quicquid rapinae obnoxium erat, spoliatae. Continuata etiam die 2do ac tertio licentia, etsi ob custodiam aliquam civitatis (etsi minus fidam Judaeis et ad licentiam conniventem) non ea qua primo die ferocia damnisque. Res ea, non Judaeis tantum injuriam damnumque, sed nobis quoque invidiae ac negotii non parum concivit apud Nobilitatem ac Proceres Palatinatus: ita ut dum ipsi Palatini Posnanien. Calissien. Lancicien. Maj: Polon. Generalis, ad motus hosce componendos descenderint, tum Praesidiarii militis manipulo, civitate etiam ad satellitium custodiae Judaicae curandae addendum adacta, securitati Israelitarum prospicere debuerint. Exclusi Scholis, qui aut duces insolentiae fuerint, aut ad tumultum damnaque ante alios plus contulerunt, atque scholasticis poenis multati, ita alios metus, finem licentiae dedit. In Examine quod tum a Commissariis Illmi Palatini, tum paulo post à Deputatis Judicibus Castren. ab Illmo Generali, ac ab ipso quoque Generali institutum fuit compertum est, minimum fuisse. quod reos faceret Studiosos comparatione eorum quae ab Opificibus ac eorum familia rapinae avida patrata fuit. convicti non pauci furtorum ac rapinae, male quaesita restituere necesse habebant; aliqui etiam in Praetorii gradibus jussu Illmi Generalis fustibus castigati. Opinio vero de nobis, quasi ad eam licentiam dissimulatione connivere multis videbamur eradicata, publicis per huminem hoc deputatum officium Illmi Generalis gratiis, tum et Palatini Posnanien. ad Rectorem Collegii Literis, aliorumque judiciis quibus nihil a nobis omissum, quod ad motus tantos componendos faceret testatum fuit.

Contra Judaeos tumultuatu

Cum à multorum annorum intervallo, Confirmationis Sacramentum administratum non fuisset Loco isto, Scholaeque minores usque ad Philosophiam, atque ex hac etiam nonnulli illud hactenus non percepissent, invitatus Rndus Suffraganeus, tunc Episcopatus Sede vacante Administrator Hieronymus Wierzbowski, qui illud die S. Catharinae cum ab Octava prope hora coepisset ad meridiem usque numerosae Juventuti impertiit, ac post sacras operas, mensâ nostrâ in Triclinio acceptus

Ad 24 mensis hujus, obiit Illma Catharina Tholibowska Castellana Kaminecen. notae ac assiduae ad publicam aedificationem in templo nostro Pietatis et Devotionis, Nostri Mgri Casimiri tunc Cabssii Philosophiae perdiscendae vacantis Mater. quem cum inter suprema sua praesentem optaret, missus à nobis qui desideriis illius ipsum sisteret carnis Collo. Sed enim biduo demum postquam illa obiit supervenit. Tanto minus hoc morienti solatia praestare potuit Perillis ac Rndus Canonicus Plocen. alter filius, tunc Tribunalis Regni Deputatus ac subsellio suo occupatus, qui item nuntio periculosae infirmitatis a nobis accepto, citatis quidem ac natu duces per mutatos equos continuatis passibus in tempore tamen adesse non potuit. Ab adventu suo, cum luctibus nonnihil ad Cadaver maternum vacasset, gratiis actis pro supremis morituræ officiis à Collo praestitis, quae mutati per vices diu noctuque septimana fere unâ nri Sacerdotes vigiles impenderant, Jus sepulchri Matri rogavit, et ex praesumpta, ac paulo post a R.P. Provinciali obtenta facultate, habuit. Interea Cadavere ad latus Choro subjectum in Templo nro deposito, loco ita ornato, et accommodato ut Sacrificia celebrari possent. quae per mensem totum Decemb. ad usque Funus quod 6 Jan: prope sequentis peractum est, persolutis per Religiosorum Domus stipendiis à mane usque ad meridiem celebrabantur cunctis eam filiorum erga Matris animam Pietatem comprobantibus. Ad grati vero erga nostros animi testificationem Rdus Canonicus Rectori Collii Chartam Actis Castrensibus firmatam, qua ad proximae venturi S. Joannis festum 3000 Collo recognovit, obtulit # nro anni sequentis illi reddidimus impetrato consensu, ut ad summam, quam a nobis ad censum accipiebat, haec tria millia adjungeret, et utilia nobis ex anno censu redderet. quod fecit recognoscendo summam 15000, cum nonnisi 12000 a nobis accepisset

Mors Castellanae Camenec.

Chartam deinde hanc diu forte stentenfuturam alias et nonnisi post fata usufructum in Ju-

December Hibernæ pensionis onere cum eo nomine gravaremur, quod non currenti tunc sed argenteâ eam monetâ (quæ acquisitu erat ita difficilis ita ut unius Imperialis pretium florenos septem faceret) pendere juberemur, visum tentare, an non Leopoli sub tempus Commissionis (quo ab Exactoribus universis comportabatur) acceptanda à nobis esset, in solidis? Neq spes fefellit, prensantibus istic pro nobis favorem Tunc Rogatis Sive Patribus Collegii illius apud Commissarios, prono interea nrô MD Kowalkowski Commissionis et Capituli Notario, qui Canonico Posnaniensi ex tota Dioecesi pecuniam hibernæ Contributionis præsentanti Quietationem dare noluit, donec ille nos, iam inter Delatos positos de persoluta Contributione quietaret. quam in summa mille octingentorum nonaginta septem florenorum numeravit P. Basilius Korycki Collegii nomine ad extorquendos a Judæis pro fabrica Posnaniensi solidam census a R P Provinciali deputatus. quam deinde summam, Sic Fabricæ restituit Collegium. Successus sic, est opus et procuratio memorati Patris gratia apud MD Kowalkowski clientis. adlaborante eadem in causa Collegii illius Rectore Pre Thomâ Thyll. alias ex additamento quo Imperiales erant comparandi, trecentorum circiter jacturam florenorum passi fuissemus.

Cura Hibernam pension difficultate sc: nummi Sol.

Inter Consuetas ad Natalitia Festa Missiones accessit nova Missio Medericensis ubi aliàs Residentia soluta fuit, accitante A R P N. tenuitq istic Patres ultra quatuor septimanarum spatium. Renovabantur tunc desideria eo loco Societatis et Operarum illius spiritualium, eo loco apprime opportunarum inter destitutos prope curâ Sacra, simplices rudesq in circumjacentibus præsertim pagis populos, ac perversioni ad Hæresim obnoxios; jamq parte magnâ Prædicantes Hæreticos secutos. a quibus per congressum nostrorum, catecheses, convictos errorum Prædicantes, Conciones, excursus ad pagos feliciter multi abstracti. quibus invitamentis operæ nostræ laborisq constantis provocatus R.D. Præpositus, non tantum ad septimanas aliquod Missionariis apud se tenuit,

Post diu intermissam missionem renovata Missio Medericensis

sed deinceps quoq majoribus Festivitatibus adesse oravit, impetravitq.

Confessiones sacrilegæ, a variis commissæ, plurimæ a singulis Sacerdotibus in Collo Confessariis correctæ, plurimæ Generales acceptæ. Aliquæ a Vita per plures annos prostituti pudoris avocatæ constanter laudabiliter vivunt. absoluti ab Hæresi supra 16 Incarceratorum Confessiones fere à nostris tantum excipiebantur. Aliquot Personis ex Judicii Decreto gladio aut ferro supplicio adjudicatis, noster adstitit ac ad æternitatem quam illorum, qui certantur ad æternitatem promovit. Judæus an: 30 ad fidem Catholicam persuasus, instructus, baptizatus, et post inveniendi media modusq sustentationis monstratus curatusq. Intervenerunt propè 100 inter Personas alegit consorta. Nobilis quoddam Persona diu illusiones Dæmonis passa, ubi consilia nri usque acceptavit et exercuit, quieti reddita. nec infestum spiritum amplius passa.

In pauperes miseratio per corrogatas a ditioribus Eleemosynas, indusiis aliisq vestimentis plures eorum contexit.

Templi pars prior seu Navis major, quæ anno præterito remoto quod claudebat prospectu tabulato, ad diem Festum D Stanislai aperta est, quod adhuc ad ornamenta sua desiderium, præsertim in minoribus Arcis ac majore etiam pictura ornatus hoc anno accepit. Fornix supra Navis non est muro constans sed Materiato opere primus constructus, et frequentibus tegillis contextus est, deinde calce gypso immixtâ, desuper et de infra, sicut tectoria in muro dari soleat contectus, nullo ligni vestigio relicto. Id vero ita fieri debuit, tum ob defectus crassiores in primis fundamentis commissos, ut deberent iterum, et iterum corroborari: tum quod extraordinaria templi latitudo periculum aliquod afferre posset, testudinem et gravem et parietes divaricantem non ferendo. Columnæ teretes striatæ, appositæ sunt pilis Parietum, quas contingunt nonnihil illis immissæ, non ad ornamentum tantum templi sed magis ad solidandos parietes et fulciendos nam in sacellis non fulciuntur, solido muro transverso de more, sed solis extimis sacellorum parietibus; contra quam fieri soleat in templis solidè compactis. Primus Architectus non probè egit, quod scilicet, quam primum summam acciperet, fruendo. non est tutum in hujusmodi Operibus condicere certam summam, cum hoc deceptioni sit valde obnoxium.

Ratio Fornicis, in nro Templo despecta

JHS

Annus 1688 ARPN Thyrsus Gonzalez Praepositus Societatis. P. Joannes Hermann Praepositus Provincialis. P. Thomas Dorc Rector Colli

Januarius Causa Blaszkoviana, circa Legatum a M. D. Blaszkowska in Collegio ultimis Tabulis inscriptum, quibus nos omnium Mobilium suorum haeredes faciebat, per subsellia, quà Castrensia, quà Tribunalitia, quà per deputatos ab utraque parte Arbitros agitata tandem mutua complanatione finita. ita ut pro Mobilibus illis caeterisque quae testamento nobis addixerat, aestimandis sane pluribus millibus, mille sexcentis essemus contenti. Consilium ita decernendi, potissimum fuit, Judicium Juris peritorum, quod si per Decretum Judicii evincere aliquid vellemus, plus impendii quam lucri haberemus, Lege stante pro Marito non ad plus hujusmodi Uxori defunctae sine ullo haerede obligato, quam ut Currum quo utebatur cum Equis, vestes item defunctae, et pauca quaedam Lege praesignata penderet. accedebat etiam hujus spei, dubius ex multis respectibus et objectionibus quibus defuncta, repudiata a Marito ante mortem, onerabatur, unde nostrae quoque aestimationi officere videbatur, eventus. lite in ea causa agere, in qua producenda essent documenta plane non ad nostras curas spectantia, integritatem famae defunctae vindicantia

Complanatio cum Successoribus Dnae Blaszkowski

Celebratus hoc mense ante Comitia consuetus Nobilitatis Conventus Srodae, nullo ob varia, eventu, quae tanquam fulciet Juri praejudicosa ac Libertati, praetendebantur. Impetratus pro 22 Januarii item Conventus Nobilis Ziae sed eodem fato rebus infectis non tentata, ut in primo quoque conventu factum, Maresalli Electione discessum. Interesse autem nostra putabamus celebrari Comitium illud, in quo, occasione Conventus Pruszovicensis, unde ad Comitia Regni Generalia, contra Scholas nostras, instante Academia Cracoviensi, postulata Nobilitatis Nuntiis electis deferenda, quibus claudi illas volebant, tradita erant, satagendum erat, ut conciliatis hujus Palatinatus Nobilitatis affectibus aliquid ex adverso moliremur.

Contra Scholas nostras motus Nobilitatis Cracoviensis etc.

JHS

Et verò passim promptos et expeditosque ex primoribus hic habuimus, qui Pruszovicensibus sanctis vicem reddere parabant, similiaque contra Cracoviensem Academiam decreta, Reipub. in generali Comitio per Nuntios urgenda, procuraturos se efficaciter offerebant. Sed Comitiis Grodnae irritis, (quippe etsi destinatum hujusmodi Conventui septimanarum sex tempus congregati ibi cum Majestate tempus exegissent inaudito exemplo, neque ad Maresalli Electionem ventum fuit) nec illorum minae metuendae nobis erant, neque Patrocinia horum erant necessaria.

Februarius. Ad Festum Purificationis Beatissimae qui dies, unus est Societati ex iis, quos velut solos ad nuncupandam Professionem statuit, Professi sunt quatuor vota solemniter P. Lucas Flowicki et P. David Wolin. Quae ipsa, cum Serdomini profiteretur P. Starkowiecki, ac ibidem Jurium omnium Juris Patronatus suorum Resignationem faceret, Jus praesentandi Canonicum Posnaniensem in Summo, ut vocant, sibi haereditarium, et nisi illud transcriptum ne in alium devolveretur, in manus Episcopi post ultimum haeredem erat transiturum, Rector Colli Posnaniensis Actis Posnaniensibus dominicensibus inscribere parabat. Sed quibus ad Acta recipiendi talia Potestas, ut acceptarent induci non poterant, obtentu Constitutionis Regni quâ, ne Bona haereditaria Nobilitatis ad spirituales inscriptionibus transeant cavetur. Sed Pater, ne irrita esset illius animus erga Collegium propensio, id remedii invenit, ut uni ex sanguine juncto M. Dno N. Jarbewsky haeredum Jus hoc publicis Actis transcripsisset, tacito cum illo Pacto, ut ille paulo post, hoc ipsum Jus sua sponte, in nos, in alio minus scrupuloso Castro, transferret. At verò, utcumque minus ad Legem sane attentos alibi Castrenses ille invenerit, hi illam non habet, nos Juris hujus, minime securi essemus possessores. paratis forte in occasione Contradicentibus. Sed neque e Domo sua dimissus id Juris modernus illius Possessor creditur, quod Instrumenti vice habere possit, ad obstringendos sibi Canonicatum hunc praesentes

Donatio pro Canonicatu ad Summum

V. infra post 4. folia. VS.

Mors P. Paczkowski

19 Ejus. P. Stanislai Paczkowski, qui ex Missione Castrensi in Majorem Poloniam cum Perill.ᵈᵒ Capitaneo [illegible] cohortis illius ad quam ille Missionarii officia praestabat, Tribuno excurrerat, cum apud M.D. Fratrem suum germanum Hospes ageret, lethali morbo occupatus intra unam prope septimanam extinctus est. Missus biduo ante mortem, quo primum die de morbo ejus nuntius allatus, ex Collegio Sacerdos cum Apothecario adfuit supremis illius, et sacramentis, (quae alias ante Patris adventum suggerente Parocho, fiduciâ virium recusaverat) rite munivit. Cadaver ad Collegium deportatum, unà cum Cᵐᵒ Matthia Narwicz, eodem prope die in Collegio mortuo, spectaculo rariore sepulchro simul illati.

Duorum simul sepultura

Supellex Missionarii Castrensis Equi duo libri vestes et recepta ad Collegium omnia, ac a R.P. Provinciali S. Barbarae Cracoviae applicata. Aliqua supersunt a Germano Fratre defuncti repetenda.

Contractus circa Bona Miecislinensia

Eodem mense factus Contractus cum M.D. Niesiołowski de Bonis Miecislin, sine quibus Bona Dąbrovecen. tantum non plus damni quam proventus praestabant; praesertim ob defectum pascuorum sine quibus pecora in praediis haberi, et agri foecundari non poterant. Unde et venalia aliquoties proposita, emptorem, conditione illorum determinata habere non poterant, quamtumvis minore etiam pretio quam dum empta essent, venalia praestarent, auctaque insuper Inventario et instauratione aliquot millibus aestimandis. Instaurari autem plene sine Bonis Miecislin vix possent, et cum primitus emerentur, ex respectu et destinatione emptionis Bonorum Miecislin empta sunt. Pacti sumus cum illo ad S. Joannis 22ᵐ summam hoc anno illi numerandi. Pretium quidem nobis supra illorum meritum videbatur, sed quia sortis hujus, semper olim cum Bonis Dąbrowa sub uno Herede conjunctae, necessitas memorata, quia judicium Amicorum qui arbitri lecti erant ad flectendum D. Niesiołowski qui obstinate 24ᵐ urgebat, quia concursus emptorum, qui cum jam tantundem quantum nos dedimus offerrent, plus paulo post daturi, nosque à spe possessionis ipsius

exclusuri videbantur, quia Arendarii olim Bonorum istorum qui annuum illorum usum duobus millibus emebant, quia Collegii [illegible] judicium, multaque quae expendi debebant, insistere nos consilio emendi hortabantur. Spes denique indubitata, majoris, quam ab hac summa sperari posset proventus, ubi Bona haec instauratione, qua indigebant instaurata fuerint.

Strages ovium

MARTIUS. Ovilibus Bonorum nostrorum (quamquam ea strages communis viciniae ac passim alibi fuit) fatalis. extinctis universim ovibus supra mille septingentis in ovibus [illegible].

Sum. 25ᵐ mutuo a R.P. Provinciali accepta contractus

Hospes hoc mense fuit Lustratorque Collegium, R.P. Provincialis quo cum, Celebratus Contractus publicatim dataque obligatoria charta quae Collegium stringit ad pendendum a 24ᵐ Censum Provinciae, aut cui R.P. Provincialis pro tempore assignaverit annuatim per septem à Cento. Millia haec sunt Portio summae Kemerskianae 100000, quam habuisset alias Collegium sibi cum eodem onere Census impositam locandam ubi placeret, ita ut aliis Rectoribus ejusdem summae aliae Portiones impositae cum obligatione Procurationis ut Census memoratus annuatim Provinciae cedat. Potius ergo visum est, uti summa hac comparentur Bona Miecislin dicta, (de quibus mense superiori factus Contractus) quae et Censum hunc annuatim reddant ex proventibus suis, et ex reliquo Collegio fructificent: maximè vero supra hunc ipsum merito aestimanda commoditate utilitateque, in Bona Dąbrovecensia sine possessione Miecislinensi, trunca damnosaque etiam redundatura. quae si bene a gnaris oeconomiae expendatur non gravatum se hac obligatione sed adjutum Collegium aestimabit. In reliquo, si hoc ipso onere exsolvere se Collegium voluerit, potest id praestare levando summam 24000 apud Communitatem Israelitarum Posnaniensem haerentem ex Censu cum obligatione Restitutionis, quando Collegio placuerit. Haec enim summa ex origine sua, cum sit ex venditis Bonis [illegible], [illegible] collecta emendis in eorum locum aequivalentibus Bonis fuit destinata, et interim, cum hic et nunc Bona hujusmodi venalia non occurre-

rent, in Bonis Rozrazeviensibus ex Censu locata, commoditate emendi aliquid occurrente levanda. Uti de facto levata sunt Heredibus Bonorum Jure adactis, locataq; sunt apud memorata communitatem Judaicam. Accesserunt vero paulo post alia summae, ad summ[illegible] locatae, ex quibus unq Cens. hic colliger, sunt supra [illegible]

M. D. Chrysostomo Dobrzycki Germano nostri olim Dni Thomae Dobrzycki impetratum Jus sepulturae cum sua conjuge ille porro, gratiam meam testatus, inscribendo Sor ipso mense annuos Tria millia repetenda a Synagoga Lesnensi Decreto Tribunalitio ad solvendum adstricta. quo adigitur ut duplici Ratâ (quam impetravit) summa Soc reddatur M. D. Dobrzycki quod ille Jus suum in nos Actis Castren. transtulit.

Inscriptio quon a M. D. Dobrzycki

Aprilis.

Controversia de fugitivo Molitore ex Pago Pietrowo cum M. D. Zdrzychowski ante biennium, per aliquot terminos Juridices agitata, ita demum desierat, ut jus ad illum praetendenti M. D. Zdrzychowski, fl. 200 Poenas Banitionis quas neglegentia et absentia cum praesens adesse deberet Procuratoris meumus redimendo numeraverimus. quibus tunc contentus ille non amplius nos jure requisivit. Molitor interea, cujus gratia cum G. Zdrzychowski litigabamus, sumptusq; litis impendimus, de certo Molendino fugit ad Capitulares. quibus se subjecit, oravitq, ut sua quae recedens a nobis clam reliquerat, suo interventu repeterent. Erant, Heredes Ranum [illegible] nos vicissim damna nobis, et impensas litis, et memoratos ducentos fl. ex illius Causae defensione amissa restitueremus urgebamus. Ne Judice dispendio temporis et sumptuum decerneremus, delecti partis utriusq; consensu Arbitri, quorum judicium ratum utrisq; fore stipulata manu cautum fuit, pro nobis decreverunt, persolutisq; omnibus florenos minimum ducentos nobis adjudicarunt. quos interea urgere dissimulavimus, tum ex respectu dubiae ytius, quamlibet faventes nobis arbitri adjudicarunt litis, tum ne Ven. Capitulum non una occasione in utramq; partem nobis obnoxium offenderemus. quod tamen minime declinavimus, quando proxime ab hac Controversia citati ab illis sumus ad restitutionem retentarum ex pagis nostris à multo tempore Pensionum ad Capitulares spectantium. circa quod primum Terminum beneficio Juris intentatum interim abire passi sumus.

Controversia cum fugitivo Molitore.

Legatum florenorum ducentorum, quod moriens testamento nobis addixerat recepimus à D.

qui

Empti in Silesia Carpiones injectiq; stagnis Piotrowensibus seu Pisonis alii intra biennium, intra triennium alii ad Culinae usus futuri. ~~injectiq; pars~~ Sed ex minoribus piscinis in majora stagna, ubi per aestatem creverint transferendi in autumno proximo.

Semen Piscium emptum

Majus

Instaurata in parte Typographia, unâ specie Typi quae desiderabatur, et ante ceteras est in usu, paratâ; conducto ad illam fundendam Cissero non ita pridem ex Societate dimisso Andrea Mayerowicz seu Rudnicki mutato post dimissionem cognomine. Ex Literis antiquis nullius jam in Typographia usus, servivit in parte Materia, in parte noviter a Cissero praeparata. Tam illa quam Cisseri qui pro tribus Psalteriis typum memoratum fudit, ipsaq; opera Cisseri constant ultra sustentationem Cisseri fl. prope 200 Equus et famuli per septimanas [illegible] sustentatio constat non minus fl. 100 Materia addita, Instrumenta noviter parata vel instaurata Conflatores [illegible] constant circiter fl. 100 Universim instauratio Typographiae aestimari potest ultra fl. [illegible].

Grex Equarum fundari coepit Emptis aliquot Equis. Equus item admissarius. accommodata autem Soc Oeconomia interim Wydzierzewicius.

Grex Equar. fundari coepit

Confraternitas Misericordiae a multo tempore nullis coetibus celebrata, et tamquam jam intercidisset, dexteritate Concionatoris nostri, post privata cum primoribus et antiquioribus olim ex coetu Ser fratribus colloquia, iterum instaurata, Dominicis diebus iterum frequentari coepit, et Consuetudines et solita Exercitia servata.

Confraternitas Misericordiae

Junius

Cum summa 15000 Zegociana anno praeterito à Civibus mense Augusto levata, minus secure, (mutatis circumstantiis ab illis in quibus securissime tunc locari putabatur) apud divites quidem pluresq; ac invicem in casu mortis pro se responsuros

15000 locata apud Perillu. Tholiboski Can: Ploc.

Israelitas Posnanienses, haerere videretur, ut securitati illius consultum esset, visum est PP. a Consilio domestico, ut inde levata ad Bona aliqua Terrestria, transferretur. deterrentibus licet ab hoc consilio exemplis Nobilitatis, passim Census annuos nonnisi per multas lites reddentis; Summae tamen Capitali, si Jus ad Bona terrestria contractu et Inscriptione firmatum, tanquam pro pignore haberetur melius provisum videbatur, quam si apud Israelitas privatos praesertim, census quidem non incertos redderet, ipsa vero periclitaretur. Quaesita igitur Bona, ut aiunt, munda, nullis scilicet oneribus aliis gravata, id hac aut fere nulla erant, aut si quae inveniebantur, eorum heredes gravare illa et obligare nolebant. Interea pro summa hac obtinenda multis instantiis egit Perillustris Ludovicus Bolibrzski Canonicus Plocensis monstratis remotionibus quidem sed nulli omnino obligatis Bonis in Terra Dobrzyniensi ad delectum nostrum, in charta nuda, cum clausulis et obligationibus quascumque placerent exprimendis. quam ipsam chartam sub Actu hujus temporis, personaliter ad Acta comparens roboravit. Ut hoc ~~PP.~~ CC placeret persuasit spes securitatis, cujus argumentum habebant per etiam beneficia Domus ipsius. illeque ipse, paulo ante post funus apud nos Maternum Castellanae Camenecensis 3000 Collegio inscripserat; Frater quoque illius Germanus in Societate nostra, pro vade videbatur valuisse et respectus futuri, si ut sperare licebat et conari ex fratribusque hominis Honore majori Ecclesiastico ornaretur, non immemor hujus in sua boni facultatis, majori aliquo favore, eandem compensaturus. Vim quoque habuit, quod esset Fundatoris olim Residentiae nostrae Medericensis Nepos Episcopi Posnaniensis Stephani Bolibrzski. quam ipsam, conatibus Nepotum Episcopi summas et Fundationem ad se longius vere hereditatis detentibus, de consensu Patris nostri dissolutam, nova de Bonis suis fundatione, instaurare, nostrisque ibi statuere, propositum testatus est. Valuit item ad effectum, quod summam 3000, quam Collegio singularis olim modo Collegio post funus in nostro templo illius

Castellanae Camenecensis Parentis suae inscripserat, summae 12000 a nobis numeratae, nostris, adjungere paratus esset, ex anno cum reliquis 12m Censu. accedebat, quod in summa in Bonis suis locanda paratum se profitebatur, summam duorum fere millium, quam ex Bonis in Palatinatu Lublinensi Konopnica dictis ex recentibus decretis judicavimus, et transportandae (in solidis nempe) sine jactura damni (si forte in bonam monetam permutaretur) per annum proprie medium non habueris, summae inscribendae includere se paratum exhiberet: usum nempe illius, Tribunalis tunc Regni Judex deputatus, Lublini habiturus. Ita quae firmando per Acta Juri ad summam 15000 videbantur necessaria peractis, summa illi, 12000 parata, numerata est.

Hoc ipso mense depositum est in nostro Templo Corpus Perillustris Niegolewska Vexilliferae Wschowensis. in spem facultatis RP. Provincialis qui deinde hoc probavit. Datum id, non quod superstes maritus medicum illud quadringentorum florenorum obtulit sed memoriae Benefactricis Collegii Matris illius Annae Zegorska Capitaneae Kostenensis in eodem templo sepultae. et defunctae desiderio: quae etiam suprema voluntate 1000 summam, ut indubitati testes affirmabant, ex Bonis ad se spectantibus, nobis dicavit. sed quia ultra preces, quibus maritum eo nomine oravit scripto authentico nihil cautum fuit, urgeri ea destinatio defunctae non potuit.

Julius Diem Visitationis solemnes in Templo nostro Dnus Smarzewski Sacerdotis Primitiae, et epulo in Refectorio quas toti Collegio et invitatis aliquot Externis instruxit Pater Germanus illius Noster Cantheologus illius in decursu mensis praeterito ad Festum Petri et Pauli Primas hostias litavit.

In Pagum Sypowice (de quo habet Augustus anni superioris 1687) quem post emptionem Arendarius Rndus ex pacto ad hoc usque tempus tenuit, hoc mense cedente de Bonis Arendario Pagi hujus vice possessio a Procuratore Arendarius, operasque circa agriculturam (quas negligentius tanquam non amplius sibi fructificaturas, exercebat Arendarius) instauravimus. reliquum pecuniae Rndo suffraganeo expendimus

quamvis non deessent, quae adhuc pecuniam retinendam suadebant. nempe praetendens in Pago illo habentes olim Conjugi suae debitos fl 1000, M. Dni Mierzewski. Caeterum consultis consulendis juris peritis, et Illmo Suffraganeo sancte cavente pro securitate nostra, et si jus liquidum praetendens legitime probaret, (quod literatoriis documentis praestare non poterat) onus solvendi in se trahente, quod ipsum roborata evictione in Castro, cum Bonis cederet, provisum fuit, non est visum etiam hoc reliquum mille, contra desideria et instantias Rndi detinere.

Perillis D. Soko-lowska obitus et beneficium erga Collm ac testatum

Ad 15 hujus mensis obiit ultimum diem Perillis Virgo Sokolowska, olim Castellani Bidgostiensis filia bene de Collo merita, quippe ultra alia, 5000 quae apud Israelitas ex annuo censu deposita habebat, adhuc ante mortem, testamento, in Actis Castrensibus roborato donavit inscripsitque, ea intentione ut Collegii Pagos, onere annuae pensionis, olim levatos in Bonorum instaurationem Capitales summas exsolvendo, Censum a 5000 Templi reditibus applicando. Persolvimus illi justa satis splendide in templo, invitatis ad funebrem actum Religiosorum ordinibus, a quibus et Officium defunctorum et Sacrum de Requiem more in praecipuorum funeribus usurpato, decantata, persoluto debito et ultra debitum stipendio, aere tunc nro refundendo ex Censibus residuis anno currente illi debitis.

Castellanus Premetensis inscribit Collo 1200.

Continuati erga Collum hoc ipso mense illi favores, quando Illrus Szczawski Castellanus Premetensis opportune cum integer adhuc valetudine supremas Tabulas scriberet, a nostris visitatus, tanquam memoriam illius admonuissent (plane enim cum alios Religiosorum Ordines jure ad certas Eleemosynas donasset, totumque peculium in opera pia dispositione ultima expendisset, nos praeterierat) nro adhuc Patre Kosczanski (qui ad illum in villa tunc agentem ultimis sua ordinantem missus a Rectore cum officiis fuerat) praesente, calamum et chartas illas postulans, minoribus hinc inde, quas aliis scripserat, [illegible]

subtractis summam ex illis 12^m conflavit nobisque ad illam ius, statim in crastino in Castro Posnaniensi comparens, legitime inscripsit, jure duntaxat advitalitatis, provectioris jam aetatis Conjugi relicto. obiit ille deinde proximo Octobri, peractisque ubi extinctus solemnibus exequiis, tumulo deinde apud PP. Reformatos in Szrzedia illatus, nostris quam par erat frequentia ad Aras justa illi, et gratiam Benefactori persolventibus.

Augustus Contractus circa Bona Mieczkinensia in Februario anni currentis cum M. D. Hieronymo Krzesłowski celebratus, hoc mense effectum, sub tempus Judiciorum, cum requisitis Juris solemnitatibus, accepit. Pecuniam fl 22300 numeravimus, quietationem ab eodem accepimus, et submissionem ad praestandam cum opportunum fuerit Resignationem Juridicam. quae tempore illo curari cum effectu non potuit, et ex justissimis causis non videbatur procuranda. opportunitati tamen invigilandum erat, idque non tantum respectu Mieczkinensium Bonorum, sed etiam Dąbrowiecensium quorum possessione jam ab annis multis sumus non procurata Resignatione Causas quas propter dissimulatam modo cum Resignationem justissimas erant. et non sperabatur facilis effectus inter varios affectus eorum qui ad illius efficaciam concurrere de jure debent, et illi pendentes ex officio addunt. timebatur quoque Censura, ne objiceretur quod ultra pretium quod ad coemenda Bona terrestria expendere per Legem nobis licuit, majus expendissemus. nempe post immensa 40000 millia pro Dąbrowa non restabant nisi 20^m comparandis adhuc pro Collo Bonis impendenda. nos autem cum pro Dąbrowiecensibus numeravissemus 45600 pro Bonis autem Mieczkin 22300 majorem bene summam jam expenderamus. Praeterea cum Constitutione illa quae pro venditis Bonis jus nobis alia emendi decerneretur cautum erat, ut id fieret mediante Lustratione Judicii Castrensis, ne ultra pretium illud quod pro venditis Bonis ad Kostenam accepimus plus expenderimus, Lustrationem hanc Judicii per tot

In Bonis Mieczkin Intromissi cum sine Resignatione Juridica

annis dissimulavimus, timebatur ergo, ne approbatio Resignationis eorum Capitaneo Ill.mo Gratio faciendae differretur ad tempus Revisionis in Constitutione praescriptae. Tempori ergo magis aliquando nobis ab affectibus proprio, servanda ea Resignatio videbatur. Dissimulatae autem hacteñ Revisionis facile obstare aliquis afferri poterit, ac inter alia expectatio donec plene expenderetur pecunia pro venditis Bonis accepta: quae etiam nunc minime expensa censeri potest, quando ea quam pro venditis accepimus in bona moneta et veteris valoris 6000 in Constitutione expressa, nunc currentis monetae, quâ Bona empta solvebantur, facit minimum 10000. adeoq plura etiam emendi spes aperiri potest.

Concionatoris Cathedra mutatio ex Instantiis Nobilium. redditus post annum Cathedrae idem Concionator

Ex Dispositione Personarum Provinciae Concionator Collegiatae assignatus erat P. Casimirus Wolski novennali scholastica Theologiae Lectura perfunctus, jamq ille ter e Cathedra sua dixit, jam illius Decessor P. Katuski Cracoviam erat expeditus, cum generosis instantiis, quas aliquot Palatinorum, aliquot Castellanorum, Officialium praecipuorum, Dissidentium quoq, universim 30 manu subscripserant, per consilio expeditum Equitem occupatus R. P. Provincialis, resistendo impar, et affectus Procerum, si postulata negasset fortasse a nobis alienaturus, veterem Concionatorem ex dimidio jam itineris, retraxit ejus vero successori Leopoliensem Cathedram assignavit. Facta item alia in Dispositione mutatio, ex qua P. Hurek, ne eandem materiam quam Leopoli docuit, versus Cursu materiarum interrupto hic doceret, Cracoviam ire jussus, Pro P. Martino Ostrowski Cracoviâ quo jam Theologiam moralem docturus venerat in ejus locum sufficeto.

!

Ex Levatis Capitalibus summis Decem millium Zegacianae a Judaeis provatis, quinq millium ex Bereczeli et Przylepki duorum millium a Perduo Posnanien. Synagoga, post locata 1000 millia Bonis hereditariis Perilli Wolbowski Canonici Plocen. reliqua duo millia data in Censum M. D. Henrico Xiessolowski inscripta in Bonis Xiąż. quae ille nostra quam pro Miesthi illi numeravimus pecuniâ solvit, aut potius reemptionaliter sibi obligavit, Unde in occasione Exemptionis memoratorum Bonorum, aut eorum Venditionis invigilandum erit, et eximent aut solvent Bona me-

Locata 2000

morata nostra ad 2000 praetensio proponenda. quanquam in ipso M. D.ni Niesolowski circa illa Bona contractu, jus nostrum ita insertum est, ut Eximens aut solvens Bona, nobis irrequisitis eximere aut solvere non possit, et si solverit Bona Censu eodem onerata, reciperet, summaeq nostrae eadem maneret securitas.

1300 Locata

Ultra summas hic expressas, accesserunt dataeq in Censum summae, quae tum ex reliquis a Bidgostien. summa tribus millibus, tum ex additamento in Imperialibus, tum ex Collegii proventibus coaluerunt tredecim millia ex quibus data in Censum Terrestribus Judaeis ex Censu florenorum [illegible] a Cento, decem millia. Synagoga Posnanien. 3000, ex Censu florenorum novem His Censibus annualibus ad Festum S. Bartholomaei percipiendis, habebit Collegium quo Censum ex Bonis Miesthiren. Provinciae debitum, parte majori solvat, immo, si curâ etiam exigendorum horum Censuum exonerari velit, summas ipsas addita aliquâ minore apud Israelitas summulâ, transcribere, et deinceps Bona Miesthiren. munda possidere.

NB.

Jus Patronatus Canonicatus in Summo

Inter initia hujus mensis missus est a P. Stanislao Starkiewicz Extractum Cessionis in Castro Sieradz. factae a M. D. Sarbiewski et successoribus et nostro in Rectoris Posnan., et ejus successores instituendi [illegible] praesentandi aliquem pro Canonicatu in summo ad Cathedram. quod Extractum per [illegible] insertum est Libris Castrensibus Posnanien. tempus aliquid valorem in occasione [illegible]. Extat deinde in Archivo in charta Pargamena vetustissimum Jus praesentandi hujus Canonici. A Domus Starkeviciana. quod nobis heres illius R. P. Starkiewicz per M. D. Sarbiewski a Castro [illegible] transcripsit. Extat et usus Juris in Authentico Justitutionis R. D.ni Laurentii [illegible] ad S. Adalbert. et exemplar praesentationis ejusdem Officiose transactae vide supra Mensem Julium.

D.nus Kiemski Rhetoricae studiosus, cum e fenestris prominens, frequentes tunc sub tempus Judiciorum spectaret ab aliquo ex Familia cujusdam Nobilis sclopum explodente casu globo trajectus ac statim extinctus. orante Matre Sacrate in Templo nostro depositus, in spem facultas R. P. Provincialis quae deinde data est, vocari a morbo in Collo commendatus, et in desiderio, quod [illegible], bonus Candidato. Sepultus in crebri splendide.

September Nihil habet hic memorandum praeter funera primum M. D^na^ Mataczewska et M. D. Zielski Subdapifer Wschov: ex praesumpta facultate R. P. Provincialis, quam ex respectu filiorum in Societate degentium, prioris hic in Coll[egi]o, secundi Calissii in Coll[egi]o, non invitus indulsit.

October Solemnis fuit Ingressus ad Cathedram R[everendissi]mi Nostri Stanislai Witwicki, ex Procerum et Nobilitatis frequentia obviam prodeunt[i]s spectabili. Civitas quoque partes suas, cum pompa in armatorum Peditum Equitumque turmis (supra 1500) longe extra Civitatem et suburbia obviis, exhibuit. A Divae Barbarae prope Cathedralem Sacello (quo Eques inter Senatores praecipuos Equites deductus erat) ornatu Pontificio quem in memorato templo induit, a Canonicis Coll[egi]o inter Episcopos ac Suffraganeos aliquot, Abbatesque aliquot ad Cathedralem deductus ubi a Canonico primum solemni oratione acceptus, secundum locum (praeterita Academia) nostro Oratori (erat P. Joannes Janczewski Rhet[ori]cae Scholasticae Professor) ipse designavit, P. Rectore Coll[egi]i pluribusque aliis ex Coll[egi]o oratori assistentibus. Respondit Orator noster R[everendissi]mus inter multas Societatis laudes et suae in illam propensionis significationes. Secundum ab adventu ad Cathedralem die (primam Senatorum et Nobilitatis tractationi impendit) mensae Episcopali, quam a Canonicis interesse voluit, die deinde 6ta a meridie circa 4tam Coll[egi]um invisit. ac rursus in templo a P. Professore Rhetorices (erat P. Martinus Grodowski) magna (ut merebatur oratio) acceptatione laudibusque iterum Societatis amplissimis respondit. In digressu ad Refectorium divertit, et familiaris nostris ultra mediam horam collocutus inde ad Monasterium Monialium S. Benedicti perrexit. At

De Ecclesia Sichieviensi

In discessu suo Posnania, R[everendissi]mo Suffraganeo commendavit, ut nos suo nomine commoneret, ut Ecclesiam Sichievienseṁ cum animarum cura, non ipsi, ut per annos 40 circiter factum curaremus, sed aut Parochum praesentaremus, aut Vicario adjungeremus.

Instaurandis noviter emptis Miechlen[sibus] Bonis data opera. plane enim desolatissima empta sunt. pretium alias longe majus habitura, ac forte nec vendenda, cum tamen plurimum interesset accenseri illa vicinis Bonis Collegii, uti supra explicatum est, probatumque Consultorum et Externorum quoque judicio. Instaurata nimirum Aulae tam majoris, quam minoris ac pro familia aedificia. provisum Aulae de aqua qua carebat, effosso puteo. emptae vaccae 14 Boves, Equique aliquot Equae gregem Equorum facturae recuperati subditi aliquot etc.

Melioratio villae noviter emptae Miechlin

Typographiae accessit nova species Typi, vel dicti Kursywa, quae nullius jam prope usus fuit attritis longo usu characteribus.

November Bona Krzyżownicki deserta a Suecorum adhuc bello fundari coepta. Taberna ante annos aliquot inchoata solo aedificio perfecto, tecto cum impensis imposito, parietibus qua lignea materia, qua argilla erectis, perfecta, Tabernarius impositus, officina pro fabro ferrario erecta, et instrumenta fabrilia fl. 280: comparata. Agri, quos pro usu Villicorum subditi, pro suis privatis usibus colebant, ab eorum usu recepti, pro novis colonis ducti, primo vere conserendi.

Melioratio Bonorum Krzyżownicki

Celebratus ad S. Mariae Srodae particularis in ordine ad Generalia Comitia Conventus. quo, ut verba Concioni illi diceret invitatus noster Concionator, magno plausu munere illo perfunctus est, sunctique libere perstrictis, qui ad solvenda Comitiola parati venerant. Ita, ut praeter omnium spem felici exitu Conventus ille desineret, nec sine momento, et benevolentiae in Societatem ac Collegium nostrum argumentis. quando ad nuntium in decursu Comitii illius allatum quod in Minori Polonia in Conventu particulari Proszowicensi ac Sendomiriensi articulus, ut aiebat, a Nuntiis illorum Palatinatuum in generalibus Comitiis urgendus, ut Schola Coll[egi]i Nostri, tamquam Academiae praejudiciosa auctoritate Comitiorum occluderetur, conditus fuerit, multorum pro nobis sententiis certatum,

Contra Scholas nostras motus Proszovicensis Conventus

Primus pro Collegio et Societate magno motu zelavit, Perillus Hieronym. Poninski traxitq. reliquos, ut uno ore contra Decreta illa Palatinatuum Minoris Poloniæ conclamatu. Fuerint ut Electi Majoris Poloniæ ad Comitia [illegible] Nuntii, pro Collegio nostro ita agerent, ut nihil efficaciæ Articulo illo memorato Palatinatuum concederetur, et indemnitas ac perpetuitas Scholarum nostrarum auctoritate Reipub: confirmaretur. Non deerant qui insuper urgendum putarent, ut Academia porro Cracoviensis, clauderetur.

December Præter Missiones et confessiones ex illis Societatis Fructus nihil speciale habet. Dispositi ad Felicem mortem plurimi. Generalium Confessionum numerum inire difficile unus per quatuor fere menses nullam diem habuit quo non alicujus Conscientiæ arcana per integram confessionem exciperet. Hæretici aliquot conversi. quos inter singularis Præda fuit Generosus

Fructus Spiritualis operarorum

Ladislaus Smoleński nobile in sua Polonia Nobilitatis, qui unus e nostris consuetudine diu ad ejurandam Hæresim cum urgeretur quotidianis Conscientiæ stimulis, tandem nullo respectu qui ex familia Hæretica et tot Hæreticorum consanguineorum Judiciis semper tenacius omnibus suis adstrinxerat, invitato uno ex nostris P. Kossczarski ad hæreditarium Pagum, ibi ultimo convictus manus dedit frendentibus dolentibusque jacturam hanc Consanguineis. Gallus quidam qui nova Calvinistarum lectione et Alcorani, conperturbationis venerat ut nullius esset Religionis, tandem post septennalem in hoc suo errore moram, persuasionibus nostri Missionarii (Gallicam callentis) ad Confessionem et Communionem adductus.

Discordantes Conjuges non pauci ad concordiam affectusque Conjugales revocati. erat opidanus qui biennio uxori cohabitare noluit cessit tandem persuasioni unius e nostris et uxori reconciliatus constanter nunc fœderatis affectibus cohabitant

Libellorum plus quam 300 qui compendio et fidei nostræ articulos proponunt et errores Hæreticorum confutant, inter

Hæreticos ac Prædicantes quoque ipsos distributi, non sine spe fructus spiritualis ex illis lectione, in Missione Medericensi: ac alibi Diverterat ex itinere unus è nostris ad oppidum Trzciel, nostris Missionibus hactenus non frequentatum. cumque inde in crastino abire pararet, detentus ab incolis rogatusque, totum oppidum Sacramento Pœnitentiæ expiavit, et tanquam de cœlo lapsus esset insperatus ille Hospes, ~~ad aliud~~ humaniter habitus, ad alias hujusmodi vices invitatus, cum querela contra suos Pastores, curam illorum negligentes comitatu Equitum ex Civitate illa stipatus, iter suum continuavit &

Annus Dni 1689. ARPN Thyrsus Gonzalez Præpositus Societatis. P. Joannes Hermanni Præpositus Provincialis. P. Thomas Dore Rector ab Novemb. Visitator et V. Provlis RP Ignatius Diertins

Januarius et Februarius non abundant materia quæ Historiâ tantopere mereatur. Initiavit nobis annum liberalitas Illmi Generosi, qui cum reduce P. Janiszewski Jo: missionario apud illum in Bonis illius Wielin misit chartam, quâ ab Administratoribus Proventuum ejus ex Meleadro exigere nos voluit 12 Metr. vulgo Maldr Brasei triticei facile alioquin fl. 100 æstimandi

Eodem Januario prospectum in longum Typographiæ non tantum continuata innovatione refusioneque Typi, sed quadam fundatione Fusori, tantâ alias difficultate, cum nonnisi unus esset in Polonia, frustra diu quæsiti. quando illius Institutoris famulus, artem, quam invidentiâ Magistri, arcana prodere nolentis nondum perfecte callens, tandem, ex relicto preparato ad fusionem Instrumento (quod alias disjectum in sua absentia relinquebat ne artificium deprehendi posset) secretum assecutus, non tantum ad fundendum Typum, conductus, sed etiam ad Institutionem Pueri, constituto illi eâ causa Institutionis pretio, contractu obligatus est. quod intra annum præstiturum se recepit. Puerum porro Parens obligavit Collegio ad annos 5 quibus demum elapsis, non ante Libertate donandus donec in eadem arte institutum relinquerit, perenni per hanc successionem commodo Typographiæ

Providentia in futurum circa Typum.

sine hujusmodi instauratione interiturae. ut jam de facto paucae
erant species Typi usuales, longo attritu inter operas, inutiles factae.
Februarius dedit Collo Hospitem R.P. Provin., qui cum lustrasset
Collum ac Calissium properaret aquarum inopinata et insolita eluvione
interceptus, octo aut 10 dierum spatium exspectatione donec aquae intra alve-
um utcumque reciperentur, per octiduanam internam feriam solitudinem
expendit. et cum die 6 Febr. huc venisset, die 11. Martii Calissium promovit.

Perills Zaleszewski JUD. et Canonicus, cum Rndo Suffraganeo et
Offlis tempore Comitiorum ageret, officium illius supplerent, captata occasione
quia Clerici omnes, qui ex Mandato Illmi citabantur ut de Provisionibus
suis edocerent, et de jure morarum Posnaniae, cum simul omnes in
conspectu haberet, auctoritate Officii omnes admonuit, ut memores Synodalis
Petricoviensis Constitutionis, non auderent nostris in Ecclesiis, cum
per Nostros sacra aut vesperae cantabuntur, Diaconorum aut Subdiaco-
norum officia proxime nulla praestare. quae deinde illius decreta
pro Academica, illius erga nos hostilitate promulgata, abolita voluit
inter Martii initia redux Perills et Rndus Suffraganeus, liberali
facultate concessa monitoque Suo Profecto, ut jure in sua jurisdictioni
subjectus uteretur.

Obsequia in sacris Studiosis in nro Templo prohibita

Martius

iterata hic aquarum inundatione in posteritatem
erit memorabilis. quando ita super alveum redundarunt, ut parte
ea, qua est Templum PP. Bernardinorum, nemo nisi scaphis vehe-
retur. In cellariis ortis Colli, templique sepulcris, aqua sub ipsis
prope fornicibus erant, itaque prius Cerevisia ad Hypocausti Janitorum
transportari debuit. et Platea Chwaliszewiensi navigabatur. nec ad
Cathedralem aliter nisi navigando accedere licebat. Duravit clu-
vies haec constanter septimanis duabus.

Inundatio aquarum extraordinaria

Cum Bursae ruinam minanti substructionibus succurrere parabamus. obtinen-
tibus tamquam jure suo Lanionibus operas intermittere debuimus, donec
requisitus Magistratus per deputatos ad videndum periculum ruinae, cen-
suit, non obstantibus Lanionum contradictionibus, reparationi aedi-
ficii insistendum. etiamque in alieno fundo fulcra statuenda, mu-

ralibusque etiam substructionibus perandam Demum. quod quidem
jam aggressi fuimus, sed mox patuit rennis magnis impensis
murales columnas et fulcimenta erigi posse, adeoque ligneis, quae
tamen ad firmitudinem et securitatem Planetam satis essent, malo
placuit occurrere.

Finita visitatione abiit R.P. Provlis cum inter alia ordina-
visset, conformiter ad antiquum Memoriale, ut Lectio scriptura-
ristica aliquoties per annum in Refectorio habeatur in Schola ve-
ro ad minimum semel in anno solemnis de quo vide Memor: 1689.

Lectio Scripturistica in Refectorio decreta.

Aprilis.

Praeter Missiones, de more, pro festo
Paschatis frequentes, pauca suppeditat. In ipso mensis
hujus decursu, vixit Calissii Virgo Apollinaris Konarska
cujus morte liberatum est Collum onere pendendi illi an-
nuum trecentorum florenorum Censum ex Decreto olim Tri-
bunalitio, sed onus aliud incubuit, Successoribus illius ex
eodem Tribunalitio Decreto reddendi summam 6000. Ex
quo factum, memorabit infra Augustus. interea praemonuit
Judaei Lesnenses ut summa haec quae apud illos ad Censum
posita fuit, ad tempus in Contractu (qui tunc exspirabit)
expressum paratam haberent. Facta etiam interea di-
ligentia, an ultra Fratres Kaczkowskios qui indubitati erant
successores, alii quoque ad successionem non pertinerent. In-
ventique aliqui pertinere. quae de re Augustus memorabit.

Cessat Census 300. Moniali Calissiensi

Majus.

Vixit Praepositus Lazareti simul nrae
Fredae Sacelli Capellanus R.D. Stanislaus Klejewicz. Canonicus Fredensis.
Plures erant qui Beneficiolum hoc Collationis nrae praesenta-
rent, consuetasque Praesentae ut vocant Literas a nobis postu-
larent, quos inter facto delectu, prae aliis magis opportunus
visus est et Sacello commodus, qua in exsolvenda ad aras obli-
gatione, qua illi reparando, aut potius reparanti Collo, operis attentus
tamquam Loci illius incola, natusque, et Canonicus Fred. A.R.D. X. Kornicewicz
qui et auctoritate Officii ad memoratum Beneficium institutus, introductusque

Literae Praesentae datae pro Capellania Fredensi.

JHS

Consilium de permutatione Turris Arcensis pro duobus Civitatis propugnaculis

Deputati ex publico Civitatis Consilio [illegible] Hakiewicz Advocatus Civitatis cum aliis duobus Scabinis desiderium et Instantiam Civitatis proposuerunt, ut Turris quae est vicina Arci nostrae olim Juris, a tempore successivo ad suos Domiculos minuta, pacto inter nos mutuo illis cederet, nempe per commutationem pro Turri sive propugnaculo quod nunc Collegio, aedificio familiae imminet. Suspensi tunc negotio ad deliberationem, sequestro tam paulo post PP. Franciscani multa contentione pro eadem turri Monasterio suo prope contigua, et dilatando Domicilio suo opportuna tractaverunt, sive in commutationem fundi nobis viciniorem desertum afferentes, seu pretium quod ex aequo pertinerent. Consulti circa delectum PP. CC., pro Civibus censuerunt, non tantum quod priores negotio intervenissent, nec tamen ob gratiam illis tamquam Patronis et Confundatoribus a primordiis huius nostri fundationis cessione, sed ad conciliandos de novo affectus, non parum jam ab illis quos in Majoribus olim illorum diu experti sumus, alienatos adversos et alienos a nobis. et ob accessionem Collegio percommodam ex consignatis in Jus Collegii duobus propugnaculis uno vicino Collegio, altero, quod nostro quidem sumptu erectum aliqua ad [illegible] sed relicto nobis inferne tantum libero egressu, et clausura, totum quod supra juris sui Cives faciebant, eaque conditione facultas aedificandi data fuerat. Item jure aquae ducti ex platea vicinissima muro Civitatis ad Braxatorium nostrum. Affecit ea res nonnihil PP. Franciscanos, sed deinde illi ipsi convicti sunt fassique non debuisse nos in eorum gratiam tot commodis renuntiare. Approbavit processus in Visitatione R. P. Provincialis totum Negotium. nec enim judicabatur requiri Consensus R. P. Generalis utpote in minuto, quod abalienavimus, nempe 20 florenorum annui monetae annuo proventu. nec moram res tulit. si necesse fuerit, poterit etiam re transacta, approbatio [illegible]

Habuimus hoc mense intentatam Actionem post Curiam, (ut vocant) ratione Lapidea quam incolit S.M.D. Ossolinska, a Civibus, sed quod turbatiora Comitia Regni sub id tempus, Judiciis quoque Assessorialibus spatium aegre concederent, uno ferme termino attentato, juris reliquum in limitationem deiit. finis deinde & Comitiis & Judiciis impositus.

Junius. Perillustris Adamus Mietaczewski Canonicus Posnaniensis, cum bona nostra Wydzierzewice teneret in obligatione certae pensionis, a multo tempore non persoluta, semperque metus Citationum, hoc mense non tantum pro omnibus retroactis annis Juri illius, seu quidquid nomine Antecessorum esset requirendum, satisfactum esse testatus est, sed etiam in futurum quamdiu ad illum pensio illa spectabit, ab illius nos onere, data in manus nostras quietatione absolvit.

Ordines sacri collati Nostris Fratribus Anni Theologis in Festo Semiduplici a Perillustri Stephano Wierzbowski Suffraganeo Posnaniensi, scrupulosius quidem ad id praestandum difficili primum, tandem antecedaneorum exemplis, quae ex libro Collegii, ubi suscipientes ordines nostri connotantur satis convicto.

Julius. Illustrissimus Episcopus noster praesens tunc Posnaniae, vocatis praeter Curatos in hac Civitate Praelatos ex singulis Ordinibus Religiosorum binis habuit coetum, in quo emendanda aliqua in sua Dioecesi proposuit. Qualia erant, circa Monialium clausuram Religiosorum aliquorum nonnulla in Processionibus publicis exotica, quae ad haereticorum aedificationem non facerent, frequentiam eorundem in Civitate & visitationes hospitiorum &c. quod ad nos spectaret, unum aliis Religiosis commune fuit, frequentiam expositionis Venerabilis. Ad si jura aliqua specialia ab aliquibus haberentur proponenda sibi voluit, discutienda & prout res postularet approbanda aut abroganda. Dissimulatum est omne, nihil deinde super hoc ab illo attentatum.

Primus Census a summa 25000 a Provincia mutuo acceptorum persolutus est Collegio Bidgostiensi, a quo annuo

onere si absolvi Collegium vellet, insinuatur modo Anno superiore Mense Augusto.

Augustus. Judicia consveta circa S. Joannis in hunc usque mensem protracta, in quibus ulla Collegii causa per ipsis strepitum agitata, quod ab ipsis judicibus notatum publiceque Patri Procuratori causarum Collegii praesenti res ea, tanquam praeter aliorum temporum morem, in quibus nunquam a Nostris litibus subsellia vacua fuerint, cum Collegii laude exageratum. Interea seu Amicorum interventu, si quod controversum habuimus transactum. Hoc inter alia praecipuum, quod cum Successoribus Rlgsae Virginis Koninska, quibus ex decreto Tribunalitio sex millia debuimus, eorum persolutione transegimus. ex occurrentibus tunc Censibus eandem unde summa corrogata, quando illa quae in hunc usum apud Lesnen Judaeos erat locata in tempore haberi non potuit, usum nempe illius Judaeis jusque summae usque ad Festum S. Michaelis ex conventu inter nos jure praetendentibus. Exactores interim Summam urgebant, ac in Bona Siekierscensia inequitationem parabant. Atque nunc denum pacifici esse possessores bonorum Siekierki incepimus. Summa porro apud Judaeos Lesnenses nova locatione apud eosdem sub eodem censu deposita et accessit de novo aliis Collegii summis originalibus.

Accepta dispositione personarum a R. P. Visitatore nescit quo motore Illmus Dnus Les, Palatinus Calisiensis Et. apud Rdsmum Dnum Episcopum institerunt ut authoritate sua interventu Concionator Cathedralis P. Kotoski in annum etiam sequentem officium continuaret, ad quod destinatus erat Leopoli P. Casimirus Wolski, missusque eques Illmi Dnus Les Leopolim usque cum literis Reverendissimi, redux tulit literas, in quibus si nondum forte abierit, mandatum Rectori, retinere eum tandiu, donec P. Wolski (: qui ex dispositione huc tendens, necdum bene confirmatae valetudinis, et Concionatorio labori non suffectura R. P. Visitatori videbatur :) vires a morbo reciperet. Jam ille a Collegio abiverat, nec amplius conscius hujus

licet de se ordinationis rediit Posnaniam. Sed nec P. Wolski, ita prostratae valetudinis fuit, ut supplente hoc indigeret, statimque ab adventu Officium exorsus.

September. Aliqui ex Congregatione Germanica, privatis offensis (quarum tamen ut comperitum per Examen, causam nullam proferre poterant) concitati, in absentia Pris Concionatoris Germanici, convenerunt P. Rectorem Collegii, querulique nomine totius Congris Germanicae, quod illa collabatur, frequentia in Concione sit nulla, et prope omnes ad vicinum ad S. Annae Germanicum Concionatorem sese transtulerant: ubi cum aliquando 300 sint Auditores, in sua ubi noster Concionatur saepe 10 et saepe 6 convenientes nisi consultum fuerit per mutationem Concionatoris, etiam se, in quorum scilicet paucissimis reliquiis Auditor totus est residuus, ad eandem viciniam transituros. Rediit interea Pater Concionator ab Illmo Palatino Posnaniensi non mediocriter ea hominum malevolentia commotus. quam tamen non habuit necesse confutare, quando ad primam ab illius reditu Concionem frequentissimi Germani convenerunt. ignari caeterique factionis malevolorum. quae ubi Primoribus Congris aliisque innotuit, ipsi nomine publico adeuntes P. Rectorem, contestati sunt, Numquam sibi in mentem venisse, quae Impostores illi contra Prem sunt in aures Rectoris tulerunt. Contrarium omnes reliquos sentire, Concionatore suo esse perquam contentos et Calumniatores à Coetu suo judicandos, puniendosque esse. Et ita Honor Patri, cui per injuriam pauci illi derogare volebant, cum incremento redditus. quem insuper cumulavit ipse Pater, cum non tantum injuriam illam modeste satis tulit; sed erga ipsos famae suae ita infestos ita se gessit, ut se tempore impune, personamque quae illam intulerant ignarum praestiterit, honore etiam, et Officiis Visitationis in aedibus illorum privatis, dignatus fuerit.

Aliquorum Congris Germanicae factiones contra Concionatorem, quae confutatae praesentia Congris testimonio

JH

Sodalitas Maximæ Annuntiatæ V: postqm illis Oratorium superius perfectum est, ad illud migratura, cum altare ipsum, quod sumptu suo erexerat transferre non posset, Imaginem solam transtulit: in cujus locum successit Imago, quæ in Altari Salvatoris exponebatur, et nonnihil Devotioni Seniorum antiquæ officere, ac distrahere videbatur, dicta vulgo B. Md. est[?]:

Translatio Sodalitis Mæ ex tplo ad suum Oratorium

Hanc imaginem ornavit MD Rogalińska templo ex antiquo benefica, attributo illi Clenodio aureo, quorum pondo erat Aureorum [illegible] ex quibus formata est, quâ resplendet vestis aurea. Ex aliis eidem Imagini ex voto dicatis muneribus Nominatim Pns Jo: Reeuts[?] Aureis ~~No~~ 6 Unionibus, DD et aliorum quâ [illegible] quæ Externorum donariis prodiit iste quem modo refert cultus circa Imaginem argenteum.

Duæ Piscinæ majores, seu potius Stagna minora Piotrovi ob arundinem multam, lutum profundum, herbasque et senticeta, fovendis piscibus inutilia purgata, et piscibus quæ majoribus et post annum ad usum Culinæ idoneis, quæ minoribus, et in capturam post annum servandis impleta.

Stagna purgata Piotrovi

Illma Catharina Miaskowska, cum beneficium suum, quod nobis in testamento suo obtulit in triginta millibus, in Actis Pysdrensibus roborasset, hoc mense Pysdrensem Civitatem prætereuns, cum Instrumentum ex Actis roboratorium curaret, reperit illud, additis in Protocollo vitiatum aliquot lituris, quæ intentiones illius pias prorsus intervertebant, et jam scriptum illud nullo modo nobis, sed marito illius, jus ad illa 30 m praestabat. Providè unà Actum Roborationis factum, ut P. Koszarski Procurator tunc Causam Colli statim ex Cancellaria illa Extractum Roborationis illius acciperet, quo deinde Regens Cancellariæ qui illud extradiderat, convictus falsificationis. quam tamen, nulla suâ culpâ, sed furtim alicujus diligentiâ doloque irrepsisse juratus testabatur.

JH

October. Hospitem tulit Posnaniam Illmum ac Rndum Epum ad celebrandam cum clero ad 26 mensis hujus, Synodum Provincialem. ad quam, cum per Literas Processus, omnes cogeret, in virtute obedientiæ, oes ~~[illegible]~~ Nos quoque per expressum iisdem Literis inseruit ac adesse Coetui illi mandavit, ad eligendos scilicet, cum aliis Exemptis, Conservatores. Visum est, Exemptionem, non parendo Edictis illius, tueri. Quod ut sine offensa Illmi contingeret, placuit, illum ante Actum hunc de Juribus et Privilegiis informare, ac ab illo pro absentia postulare. Quod factum est; interque ipsa salutationis officia (pridie enim Synodi venerant) reverenter rogatus quid per Literas suas intenderet circa nos? si finis, expressus in Literis Processus, circa Conservatores spectaretur, à nobis certè non eligendos DD Visus est nonnihil commoveri, quemque de obnitentia Pastoralibus Edictis. Sed mox deinde, testatus est, se nihil in Literis suis voluisse scriptum, quod cogeret, sed tantum invitare, ut oes vocem Pastoris sui audiant; et Episcopo suo et Actui solemnitatem præsentiâ sua faciant. Ergo in crastinum missa parva aliquot Patrum, qui Sermoni quem ex Cathedra ad Congregatos habuit interessent, illoque finito redirent ad Collm. Hos cum, diversè per Ecclesiam, non in illo considentium Coetu vidisset, tum dat[?] Cathedram conscenderet tum ex Cathedra, per unum ex Canonicis, invitavit ad stallum, ut irent. Sed illi humanitatem illam et officia reverenter excusarunt. nihilque deinceps a nos ursebat[?]. Invitatus quarto ab adventu die ad scenam, quæ in illius honorem exhibita est, adfuit cum præcipuis, quos secum ad Synodum traxerat, et frequenti Canonicorum Collo multisque gratia, honorem sibi hunc præstitum, acceptavit. Et nec diu moratus statim a peracta scena nrâ abiit Varsaviam.

Synodus celebrata

November. Cum id, quod ex pacto cum Civibus (de quo hoc anno supra mense Majo) fas erat, in opus deduceretur. nempe Aquæductus, applicata nrâ canali seu fistula

Circa aquæductum, ad Ppalatorum[?] incomplanatum[?] Curam

ad Canalem Civitatis construeretur. aliqui ex Coetu Braxatorum, ad quos potissimum, is Aquae ductus spectat, Operis intercesserunt, easque sistenunt, ad plenum eam in rem convocandum Ordinum Consessum consensumque. Requisiti Primores Civitatis, per quos illa Nobiscum de Commutatione in Majo memorata transegit, D. Praesidens D. Watson, D. Habicewicz Advocatus etc. ex communi in Curia Consilio, deputarunt 12 qui ad fundum descenderent, judicarentque; An citra damnum Braxatorum et Aquae, nostra hac derivatione, diminutionem, negotium hoc confici valeret. Accuratè omnia deputati lustrarunt, ferèque omnes sententias, coeptis nostris contrarias tulerunt, et post dies aliquot Magistratui ac Ordinibus totis in Curia congregatis retulerunt. Quamen sententiis non obstantibus, memorati duo Principes Civitatis, ac alii quoque nobis magis propitii pro nobis decreverunt, et, qui locum applicando Canali opportunum delegerant assignârunt. Sed proximus deinde Ordinum in Curia Conventus, pertinacissime reclamavit. adeoque cum rubore Primorum Civitatis, destinati ad nos aliquot a Magistratu qui mutata Consilia annuntiarent, rogarentque, ut nostra illorumque circa hunc Aquaeductum destinata Tempori, serviâ mitigatâ servaremus.

Festum B. Stanislai Kostka, justâ quidem, minore tamen quam superioribus Annis frequentia celebratum est, eo quod Rubri pro Ordinando Officio Divino scriptor, illud, non 13 Novemb. quae fuit Dominica dies, sed unâ septimanâ posterius, antiquo Brevi insistens, quod prima Dnica post diem 13 Novemb celebrari mandaverat, impressenit. atque ita a Dioecesi totâ celebratum. In Civitate tamen, ut die 13 celebraretur, et Chartis ad valvas Ecclesiarum tempestivè affixis, effecimus: et Perillustris ac Rmus D. Suffraganeus cum diebus aliquot ante ad celebrandum invitatus fuisset, et de Brevi Aplico correctiore informatus, Rubricellarum scriptore vocato mandavit, ut errorem corrigeret, ac aliter Officium per Hebdomadam imminentem disponeret mandavit quae in rem illum juvimus, Typographiâ ad imprimendum gratuita oblata, quo in Civitate saltem aut in vicinia degentibus, de Festivitatis legitimo die constaret. Idem error in Rubricellis effecit, ut in Vratislaviensi dioecesi quoque, etiam a Nostris Collegiis, item in Cujaviensi ac fortè alibi, festus Divo dies in Octavam usque promoveretur. Unde, curatum apud P. Procuratorem Provinciae, ut Authenticum posterioris Brevis reimprimeret, ac ad Cathedrales Ecclesias, ad quas agunt scriptores Rubricellarum transmitteret; ne saepius (iam enim 2do intra decennium, variabat Beati ipsius festivitas) error idem committeretur.

Festum B. Stanislai non suo tempore celebratum a Dioecesi.

December annum claudet, Honore simul, quem Illmus Generalis Maj: Pol: Sae Memae Dn Gaspar Drzewicki, cum ejusdem Sanctitatis et apud Deum auctoritatis aestimatione detulit, quando non minus molesto, quam vitae pericula minante morbo vexatus, fluctuantibus circa remedia, ac in diversa abeuntibus Medicis, ad memoratum sibique jam inter sua ac suorum ex morbo discrimina experimento cognitum Patronum, opemque illius praesentissimam animum et consilia vertit, votivasque gratias obstrinxit. Neque irritam fuisse pietatem, secuta statim melior, mox integra sanitas, monstravit. Cujus sibi beneficii reum gratumque testatus, postquam visendi sepulchri illius, apud minimè conscium consilii illius Praesidem Collegii jure impetrato, in genua ad tumbam prostratus, justum gratiis ac precationi spatium expendit, ac in digressu, Tabellam argenteam, Memoriae beneficii testem, in tumba reliquit.

V. L. Drzewicki beneficium.

Annus 1690.

Anno 1690 Posnaniense Collegium aluit personas 68, quarum Sacerdotes 28. Scholastici non Sacerdotes 25 Magistri Scholarum 3. Coadjutores 12.

Solennitatem tridui, ante diem Cinerum, auxit in templo nostro praesens Illmus Generalis majoris Poloniae. Solennia conclusit Rndissmus Suffraganeus cum processione.

Obitus P. Casimiri Wolski.

Pater Casimirus Wolski, post triennium Philosophiae, post decennium Theologiae Nostris praelectae, tandem Concionator. Professor discipulis, Concionator Auditoribus aestimandus. Post studia accuratè tradita, nolebat annum quietis: imo optabat laboribus immori: unde dictitabat: Utinam liceret mihi e Concionatoris Cathedra in feretrum descendere. Amore obedientiae nullum excusabat officium: Supellex illius Religiosae consona paupertati: res minima à Superiorum dependens facultate. Praecipuo cultu ferebat in Divos Paulum Apostolum, et Augustinum Doctorem Ecclesiae: illorum nomina, Singulis Praelectionibus Scholasticis praefigebat. ~~Incujus forte praemium in Theologicis Augustino, in Concionatorijs exedris Paulo comparabat.~~ Inter Sacrificandum angustijs tenerioris Conscientiae ita coarctabatur, ut extra se raptus videret. Si disputando paulo ferventius egisset, vel Discipulorum quempiam laesisset, neque ad Aras, neque ad somnum accessit, quin prius Cubiculum laesi deprecabundus adijsset. Continuus affixus Cubiculo, libris intentus, inter externos rarus, ubique modestiae Religiosae ac eruditionis reliquit Specimina. Cum Superioribus in Simplicitate Religiosa, cum omnibus alijs familiariter ac demissè egit. Viribus destitutus, totâ quadragesimâ jejunavit; nec, nisi bis, idque ad Superiorum imperium, lacticinia delibavit. Quotidie justo temporis Spatio in Corpus suum flagellis desaevijt. Aliquot diebus ante Supremum, defixo in Christum Cruci affixum obtutu, ac Supplici manuum nutu, Christum alloqui videbatur: continuabat ille actus ad Christum Cruci affixum, totâ vitâ Sibi familiares: ex cujus vulneribus, se totam Scientiam hausisse dictitabat. Unctus ad Supremam luctam; elicuit quosdam actus dignos Theologo ac Religioso Societatis: ex quibus Sublimem Deoque affixam illius mentem collegimus. Tandem non aetate, sed laboribus fractus. Obijt anno Dni 1690. aetatis 46. Religionis 30. die 25. Aprilis. Quantam sui aestimationem habuerit, quantum desiderium sui reliquerit, funus illius ostendit. Singuli Religiosorum Ordines, certando affectu in defunctum, Officium Defunctorum volebant recitare: Sed vix Patribus Ordinis Minorum S. Francisci id temporis concessere angustiae.

Cum prius Perillris et Rndsmus Stephanus Morski Canonicus Cathedralis et Praepositus ad D. Magdalenae. Supra depositum pridie in Suo templo corpus Defuncti, primò Officium Defunctorum, deinde solemne Requiem, ad Aras celebravit. Idem praestitit in templo Nostro Perillris et Rndmus Zalaszewski Canonicus Cathedralis. Caeteri verò aliqui Perillres et Rndissimi Canonici Cathedrales, plurimi ex clero et Religiosi in tanta copia, Sacra de Requiem celebrarunt, ut ipso die funeris sint numerata 150. Feretrum deferebant Primores et Superiores Religiosorum Ordinum, praeeuntibus Clero, et omnium Religiosorum Ordinibus processionaliter congregatis: Sequebatur Nobilitas, ad Tribunal Castrense congregata et Civitas planè universa. Una erat omnium vox inter plurimorum Singultus et lacrymas: O Patres quantum virum amisistis! Amiserunt cum illo Scholasticae Cathedrae solidè doctum Professorem: Sacrae Exedrae Zelosum Concionatorem; Societas, Instituto suo conformem Religiosum, Provincia tandem Nostra, magnum Columen.

Proximè ante Festum S. P. Ignatij, drama in area Scholarum biduo exhibitum, quod erat inscriptum Honori totius Majoris Poloniae Incolarum.

In Festo S. P. Ignatij, Templum Illmos Palatinum Posnaniensem, et Castellanos Posnaniensem et Calissiensem. Princeps Ara solenniter celebrantem Rndsmum Suffraganeum, minores arae 150 Sacrificia: Triclinium Collegij, Rndsmum Suffraganeum cum 7 Canonicis Praelatis, acceperunt.

Hoc anno accesserunt templo 3 casulae, quarum una in campo argenteo acu depicta; duae aliae in Serico raso, opere Phrygio contextae. Braxatorio Collegij canalis deductus à vicino puteo.

Solennitatem assumptae in caelos Deiparae auxit Professio Patris Reuth, cujus Parentem Triclinium nostrum tractavit. Professio P. Reuth.

Primâ Septembris, Scholae novae apertae Sumptibus Strzemescianis, praemissâ Oratione in Renovatione Studiorum.

Eodem anno expurgata Stagna in pagis, unum prope Januszewicios, alterum Wydzierzeviense, tertium Piotrovij amplum, impensis Collegij floren. circiter 600.

Ad festum S. Borgiae, ex liberalitate Mcae Dnae Mioskowska comparatae duae casulae, dalmaticae, et antependium ~~z lamy biatey~~ omnia ex ~~simili~~ eadem materia albi coloris quam ex filo serico et argenteo elaboratam ornant flores variorum colorum. Item duae casulae ex simili materia, non depicta floribus.

Annus 1691

Hoc Anno Posnaniense Collegium, aluit Personas 68. quarum Sacerdotes 29. Scholastici non Sacerdotes 25. Magistri Scholarum 4 Coadjutores 10.

Mors P. Petri Jeleniewski.

P. Petrus Jeleniewski, Scholasticus approbatus propter modestiam et affabilitatem religiosam, Nostris externisq gratissimus, Singulari studio ferebatur, in cultum Divi Xaverij; quem singulariter promo: vebat. Tandem Anno Dni 1691 Ætatis 33. Religionis 13, Martij 11, incidente in Dominicam 2dam Quadragesimæ, ad initium primi Sacri, in gradibus (per quos Chorum Musicorum, ascen: debat) corruens, subitaneo fato extinctus est. Repentinum illius obitum, subsecuti sunt, tu: multuarij incessus; pulsantis valvas cubiculorum, strepitus. Creditum à multis corpus ~~Singulare Thaumaturgæ~~ eius maleficio infectum. ~~Providentiæ argumentum, isto anno Collegium hoc agnovit: ne enim cadaver maleficio infectum Personis Collegij nocuisset, tum pervigiles, tum per quietem sumus præmoniti.~~

Templo Collegij accesserunt hæc: partim ex munificentiâ Externorum, partim ex Sumptu Collegij: Pluviale in serico raso candido, Phrygio opere contextum, pretio 500 florenorum. Casulæ duæ violacei: duæ nigri coloris, cum simili antependio. Plura antepēdia ad minores Aras, candidi, violacei, viridisq coloris, Candelabra duo majora omnibus alijs.

Intra Collegium Bibliotheca ex veteri loco, translata illuc, ubi olim prælegebatur Theologia. Aliqui recentis editionis Libri huic Bibliothecæ accesserunt.

Ex consensu R.P. Ignatii Dierling Visitatoris extinctus est census perpetuus fl 129, qui pendebatur templo nostro ex pagis Collegii à summa fl 2868. nam Collegium cessit templo fl. 2000 ex summa ab Illma Wysocolowska sibi data. Et insuper summam fl 1000, collectam ex divendito argento Perillustris Dn Zegocka, ad quam summam ius habuit Collegium.

In Bonis Collegij quædam aucta, quædam reparata. In horto vicino, Ædes à fundamento erecta, cum sacello, cubiculis 6, Refectorio et Superiori aula. Idem Hortus recenti Sepimento, ex majori parte munitus. Non plenum jus ad majorem ejusdem horti partem complevimus, postquam Magnificis Dnis Miaskowscijs, pro jure ad omnia ad: jacentiâ, circiter 1300 florenos dedimus. In eodem horto, duæ piscinæ, limo lolijsq æquatæ littoribus, ad pristinum vigorem sunt reductæ. Ædes Musicorum, jamjam ruinam minitans duobq parietibus planè, à primo lapide erectis reparata est pretio 600 florenorum, pro sola opera Artificis. Piotrovij repentinâ exundatione, agger majoris Stagni ruptus ac difficili negotio reparatus. Eâdem aquarum inclementiâ, Miechlini Molendinum fractum, sed jam pri: stinæ integritati restitutum. In Stupia ad sarta Templi corruentis tecta, expensi circiter 800 floreni.

Propter nimias contributiones, et inopiam segetum, exhaustis bonorum nostrorum Subditis, in alimentum concessa, 200 trimodia siliginis. Ijsdem majori ex parte provisæ, Semen: tis vernæ: Equi bovesq in locum decedentium substituti. Contributionis hibernæ pro Subditis

solvit Collegium 1500. Contributionis capitalis plusquam 200 florenos.

Panegyricus dedicatus Illustrissimo Generali, in ejus ingressu solemni à Collegio, et ejusdem Honori Drama exhibitum biduò.

Annus 1692

Annus hic in Posn: Collegio numeravit Personas 68. quarum Sacerdotes 29 Scholastici non Sa: cerdotes 26. Magistri Scholarum 4. Coadiutores 10.

Fatalis Civibus iniurius Civitatensi oratio, Nobilitatis tumultus, ob detentum in Curia Tumultu urbis quendam nobilem, in Curia excitatus: amplissimum Collegio nostro, bene merendi de urbe in Curia Civitatis Posnan: theatrum aperuit. Nostrorum enim industriâ, servati Primores Civitatis, qui ad turrim Curiæ confugerant; Supellex aerarii ad extremam redacta prædam: et ablata thesau: ro urbis restituta. In ferali illo Spectaculo, mitior scena proposita, dum letaliter vulnerati, inter nostrorum expirabant manus: alij mitius sauciati humeris nostro: rum innixi, ad sua deducebantur limina: Unaq multorum audiebatur acclamatio; industria et fortitudine Patrum Societatis JESU, tumultum compositum, urbem servatam.

Apparatus Templi ad cultum Ecclesiæ, anteactis proximè annis comparatus, non minora, etiam hoc anno, accepit incrementa. Accesserunt enim Supellecti: li templi, antependia aliquot ex Damascena tela, tum viridis tum candidi colo: ris, ad minores aras. Pluviale unum candidi, alterum violacei coloris in serico ~~Tempeta~~ aureis distinctum floribus. ~~Candido Pluviali antiquiori co: lumna auro argentoq insignis.~~ Pyxis cuius cuppa ex solido auro, operculum et pes ex argento deaurato veteris pyxidis et recenter empto. In hanc pyxidem mu: nificentiâ M. Dna Tomicka contulit circiter 70 aureos.

Area Suburbana, in loco dicto vulgo Gaski: ab annis 20 concessa ad vitæ tempora, Virgini Temelinska: eâ conditione, ut ab ea acciperetur in: na annuatim; veteri Sepimento corruente; novis ~~sepibus~~ sepibus est munita. ibidemq domus à primis rudimentis erecta.

Panegyres Dedicatæ

Panegyrici duo, Unus Illmo Generali M.P. Raphaeli Lesz: czynski Palatino Lanciciensi: Alter Illmo Palatino Posn: Adalberto Opreza, in solenni Ingressu dedicati. In eorundem honorem exhi: bita duo Dramata, alterum biduo, alterum intra unum diem; alterum in area, ante Congregationem Civium: alterum intra Rhetoricæ Scholam, quæ tunc permodum

aulā instruximus.

Eodem anno, e nostra societatem dimissi duo: Nicolaus Szinarski, Magister tunc Infimae Classis Grammaticae: Alter Joannes Kotulski Coadiutor temporalis.

M. Szinarski et Kotulski Dimissi

Annus 1693.

Collegium Posnaniense, hoc anno numerauit Personas 60, quarum Sacerdotes 25. Magistri Scholarum 4. Scholastici Theologi 19. Coadjutores 8.

Illma Catharina Przyiemska Capitanea Medirecensis, antea Palatina Lanciciensis, et Consors Illmi Opalenski Generalis M. Pol. in Martio in Castro Pyzdrensi inscripsit 6000 florenorum Polonicalium. Collegio Posnaniensi, pro Residentia Medirecensi cum censu ad festum S. Joannis soluendo, quem soluit statim.

Magnificus D. Manicki in Februario inscripsit 3000 florenorum Polonicalium Missioni Medirecensi, in Castro Posnaniensi, cum Censu soluendo ad ~~Pascha~~ festum S. Joannis

Magnificus D. Zagorski legauit Collegio Posnaniensi, apud Judaeos Posnanienses 3000 florenorum Polonicalium cum Censu florenorum 300. pendend ad S. Joannis.

Quidam ex nostris Patribus, 40 aureos donauit Bibliothecae Collegij Nostri, qui dati sunt in Censum Judaeis Posnaniensibus, pro libris augendis

In area Suburbana, vulgo na Gasach, domus extructa, et locata ad triennium cum parte horti flor: 130 per annum

Exercitia S. Patris 30 è Clero, tum in ordine ad Sacros ordines, tum ante primas Aras peregerunt.

Casula accessit Templo una in aureo Campo, Phrygio opere, floribus scilicet è Serico, adornata constans florenis 600. Altera candidi coloris, aureis distincta floribus, ex dono P. Joannis Bieczynski. Accesserunt eidem Templo duae ligneae tumbae, auro obductae, ad Reliquias Sanctorum asseruandas.

Fames.

Caritas annonae huius anni tanta fuit, ut aliquando trimodium Siliginis 20 florenis venderetur. Hanc caritatem induxit vel sterilitas sementis vernae, vel copia murium frumenta corrodentium. Quare Collegium nostrum proprijs segetibus egestatem Subditorum leuauit.

Aestas praesentis anni, inter insolitos aestus, malignis febribus; e numerosa Scholarium Collegij nostri juventute, 6 absumpsit. Quorum corporibus diligenti cura, animabus pia solicitudine opem tulit, Patrum Collegij nostri zelus ac solertia

Mors Joannis Majerowski. 57

Joannes Maierowski Coadjutor Temporalis formatus, Apothecarius Collegij, charitate in nostros ac externos conspicuus, Phthisi consumptus, 17 Junij religiosè obijt, inter pios affectus; quibus utinam interfuissent illi, qui in Vocatione Religiosa vacillant. Anno aetatis 37 Religionis 14.

Andreas Kurcewski Scholasticus, submersus.

Andreas Kurcewski Scholasticus approbatus, Theologus primi anni, inter natandum in fluuio Vartae submersus est Anno aetatis 27. Religionis 10. Cadauer tertio die repertum, in nostro Templo priuatim sepultum. exequiae publicè coram populo celebratae.

In Augusto Stagnum Wydzierewicijs; quod a plurimis annis fuit desertum, restauratum est; facto undarum recessu firmo, seu cataracta, constante florenis 300 circiter. Idem piscibus varijs in copia refertum, Lucijs, Carpionibus, Coracinis.

Item Stagnum, quod est ultra Gowarzevum, versus Sindowicios, reparatum, et Lucijs refertum, ac Tincis.

Templo accessit Calix argenteus cum patena. Item Alba pretiosa, ex dono M. Dnae Bieczynska in primitijs Filij oblata.

Accessit quoq Casula viridis pretiosa, cum Columna rubea, impensis Collegij: Tum et duae partes peristromatis rubei, ex serico heteromallo, ad centum ulnas producti, ex funere Illmi Stanislai Grabski Castellani Rogozinensis in Templo Nostro tumulati.

Introductae solenniter hoc anno in templum nostrum Reliquiae S. Bonifacii M. S. Iustini M. S. Generosi M. et S. Reparatae M. de quo in Annuis huius anni

A R. P. Stanislao Bieczynski Provinciali obtenta facultas recitandi officium divinum de S.S. Martyribus, quorum in templo nostro sunt insignes Reliquiae

De S. Anastasia M	28 Januarii	Duplex
De S. Ignatio M	3 Febr.	Duplex
De S. Sulpitio M	20 Apr.	Duplex
De S. Cornelio M	2 Junii	Duplex
De S. Bonifacio M.	8 Febr.	Duplex
De S. Jacobo M	27 Novemb.	Duplex.

ANNUS 1694.

Aluit Collegium Personas 62. ex quibus Sacerdotes 26 Theologiae Auditores ~~12~~ Coadi: 9

Templo accessit casula aureis floribus picta columna eius gemmis distincta, quae alteri casulae detracta, hanc rubeam antea habitam, innouarunt, sumptu unius è nostris ~~Neo-Mysta~~, cum et Collegii.

Accessit quoq casula viridis, aureis argenteisq floribus conspicua huius columna argentea acu vestita

Imago B. Aloysii Romae comparata, imposita altari S. Casimiri cuius margines, argentei flores ornant

Tabernaculum Ssmi Corporis Dominici innouatum

Illmus Dominus Vladislaus Przyiemski Capitaneus Medirecensis Missioni illi inscripsit 3000 Florenorum Polonicalium cum censu.

Miechlini in pago nouum stagnum factum
Gouarzouii restauratum aliud quod à plurimis annis fuit desertum

Mors P. Calovii

P. David Colouius in Missione Mederetensi obiit in Ianuario die magnæ suauitatis in agendo, patiens laboris et incommodorum, zeli magni et charitatis magnæ, Scholasticus approbatus anno ætatis 36 religionis 15, in extremo morbo Medico Acatholico Lachrymas elicuit, sua incredibili patientiâ, et piis affectibus. omnibus vitæ Sacramentis munitus.

Mors C. Alexandri Zakrzewski

Obiit eodem anno in Februario die 19 Alexander Zakrzewski Scholasticus, in 3tio anno Theologiæ ætatis anno 21 Religionis 12 omnibus Sacramentis munitus. Iuuenis prompti ac limpidi ingenii in speculatiuis, insignis virtute religiosâ præsertim charitate et mansuetudine, tum et tenerrimo paupertatis amore, ante obitum à S. Patre Ignatio Diuoque Borgia visitatus.

Mors M. Stanislai Szczepanski

Eodem anno 25 die Iulii obiit M. Stanislaus Szczepanski Infimæ Classis Grammaticæ Professor, extinctus febri malignâ, omnibus Sacramentis antè instructus; tam facili agone quàm facillimis erat moribus, Iuuenis magnæ modestiæ, mansuetudinis, ac Pietatis.

Mors C. Gawarecki

Septembri mense obiit hic Franciscus Gawarecki Coadiutor temporalis omnibus sacramentis munitus; infatigabilis, licet benè in senium inclinatâ ætate, Socius exeuntium. Prætertria consueta pro defuncto sacra indictum est insuper quartum tanquam pro benefactore templi cui tria millia et unum prouentis censibus inscripserat.

Serenissima Bauariæ Electrix hospes

Mense Nouembri ipso Diuæ Catharinæ festo die Serenissima Bauariæ Electrix Filia Regis Ioannis tertii ad Serenissimum suum Electorem isthac pergens, tam pro sua dignitate quàm decoro Maioris Poloniæ splendidâ ac planè regali pompâ à Primoribus iisque frequentissimis Palatinatus Officialibus in Ciuitatem et D. Mariæ Magdalenæ templum introducta, ibidem sacro et concioni interfuit, inde deducta in castrum biduo fermè, Illmi Generalis humanitate Ciuitatisque impensis habita. Postridie ad nostrum quoque templum descendere dignata simili pompâ deducentibus equitibus Studiosis. Post sacrum cui flectens, ante maiorem aram interfuit, à collegio, deinde à Studiosis salutata. Eidem Serenissimæ Electrici subitaneo opere concinnata carmina per modum breuissimæ panegyris dedicata. Illmus Andreas Zaluski Episcopus Plocensis nomine Electricis respondit, multa præclara in laudem Societatis afferendo, illud addidit singulare;

Laus Societatis

nullum esse hac ætate è Regni Senatoribus, quem non Sacratissima ac Doctissima Societas instituerit. His peractis, eâdem splendidè comitantium Studiosorum equestri pompa deducta in castrum est Serenissima, inuitato per Illmum Generalem R. P. Prouinciali pro tunc præsente, ad conuiuium.

Festo B. Stanislai die, solenne sacrum cecinit Rdmus Hieronymus Wierzbowski Suffraganeus cum duobus Canonicis Cathedralibus, mensâ religiosâ exceptus. Concionatus est eadem die A. R. P. Custos Bernardinorum.

A Successoribus Illmi Dni Stanislai Grabski Castellani Rosinensis inscripta in castro Posnaniensi et data Collegio nostro summa sex millium quæ locata sunt per octo à centum in bonis Wielen Perillustris Domini Opalenski Capitanei Valcensis, census debet solui ad festum Sancti Ioannis Baptistæ.

Recepta itidem florenorum 2000 à Successoribus Magnifici Domini Niesiołowski et locata apud Perillrem Dominum Mathiam Radomicki Castellanidem Calissiensem Census per octo a 100, solui debet ad festum S. Ioannis Baptistæ.

Perillustris Domina Anna Ossolinska transfudit in castro Posnaniensi nostro collegio Simsforum 4000 quæ sunt in turia Ciuitatis Oschouensis per 10. a 100 Census seruiet ipsi Dominæ ad vitæ tempora reddendus ad festum S. Ioannis Baptistæ.

A Mgco Domino Francisco Proski recepti floreni 1000 dati in censum Perillustri Domino Mathiæ Radomicki Castellanidæ Calissiensi Census per 8 a 100 soluendus ad festum S. Ioannis Baptistæ.

Virgo Anna Sosinska dedit Collegio flor. 300 qui dati sunt ad censum Mgcæ Dominæ Annæ Zakrzewska qui donanti cedet ad vitæ tempora solui debet per 8 a 100 ad festum S. Ioannis Baptistæ.

M. Dna Ursula Bronienska dedit collegio flor 2000 imperialem computando per flor 6 et gross. 20. dati ad Censum Moysi Iudæo Mercatori Posnaniensi, Prouisio illi dari debet per 8 a 100 ad vitæ tempora media quidem pars pro festo Natiuitatis Domini, media ad festum D. Ioannis Baptistæ.

P. Iacobus Zapolski inscripsit nostro Collegio in castro Siradiensi flor: 5000 in bonis sui Germani cum censu annuo.

Inscriptio 5 m. a P. Zapolski

Stagnum Gouarouiense à multis annis desertum hoc anno restauratum piscibus refertum.

Casulæ duæ comparatæ ad templum una serico ductili filo aureo crispata; viridis altera, ex serico, aureis floribus distincto, columna argento acu picta.

Tabernaculum quoque accessit ad venerabile, ex serico crispato filis argenteis, variis distinctum floribus sericeis et dono Perillustris Zegocka Capitaneæ Babimostensis.

Antependia ex aurichalco deargentata, tria accessere minoribus accommodata altaribus. Die S. Francisci Xauerii baptizati in templo nostro Iudæi 5.

Annus 1695.

Anno hoc numerauit Collegium Personas 65 ex his Sacerdotes 27 Magistri Scholastici Theologi 30 Coadiutores 12

Ipso circumcisionis festo die ad confertum satis Auditorem dixit concionem A. R. P. Concionator Carmelitarum Calceatorum, qui etiam prandio exceptus.

Annuntiationis B. V. festo die Illmus Suffraganeus sacrum cantavit devotionem conclusit.

Ad Missiones Paschales abierunt Personae 40 tam erant numerosae.

S. Stanislai Episcopi festo die, verba fecit ad populum Concionator Cathedralis Reformatus prandio quoque exceptus.

Solennis S. Patriarchae Nostri Ignatii dies frequentiâ confertissimâ Nobilitatis et praesentiâ Senatorum 5 decoratus, Sacrum dixit Rndmus Archidiaconus Gnesnensis, Sacram vero Panegyrim Perillustris Kadnewski Canonicus Posnaniensis, Orationi à meridie in templo habitae ab uno ex Poetis, interfuit Illmus Generalis praeter Religiosos non paucos. Exornati quoque in honorem Sancti Patris affixionibus elegantibus parietes templi. In vesperis concionem dixit unus ex nostris dimissis, plausum tulit ab Illmo Generali, et reliquis qui numerosi interfuerant.

Ignis hoc anno totum plane S. Martini suburbium depastus est. Miseris hominibus illis aliquoties eleemosynam in rebus submisit liberaliter Collegii charitas, cum aedificatione et simili charitate Civitatis.

Hoc anno diversis temporibus baptizati Iudaei 6.

Lutheranus Studiosus Rhetor publicè abiuravit haeresim in templo nostro. Item alius ex pago.

Congregatio bonae mortis in Iulio habuit Sacrum cantatum et alia Sacra. aucta fundatio flor. 100 hac intentione ut post ultimam bonae mortis Dominicam, habeatur Sacrum cantatum pro defunctis.

In Iulio Stagnum Ianuszoviense restauratum et piscibus refertum. Item Stagnum Krzeszkoviense.

Mense Octobri visitavit Collegium R. P. Provincialis

Lapidea Domus Rybskich

Empta est hoc Anno lapideae pars altera à Virgine Rybska, cui dati Tymfi 400. et honorarium aliquod. Insuper PP. Carmelitis Calceatis pro iure ad hanc lapideam dati fl. 1000. quam restauratam ex pacto emit Pellis Zegocka Capitanea Babimostensis, deditque iam florenos mille, datura fl. 500. ad Festum S. Ioannis, ita ut usum ejus sit habitura ad vitae suae tempora, et post mortem ad nos redibit jus ad Lapideam praedictam, ut patet ex Syngrapha ipsi data à Rectore Collegij.

Solenniorem quàm aliàs devotionem Congregationis Mediae praeter reliqua Neo-Mystes Noster Concio Pellis Niwicki iterum recepti in Societatem, tum concludens Illmus Suffraganeus fecit.

Festa S. Stanislai Kostkae et S. Francisci Xaverij frequentiâ solitâ populus celebravit.

Ioannes Tyberski obijt

Obijt ad Aulam Illmae Castellanae Plocensis Ioannes Tyberski Coadjutor temporalis formatus, Anno aetatis. Religionis post gradum, phtisi consumptus in itinere. Sepultus in Nostro Templo.

Dimissus, factus Canonicus in Societatem redit.

Quidam Canonicus Varsaviensis post plures quàm 20. à sua, è Societate dimissione, Annos, quo Spiritus ardore impetraverit iterum Romae praesens Admissionem, quo affectu illam sit complexus palam fecit in hoc Collegio, dum se in publica ad confertum Auditorem, in Nostro Templo concione, Societatis Novitium professus, die sui abitus Cracoviam, cum lacrymis culpam dixerit in Refectorio, pedes sit osculatus, atque in porta Collegij genuflexus, benedictionem à Rectore Collegij petierit.

Annus Domini 1696.

A. R. Pater Nr. Thyrsus Gonzalez Praepositus Generalis.
R. Pater Valentinus Zueck Praepositus Provincialis.
R. Pater Joannes Morawski Rector Collegii.

Circumcisioni Domini sacro die: Magistratus Urbis hujus, prandio exceptus: religiosa humanitate, confirmata in omnibus benevolentia. Perillustris Zegocka Capitanea Babimostensis, apud Collegium, mediam partem lapideae Rybska, quae respicit plateam Vratislaviensem. emit florenis, mille quingentis; proprio sumptu restauravit, eamque, ut post mortem suam, iterum in bona Collegii redeat, inscripsit; Posnaniae Actis Castrensibus: Mense Februario.

Lapidea Rybska

Tridui antecineralis devotionem conclusit Illmus Loci Suffraganeus.

Ad varias pro Paschate missiones, numerosa Operarum manus postulata: quadraginta & amplius expediti: fructu meriti, satis felici. Nam ab haeresi tres absoluti: sacrilegae multorum confessiones correctae, ex quibus unus, in somnis admonitus, animum ad meliora transferret, dolosa conscientiae aperiendae consuetudine ejurata. Alter erat, taedio sceleratae mentis; in deterrima, quem semel arripuit, praecipitantis; daemoni adscriptitius: inter quem, impii foederis rescissa pacta: receptum schema; & à suo turbine, mala conscientia, per poenitentiam conquievit.

Domi nostrae, exculti spiritualibus exercitiis, ultra quatuor & viginti extranei; ex quibus, suo nomine, & in nos affectu insignior Perillris Rdus Dnus Reuth Congregationis S. Philippi Neri Posnaniae, Praepositus. In Martio, Magnifica Dna Raczkowska decessit: in Nostro sepulta templo: mille florenos inscripsit, à successoribus suis exigendos, cessuros vero templo Nostro, & Collegio.

Florianus Loka moritur.

16. Aprilis, Florianus Loka, Secundi anni Theologus, exactae Virtutis pretium & exemplum; ingenii, ad praeclara & sublimia magni & paris; & universale quoddam religiosae spei solatium, obiit. Hic heterodoxae matris, sectae Lutheri ad extremum usque vitae, infixae blandimenta vicit: Patris vota, quae de se magna conceperat; laudatissimo in tyrocinium Nostrum profugio: Cum aliter, piis de bono suo decretis, Parentum conciliare assensum, non posset.

Medecori Domus emitur pro Nostris. Ejus possessio turbarum aliquid à Magistratu habet.

Quo commodius Medereci Missionarii nostri constarent; apud Oppidi illius civem Catholicum, domus cum horto suburbano, quarta Maii, empta quatuor florenorum Polonicalium millibus. Hac, domum sunt, Illustrissimae Annae Catharinae à Krasno Gembicka, Castellanae Plocensis: quae duo millia tynforum, Patri Adamo Roloff, superiori tunc Missionis, numeravit; ab eoque venditori Domus, tradita: duo reliqua millia in monilibus deposuit, apud Praepositum Medirecensem: Venditori, sic consentienti, ad festum S. Ioannis, solvenda. Circa intromissionem, non modice turbatum est, à Lutherano, loci illius, Magistratu. Intromissio negata: quae tamen more Nobilium, in praesentia duorum Nobilium, & Ministerialis Regni, facta est. Contractus Emptionis, ne in Acta referretur, obstitum: praetextu, debitorum Domui inhaerentium: & competitorum ex consanguineis ad coemendam Domum, concurrentium. Dumque Pr Roloff, in Curia id negotium urgens, ex condicto Consulum, moras nectentium, distinetur; jussu Magistratus, Domus empta (in qua Dnus Kloszenski, tanquam possessor relictus; Parochus item Skwirzinensis, ac Vicarius Medirecensis praesentes) clauditur, cum violentia, Vicario bis impulso. Domus tamen ab Oeconomo Rndissimi Abbatis Paradisiensis, ad urgendum hunc contractum, ab eodem huc submisso, in eaque currum suum habente; quia indignum ducebat, et Nos à legitima possessione impediri, & sua captivari; reclusa est, non vi sed astu. Caeterum, totum negotium, ad Illmi Castellanum Calissiensem, tanquam Loci Capitaneum, delatum: eundem judicem habuit & patronum aequitatis: qui Magistratui praescripsit, ut in pacifica possessione relinqueremur. Cum nobis Constitutio Regni, ex anno 1664, Collegii Medirecensis à radice erectionem permittens, faveat. Interim, ad securitatem possessionis, praesente venditore, cum sua consorte, in actis Posnaniensis Castri, inscripta est officiose emptio: roboratus contractus, resignatio facta, & recognitae protestationes, contra violentias Civium Medirecensium. Contra quos, cum diutius odia sua continuant, & importune augent; excursum Varsaviam, in Junio, ut imprudens furor, regio frangeretur imperio. Satisque jam feliciter votis nostris annuere visus Rex, nisi Regni desideriis, & publicae necessitati eriperetur, decedendo, decima septima Junii, ipso festo Sanctissimae Trinitatis.

Sexta vero Junii, Collegii hujus fasces auspicatus novus Rector, Rndus Pater Stanislaus Bieczynski, post primorum in Provincia Collegiorum, ipsiusq Provinciae regimen.

Nostrorum Quarti anni Theologorum primitiae 29 Junii, & 2 Julii celebratae; invitati externi, & prandio excepti. Unus ex his Patribus, Pater Casimirus Plaskowski, Solennitatem primitialis festi, auxit sacro munere: geminam casulam templo nostro obtulit; alteram serici rubei, floribus aureis intertexti; alteram auro argentoq Phrygio opere elaboratam, gemmis distinctam, mille octingentorum florenorum pretio, aestimatam: Donum utrumq, materia & affectu auctoris, carum.

Antependium antiquum majoris arae, rubeum, ex materia vulgo teletz: dignius innovatum; aureis floribus Phrygio opere eleganter pictis. Ad aram Divi Indiarum Apostoli, aliquot sacra ex argento anathemata accessere & lampas argentea; haec munus est Magnificae Radziminska, constanti in Divum studio aestimabilis.

Scholae Nostrae institutionis suae nobile ceperunt praemium; quatuor Societati, octo variis religiosorum familiis è juventute sua addixerunt.

Circa Officium Concionatoris in Collegiata, Ius producendum postulatur ab infensis.

Turbarum aliquid contra nos destinaverat, quorundam simulata in nos civilitas; vis potius dissimulata nocendi vis: Circa usum cathedrae, in Collegiato Divae Mariae Magdalenae templo. Occasio erat; Perillustris Archidiaconi Posnaniensis, pro officio suo, templi illius jura recognoscentis, & contra famam nostrā nimium exquisite curiosi. Hujus imperio, quod non illibenter, somo ex utilitate sua pronus vel asper arripuit, loci Praepositus; à quo convenimur: jus vel privilegium cathedrae, ut inspici posset postulamur; in officio etiā, ut ajebat, necessario exhibendum. Sed jejunae auctoritatis legatio, prudentia contra malevolos constanti discussa est: Nos non effregisse sonoris Concionatorii ostia, sed invitatos ad laborem, hactenus desudare, sciret Venerabile Officium: Jus & privilegium, tanqm publicum munus, Consistorii Actis, non omnino ignotum esse debere; si jura nostra, non simultas impugnet, sed justitia benevolens protegat, custodiatq. Et sic procella imminens, difflata: Negotium tamen, hactenus indubitatum, adhuc indefinitum mansit: cum nec inscriptio ac intromissio nostri, in jus cathedrae, in actis consistorii reperta; Nec nos authenticum privilegium opponere potuimus: quod incuria vel casu extinctum creditur, cum ad manum sit, excerptum ex Archivo Provinciae nostrae.

Nob. Tomicki Poeta interfectus.

Molesta videbatur & illa collisio. Cujus occasio, caedes erat Magnifici Tomicki, Studiosi Poeseos nostrarum Scholarum, in sylva Urbi vicina, à Judaeis, ut errore creditum erat, perpetrata. Hinc Perillris Matthias Tomicki Capitaneus Obornicensis parens occisi, & complures, cognati luctus participes, errorem famae secuti Judaeis infensi; atq atrocitate facti (excisa enim cadaveri adolescentis lingua, resectum brachium,) exulcerante infimorum animos, res in noxium Urbi tumultum, jam jam eruptura videbatur; tamen interventu nostrorum turba quievit; auctor sceleris brevi patuit, publice in foro supplicium tulit in partes sectus: mense Augusto.

Renovatio Studiorum praescripto more, oratione, ultima Augusti habitâ, coepit. Cui interfuit praecipuus Auditor, Illustrissimi Judices Interregni; qui 20 Augusti auspicaturi jurisdictionem, in Arce; templum nostrum, in quo negotiorum tantorum moli, fausta exorarent subsidia, elegerunt. Accepti honorificè, celebrante Missam de Spiritu Sancto, Rndo Patre Collegii Rectore: meritum intaminati Judicis commendante, Ordinario Nostro Collegiati in Urbe templi Concionatore.

Prima Octobris, R.Pr Rector, tanquam Vice Provincialis, à Praeside Provinciae, Romam cum Patribus deputatis ad Generalem Congregationem, jure evocato, declaratus, Prussiae Collegia visitaturus excurrit. Cujus absentis vices gessit Collegii Vice Rector R.Pr Joannes Morawski.

Festum B. Kostkae.

Festum Beati Stanislai Kostka, magnifice à Scholis inferioribus celebratum: fercula ingeniosa & aestimabilia, foro Urbis bis circumlata; turris Curiae Civilis, tota triumphalibus illustrata ignibus, etiam octava die renovatis. In quo unius è Nostris Scholasticis Patribus, singularis in Beatum propensio eluxit. E templi vero nostri turribus, saepius jactati artificiosi ignes, decorem sacrae pompae auxerunt. In triclinio externi Hospites religiosè tractati. Drama Indiarum Apostolo Honori exhibitum.

Congregationis mediae, sub Immaculatae Conceptae Deiparae titulo, fervor insignis enituit; tum frequentia funalium, tum apparatu sacrorum ferculorum, tum Oratione ipso festi die habita, ab uno è Sodalibus.

S. Ignatius cuidā suffragat.

Haec sacra: sed haec sacratiora. Ab haeresi absoluti duodecem: è quibus unus ex Judaeo Lutheranus Francofurti, geminam impietatem melius detestatus: altera Lutherani Praedicantis consors, cum morte moriti, suum errorem luxit & exuit. Tres à familiaritate daemonis abstracti; pyxides impii conservativae pacti receptae. Unus vero ex his, consilium nostri secutus, ope Sancti Ignatii enixius implorata, à diu familiari daemone, schedā, animae suae inferno addictivā, laetus recepit: sibiq de Patrono Ignatii Nomine gratulatus. Unus, à sacrilega supra quinquies mille missarum celebratione, ad paenitentiam confirmatus. Geminum par conjugum, discordia infame, conciliatū. Undecim, in ordine ad Sacerdotium, spiritualibus exercitiis exculti: duo inter supplicia morituri, quo Sanctius justas paenas tolerarent, à nostris pie animati.

Annus. 1697

Annus Domini 1697.

Adm Rdus Pr Nr Thyrsus Gonzalez Praepositus Generalis.
Rdus Pr Valentinus Queck Praepositus Provincialis.
Rdus Pr Stanislaus Bieczynski Vice Provincialis & Rector Collegii.

Annus in Polonia, eventuum varius & anceps: vinculato milite, bonis Collegiorum nostrorum pertinaciter acerbus: dissidiis inquietus, omnium civium suspendit adhuc vota vel metum. In Collegio vero Nostro Kalendas Januarii, pro more festivas habuit: quibus Urbis Senatus religiosa mensa tractatus. Aluit Socios sexaginta duos, ex quibus Sacerdotes triginta.

Studiosos inter et Academicorum exordia composita, authoritate Judicum Interregni.

Triduum antecinerale, idem Solemni processione conclusit, qui diem hujus quemlibet, suae praesentia religionis augebat Hospes, Illmus loci Suffraganeus. Huic triduo promissus in Scholis nostris dialogus; ad caetera felici successu. Quamvis Academicae plebi, occasio fuisset, impatientiae, ob ingressum in aulam spectaculi negatum, cuidam suorum pertinacius expetitum. Sed contra Nostri Collegii Studiosos Academicales minae, & insidiosae quorundam inermium minorum vexationes, tumultusq inutilis inepta exordia, repressa, & extincta Judicum Interregni auctoritate, Quam conciliavit singularis in Collegium nostrum propensio, per prudentiā Patris Scholarum Praefecti eo inclinata, ut & monuerit Praesides Academicos de concordia, & terruerit ausus inconsultos. Deprecatio Collegii per Directorem Academicum, simultates elisit.

Martii 22. à Congregatione Generali Roma rediere hospites R.P. Joannes Kroskowski, & R.P. Stanislaus Bilski: ibidem retentus ab Adm. R. Pre Nro ad Societatis negotia discutienda ac componenda R.Pr Valentinus Queck Provinciae nostrae Praeses. Prior vero reducum Cracoviam festinavit, ad Probationis Domum, unde Rector abierat; alter 2o Aprilis, à Rdo Patre Vice Provinciali, ad visitandam Provinciam, imperio Patris Nostri evocato, Collegio vehitur Vratislaviam.

Convocatio Nobilitatis Varsaviae.

Eodem mense, Majoris Poloniae Comitiola, electioni regnaturi praecedanea, ad Electoralem campum, motum publicum Nobilitatis suae decreverunt: in idem negotium, omnium Regni Palatinatuum par consensus. Quaedam Comitiolorum puncta, juramento firmata, candidatu exclusus Piastus: ex spiritualibus triplex, ex regalibus bonis duplex hiberna pendi prohibita; quam foederatus miles, sui Mareschalci Nomine definitam avidius urgebat: quibus auctoritate Comitii, nonnisi decreta una. Lustrationi Nobilitatis 15. Maii dies praescripta. Sub oppido Kolo: inde nonprocep passus Varsaviam, nisi emergens vel imminens malum, festinaret.

Contributiones.

Quidam è Nostris Samboriam ad Militis foederati Mareschalcum expeditus, qui edoceret, onus impossibile (viginti septem millium summa fuit) ab eo bonis nostris impositum. Additus eidem Patri miles, unus è deputatis praescriptam summam exacturis; tanquam oportunior promendo testimonio, ut qui coram, rerum nostrarum angustias expendisset. Ablegatus, id quod pronum erat timeri, à Mareschalco solatium calamitosum, literas attulit; quae triplicem militi hibernam permittebant, frenabant tamen avaritiam majoris stipendii: quasi, quod crudeliter rapiebatur, non satis esset iniquum. Nos Comitii Sredensis auctoritate subnixi, simplicem hibernam solvimus; persolutae, quietatio ab Exactoribus hibernorum accepta: expediti Deputati milites ex bonis nostris, eorundem plus quam bimestres insessores. Contributio capitalis, Palatinatuum Majoris Poloniae auctoritate praescripta, à subditis nostris numerata Palatinatûs Exactoribus.

Idem mensis, tyrocinio nostro misit adolescentem, ad virtutem & scientias indolis nobilissimae. Solennes vero Paschatis feriae, multiplici opera nostra eguerunt. Quae supra viginti missiones, amplius quadraginta nostros evocarunt: optato fructu zelum coronante. Nam hic, ut & alias, auditae multorum totius vitae confessiones; plurimae à multis annis sacrilegae, sanctius explicatae. Ad quod nonnemo admonitus in somnis, specie unius è nostris. Creditur Divi Xaverii, ea in peccatoris conversione, cura fuisse. Quo concioni intenti, diu vel palliata plene, vel non plene explanata vitia, descendenti eidem à pulpito sacro Oratori, pie evolverunt. Scelerata quorundam familiaritas, dehortatione extincta: 14 ab haeresi Ecclesiae restituti: Spiritualibus Sancti Patris exercitiis triceni exculti. E quibus insignior, sui in Nos affectus constantiâ, Perillustris Revus Congregationis Oratorii Praepositus Posnaniensis: & tres Collegiatae D. Magdalenae Canonici. Gravis item tentatio, sui ad suspendium impulsiva, cuidam, pio colloquio evulsa: Simultates Magnatum, in acerbius discrimen erupturae, pervigili nostri unius studio, partibus dissidentibus percari, in amplexum amicissimae pacis compositae: post dissidia diuturna, arctius coaluerunt. Frequentissimi ad piam mortem dispositi. Quos inter, Illmus Mathias de Brudzew Mielzynski, Castellanus Szremensis, inter amicos & Patronos Societatis, nomen memorabile. Hunc è Nostris unus, alio ad missionem destinatus, fortuito invisens, reperit moribundum: à quo gratissimè exceptus, protestante; se in hoc ab optimo Deo, respectum clementissimè, quod sibi ad aeternitatem directorem, hominem Societatis submisisset. Hunc enim dispositioni suae praelegit: quamvis in vicino, alii religiosi, & munifico fundatori suo grati cari, non deessent. Justu pio funeri persoluta, in Woznicensi Patrum Reformatorum templo. Eo invitatus è nostris quidam, Concionator: alter ad munus simile Wagrovecum, ad parentalia Illmi Gnieski Capitanei Radzynensis celebranda. Uterq sacro illustrium funerum elogio, meruit lucem publicam.

Aprilis id habuit praestantissimum: quod patuit, zelum pro fide in Praesule esse magnificè efficacem, in religioso fortissime eloquentem. Postqm enim ex Urbis Consularibus segnes rectae fidei, per confluxum vicinae

Fautores hæreticorum cives iisdem permissuri famam à Concionatore ex suggestu reprehensi desistunt à studio.

-tero doxæ Urbis reparandæ obtentu, Synagogam acatholicis se in Urbe permissuros spoponderant: jamq ad idem concludendum aliquot cœtus acti: Studiosiores religionis, quendam ex nostris instruunt, ut suppresso instruentis nomine Rndissimum Suffraganeum Vicarium Officialem in Spiritualibus, informemus, & Concionatorem, qui dicendi zelo iniqua frenet molimina adhibeamus. Ordinarius Concionator tunc aberat, qui valetudine pressum Illmum Generalem ex Comitiolis Sredensibus Rydzynam comitabatur, ad pericula satis præcipitis morbi pervigil. Substitutus, qui rem Fidei, sacro ardore & in Cathedra Ordinaria, & ad S. Adalbertum, ejusdem Præsulis festo, ursit piè, prudenter doctè. Cives Fautores Synagogæ nimium afflixit; desperatumq conatus posse perfici, qui præmaturè publicantur. Hinc vero factum, ut Rndissimus Suffraganeus, cœtui iniqua meditanti inhibitionem posuerit: ad Comitium Sredense, tum incidens, literas expedierit, Zeli contra monstrosos conatus plenissimas: nostri quidam civium privatos persuaserunt, executione damnabilis consilii, ruinas acervandas urbi ex eo, quod tanqm instauratio promoveretur. Fremebant contra Collegium Cives & Consulares hæresi propitii: furorem illud intenderat: quod Studiosi deambulatum collecti, ad montem sepulturæ acatholicæ, viam publicam recens clausam, Synagogæ parari locum arbitrati, iterum aperuerint; fossam iterum injecto sabulo clauserint; tres operarios labori perficiendo instantes fugarint: Zelo innoxio, & fervore sine tumultu, pio. A Civibus contra nos apud Illmum Generalem deposita querela: tum apud Illmum Palatinum: utrobiq surdis auribus neglecta. Tandem contra Studiosos ~~contrarios~~ conquestum apud Rdum Patrem Vice Rectorem: sed imprimis acerbissime contra Concionatorem. Querult accepti humaniter: quæ objecerant, diluta: cum labori illi fossorio Scholastici nostri interesse tanqm opus ursuri nullomodo poterant, omnes tunc domesticæ exhortationi præsentes: Familia vero, braxatura eodem die distentissima. In Concionatore vero præsens Rndissimus Suffraganeus, Canonici, ac numerosus Clerus auditor, nihil notavit contra leges modestiæ, aut contra prudentem Zelum: Studiosorum fervor examinatus, patuit innoxius: præcisæ in monte Sepulchrali arbores, non Nostratium, sed Academicorum licentiâ. Postero die missus è nostris qui expostularet à Magistratu, produceretur accusator, tanqm præsentia Nostrorum vel Professorum vel Scholasticorum inter Studiosos resolvores, testis. Repositum: ut à Nobis vulgaretur arcani sui de Synagoga ~~[illegible]~~ permittenda consilii enuntiator. Promulgavimus libenter: is enim evulgavit publice consilium, qui inhibuit exitum, scilicet Illmus Suffraganeus. Sic circumventi, innocentiæ nostræ testimonium audiente populo reddiderunt Urbis Præses ac Consulares: Se ejusmodi delatorem, nec audivisse, nec vidisse. Accusati simul ibidem, nuper apud Rdum Patrem Vice Rectorem queruli: qui illud jactare auderent: Claudendam Concionatori Nostro, Collegiatæ cathedram: nec nisi cæsis obsistentibus aperiendam. Respondit Consul: id ebriosi furoris delirium fuisse, non aliquid ex commissis à se: adjecitq, tot in templis patere concionatores, audirentur, si Collegiatæ non placet. Et sic quievit tumultus, obruta impii ausus molimina.

Noster Collegiatæ Concionator, ad Campum Electoralem iturâ Nobilitati Majoris Poloniæ conceditur.

In Majo, plurimorum Magnatum interventu actum est apud Rdum Patrem Vice-Provincialem, ut Majoris Poloniæ Palatinatibus ad Campum Electoralem profecturis, donaretur Noster, Collegiatæ Urbis Concionator. Aderat ille, quà ad Koło Lustrationi, quà ad Varsaviam Electioni, perpetuo religiosæ prudentiæ elogio, & sacræ Eloquentiæ pretio; qua Nobilitatem Majoricæ è Castrensi Cathedra cum memorabili plausu, sæpius persuadebat ad concordiam: dissidia plurium Magnatum, in amicitiam & familiaritatem usq tenerrimam consignavit: à tractanda ratione Status, invictè abstinens: in Comitiis Electoralibus supra bimestrem moram, dicto obsequio, sibi & Societati meruit cum æstimatione amorem. Rediit cum Palatinatu, reduce à Campo, in quo discordia consentientium, duo electi ad solium 25. Junii.

Tres è nostris Dimissi.

Plurium inconstantia, diverso quidem anni hujus tempore, in exitum damnabilem præceps, simul tamen hîc memoranda, tum paritate iniqui consilii, tum unius ex altero sequela ausus. Hi sunt, Michael Dzelamars, Antonius Retchacki, ille tertii, hic secundi anni Theologus: & Christophorus Maniecki Professor infimæ. Primus ex dictis à Societate defecit, undecima Februarii, alter 25 Maii, uterq occultis viis Romæ extorsit dimissionem. Tertius secunda Aprilis, non expectato Romæ imperio vel assensu, urgentibus quibusdam circumstantiis, exesse à Societate jussus,: Patentes dimissionis accepit, obligativas sui, ad ingressum alterius religionis. Hunc aliquot hebdomadas apud Sanguine junctos dimissum jam ferentem, alicujus infamis morbi suspicio, cognatâ domo emovit, & dicendi potandiq licentia fecit exosum. Pariter etiam qmvis diverso tempore in Societatem cooptati, per Vota Simplicia Adjutorum temporalium: alter quinta Martii: Casimirus Klimecki: alter 20 Julii Jacobus Kapeta.

Post medium vero ipsius Junii, ad Sacerdotium promoti sunt Theologi tertii anni, quinque, ordinatiq à Rndissimo Posnaniensi Suffraganeo. Unus ex iis, primò sacris ad aras operatus, in templo Nostro, festo B. Aloysii Gonzaga: alter in Collegiata D. Magdalenæ, festo memoriæ annuæ in sacellum ejusdem templi introductæ imaginis D. Xaverii, & in Patronum Urbis olim electi. Duo festo Visitationis Beatissimæ: quintus à Consanguineis Cracoviam evocatus, ex assensu Rdi Patris Vice Provincialis.

Octavæ Corporis Christi, devotionem, conclusit Illmus loci Suffraganeus: in præsentia frequentissimarum Matronarum Senatoriæ dignitatis: ambulacra omnia templi, faces omnium Congregationum illustrarunt.

Musicus abductus.

A medio Januarii in Julium usq, Negotium Collegii cum Adm Rdo Præposito Collegiatæ S. Magdalenæ, cujus instinctu, cujus (ut probabilis est conjectura & præsumptio.) suasu, Musicus ex Bursa nostra abductus à Rndissimo Spinek Canonico Plocensi: non absoluto, ad quod vi inscriptionis obligabatur, obsequio. In ipsis præliminaribus fere medius excurrit annus.

annus. Ad instantiam Illmi Suffraganei, hac viâ inopiæ dicti Præpositi, succurrenti, eodemq Præposito id apud Nos exorante, suscepta Complanatio: Invitati ad decidendum amici concluserant, ut Præpositus Rndissimo Canonico scriberet, Musicum abductum ut spoponderat (quod ea literis ad se datis Præpositus testabatur palàm) Calissium mitteret, recipiendum ibidem à nostro Collegio: Interim autem, ut Actionis Juridica prosecutio ad octo hebdomadas dilata est, decisioni amicabili Præpositus non satisfecit. Proximè enim à complanatione produxit literas à Rndissimo Spinek, quibus testabatur à se ad remotiora abituro, Patribus Piarum Scholarum, musicum datum esse: adeoq prætendit, Præpositus, se Canonico, in præcepta materia, inutiliter scripturum. Addiderat Rndmus Spinek in literis binis, quod nec instinctu, nec suasu Rndi D. Præpositi abduxerit Musicum, sed ex commendatione alicujus Germani receperit cum testimonio quod nulli obligatus sit. Adjecerat in suis literis Rndmus Canonicus ipsius Musici, quod non suasu Rndi Præpositi, sed ultroneè se præsentavit, ut alias liber nec obligatus, quia annorum 18: causalis verè musica, pro libertate asserenda. Sed fictionem literarum detexit inscriptio ablati musici missa P. Præfecto Bursæ à R. D. Præposito Grodecensi. Et sic negotii totius hæsit prosecutio.

Difficultas et inquieti pericula temporis Fabricam templi nostri ab Incremento et consummatione retardarunt. cum summe, Promovendæ Fabricæ debita, Silentibus ob motum civilem Juribus negarent: et obtentu expensi æris, temporis Electionis, multas expensas hauriente. Materia tamen futuro operi præparata. Aedificia fatiscentia, Domi et in pagis restaurata. Trabes et fulcra supposita. Munimenta fundamentalia in supplementum extracta Varsaviæ ex Metrica Regni, sumptu pretioso. Servantur in Archivo.

Stephanus Tomicki Grammaticus obiit.

Stephanus Tomicki, genere et indole puer, sup ætatem spei Nobilissimæ Grammaticus, Parentum expectationi morte ereptus. Funus ipsius apud PP. Carmelitas Discalceatos actum: triumphali curru per forum Urbis ductum: Sacris operatus R. P. V. Rector. Funebri elogio Innocentis pueri virtutes celebravit Pr. Theologiæ Professor. In scholis justa pueri afflictionibus, et Dramate honorata.

Annum Theologicum et Philosophicum aliquot solenniores Disputationes finivêre: quas coronavit insignior, sub Imagine S. Patris, postridie Ignatiani festi à Logicæ Professore, doctè concertata.

Annus Literarius, ab Oratione exordia sumpsit, ad hanc dicendam, Augusti dies ultimus, primo sequenti cessit, qui Dominicus erat, Aeternitate suâ in aliorum liberalior commoditatem. Primi dies, desidiam alioqui solitam in Juvenibus, emendasse videbantur, numero, diligentiâ respondente.

Vice Præsidem Provinciæ, Præsidem verò suum, R. P. Stanislaum Bieczynski, recepit Collegium Mense Octobri. November Hospitem, et Provinciæ Moderatorem R. P. Valentinum Lutck hic primò, Româ reduce salutavit. Sacram D. Stanislai Kostka lucem quà lampadum numerosarum, turri civitatis, et in templo appensarum igne, pridie postridieq, quà concursu populi splendidiorem, auxit ad Aram Principem solenni missa Illmus et Rndmus Suffraganeus. Sacro lavacri fonte Judæus Adolescens ætate non plus 18 annorum, ablutus, albo Christianorum Nomen, decus templo eidem addidit. Unguentum sacrum, roborandis in fide animis porrectum, piis laboribus Illmi Suffraganei allaboravit humanitas R. P. Rectoris, mensæq illum, unà cum Nobilibus præcipuis accepit. Ultimis Novembris, Tyrocinio D. Stephani accessit ejusdem nominis, et probatæ virtutis Juvenis Zbijewski, annis, sueteq fervore superato major.

December Opalenscios Capitaneidas fremens palæstris literariis, olim per furorem Inspectoris ademptos, gloriosius reddidit, quam fuerant indignius accepti. Idem Mensis de more, Missionibus plurimis celebratus. Ab Oppidanis Kostrzynenses, Monialium sylva Siekierecensi Gnesnensis S. Clarae Imperio, Sylvam Siekierecensem, magna parte excisa, jus prætendendo. Caeditur extendit à nostris alter hoc incisum scripto, antehac revisum. Monialium

Annus Domini 1698.

Adm. R. P. Thyrsus Gonzalez Præpositus Generalis.

R. P. Valentinus Lueck Provincialis.

R. P. Stanislaus Pieczynski Rector Collegii.

Annus hic Personas Collegio 62 legebat. Ima Februarii, Drama, et Spectatore insigni, et successu celebratum. Purificationis dies Virginis sine Macula, triumphalibus spectaculis, Ignibus, populiq frequentia adornatus. 4ta Februar. Collegii decus, medicinæ peritia insignis, Virtus in Uno succubuit Jacobo Kapeta, 2da admissione Junior, patria Bohemus, nostrûm omnium et externorum dolorem elicuit. Veneno, ut Medicorum sensus erat, infectus.

Jacoby Kapeta obijt.

Ultra potentiam, nostrasq invisendi villas desideria, cohibuit favor Illmi Ducis, experitus per Unum è Nostris, Leopolim missum.

Inter Hilaria Resurrectionis, lacrymas super patiente Deo jam continuisse videbamur: Deo aquarum violenta in Urbem Nostram irruptio, sine exemplo plusquam à seculo memorando, humectavit palpebram, extrema judicii quantumvis pii, luctu occupante. Feria 2da Paschatis Dies erat Calamitatis nostræ prima, quæ famam, per damna, Urbi, Aedibus, Templis, privatisq omnium domibus illata, vulgavit. Nocte subsequenti, quo securos sui falleret, Urbem invadit, injumenta primò per plateas sparsa, iram effundit, et in Pauperes humi Noctem exigentes sævior fuisset, ni gemitibus et clamore operam Vicinorum evocassent, qui naufragantibus manum porrigerent. Eadem Nocte, omnia Cellaria Nostri inundat liquoribus. Sed illud gravius, quod in dictis Deo aedibus RR. PP. Prædicatorum Templo fundamenta cum Columnis tribus subruerit. In Templo S. Magdalenæ et Collegii nostri, nonquidem par damnum, magnum tamen periculum: In illo, prosperâ quadam necessitate, Xtus in Eucharistico orbe, auxiliari Petri manu eguit, ne mergeretur (jam enim et Princeps ara natabat) ad templum S. Martini delatus. Nostrum verò templum, vicinia aquæ tribus nonnisi digitis metiebatur: intra tamen Sepulchrum admisit undas, quæ ad ipsum ostium Sepulchri, multas transmiserunt tumbas. Doluimus de singulorum jacturam, ac memoriæ corpus mersum P. Gasparis Druzbicki ingemuimus: nihil enim erat, quod post fata, Vir puritatis eximiæ, eluere debuisset. In Collegium, non minus iniquior Unda: Sacrarium, Refectorium, Aream, et quas hæc complectitur Officinas ultra duarum Cubitorum Mensuram mersit. Nostri subitò, Sacram suppellectilem et domesticam in editiorem locum transferre, in Templum reliquam, reliquam in Collegium deportare, alii scamnorum portatilium ope, alii doliorum invicem ligatorum navigare, alii cingulo tenus madefieri, ut rebus naufragantibus subvenissent. Refectorii supplevit vicem Commune Theologorum Culina verò, domesticæ fornaces. Multi nostrûm in sua pericula diligentiores augere opinione vel suspicione periculum, multi interioribus habitaculis se concedere, omnesq DD. Tutelaribus periculum commendare, omnesq consternari: justo timori dedit argumentum, succumbens variis in locis templi pavimentum, reciproco defluxu exesis parietes Sacrarii, satis ut in summum periculum, sic pronum in Nostram fidem. Eadem aquæ furor impedivit docta Scholarum otia, seu ad lauream Navigandum esset. Classes inferius positas altius ut vix pauci post 2dam Dnicam Paschatis (ante quam inde aqua recesserat è Collegii area et Urbe) Studiosi comparerent. Urbe plorante Suburbia feliciora esse sciuit, Ecclesiâ Cathedrali eandem sortem patiente: In Platea Vaticanâ ad omnium Delubrum tecta usq ascendit hæc aqua altitudo. Suburbium quoq Grodka dictum profundè natabat in aquis, quæ in gradibus ante templum PP. Reformatorum tandem substiterant.

Inundatio gravis.

Aqua in Sepulchro nostro.

Ultima Augusti hoc est in ipsis Studiorum encæniis, à P. Rhetorices est Oratio habita, in Hospitum Religiosorum, et nobilium aliquorum (nâ post limitata S. Joannis judicia) præsentia.

Die 20 Octobris post immemorabiles dissensionum annos, vacante pro tunc Officio Succameraliali, facta est complanatio cum monialibus Ordinis S. Francisci Conventus Gnesnensis, ratione limitum, inter oppidum Kostrzyn earundem monialium et Villas Siekierki, Collegii nostri hæreditarias. Præsentes actui huic fuerant Amici et mediatores, M. D. Albertus Zdzychowski Dapifer Posnaniensis M. D. Joannes Ulatowski Subdapifer Dobrynensis M. D. Albertus Pawzeuski M. D. Tiburtius Mikołaiewski. Tractatum Sigillo Conventus confirmavit Religiosa Anna Zabłocka, Abbatissa Conventus ejusdem, manuq propria subscripsit una cum cæteris 6 monialibus, Vicariis prædicti Conventus. Fundus Controversus qua scopulis, qua incisionibus arborum, qua deniq valli positione, signatus pacis ac concordiæ inter oppidanos Kostrzynenses ac subditos nros signum notaniq ac odiorum terminus.

Dilimitatio Kostrzynum inter et Siekierki.

P. Andreas Stefanowicz Coadjutor Spiritualis formatus post inclusionem trium mensium nona mensis Novembris est dimissus. Annos in Religione exegit 18. Procurationem Pagorum in Siekierki etc. ad annorum aliquod extendit spatium.

P. Andreas Stefanowicz Dimissus.

Eluvio aquarum descripta superius: Corpus hactenus integrum R. P. Gasparis Druzbicki post aliquot menses corrupit ac dissolvit. Ossa in suo loco sunt reposita.

B. Stanislai Kostkæ Dies, Illmum ac Rssmum Suffraganeum et Administratorem Bonorum Episcopalium Hieronymum Wierzbowski ad aras in Sacro solenni habuit. Ac à R. P. Rectore religiosa humanitate et in Refectorio mensa cum Perill. D. Wierzbowski Consanguineo, Directore Academiæ, et Primariis è Civitate Hospitibus tractatus est. In ejusdem Elogia R. D. Chrzcinski Præpositus S. Martini è sacra exivit Cathedra. Finito prandio Illmus Suffraganeus, Confirmationis Sacramentum Juventuti et populo in nro Templo est impertitus. Quingentas lampades in Turri Civitatis labore et cura Theologorum Scholasticorum in Coronâ dispositas triumphales ignes, Beato Regni hujus Patrono excitarunt, et in frigidam devotionem ac tantos ignes luculentissime etiam ipsis Hæreticis ad invidiam, demonstrarunt. Magnificentissima fercula, labor Professorum trium Classium, Beato et spectaculo Urbis fabricaverat, quæ (in Pervigilio et ipso die inter numerosas faces, cantus puerorum et tubarum, explosiones mortariorum) sexiës per plateas et forum sunt devecta. Professionem 4. Votorum eadem die, P. Olechowicz fecit, hoc est ut inquit Seneca Patriam sibi Mundum professus est, ut liceret latiorem campum virtutibus dare.

Confirmationis Sacramentum in nro templo, collatum ab Illmo.

P. Olechowicz Professionem emittit.

Stare virtus nostrorum nescia loco, Obiezierzum (ubi caput est S. Clementis Papæ M.) ad Spirituales fructus è missione colligendos exivit.

E Religione ad Seculum redit, 20. Novemb. Valentinus Olay-Niewicz Coadjutor Temporalis post Religionis 9. annos in Societate.

Olaykiewicz dimissus.

Eodem mense monialibus 17 S. Benedicti ante Consecrationem Collectiones ab uno è nostris datæ. In ead. Solennitate P. Franciscus Poninski Professor Theologiæ concionatus est.

Festum B. Mariæ Virginis immaculatè conceptæ a Congreg. Media in frequentia magna populi et nobilitatis ad judicia Castrensia convolantis solenniter celebratum est. Imago tota adamantum radiis collucebat. Icones duæ SS. Quirini

Festum S. Conceptionis.

et Venusti

et Venusti in altaribus ad utrumque latus positis, in tantum martyrum purpura: sed et lapidibus pretiosis gemmisque caeterosque apparatu splendebant. Paradisus supra magnum excitatus altare, innocentiam B. Virginis cal:cantis serpentem, in memoriam spectatorum revocabat. Peristromata, templi exornabant parietes. Oratio cum desiderato successu a M. D. Raphaele Sumienski et plausu singulari habita. Processio vesperi a R.P. Rectore celebrata.

Nec hic tantum stetit singularis B. Virginis cultus, ipse: rum etiam duorum ejus alacritas ad concionem et confessiones eodem ex: currerat festo.

Exercitia octiduana Patres hoc anno Zeterni peregerunt.

Conclusione Thlgca dedicata Illmo Generali oppugnata a Canonicis.

Conclusiones Theologicae de Jure et Justitia Illmo Ge: nerali Raphaeli Leszczynski, Perilli Rychlynski Judici Surrogato et Perilli Procopio Lipski Notario, sunt inscriptae et dedicatae in prae: sentia Canonicorum et nobilium ad Judicia Congregatorum. Ama oppugnavit loco Perillis Stawowski Canonico Posnan. sed quia erat sententia ad oppugnandum accepta: an Judex possit damnare secundum allegata et probata reum, quem tamen privata notitia scit esse innocentem, Perillem dictum Surrogatum et Perillem Szoldrski Ca: nonicum Posna: ad objectiones permovit in contra.

Fabrica templi promovetur, aucta a R.P. Trzmpczynski 20000 fl.

Templi Nri Muri qui a pluribus annis lentissime as: surgebant (ita ut diceret passim: Extrema Judicii Divini Dies fi: nem Posnaniensi PP. Soctis Jesu imponet Templo) hoc anno per singularem curam Superiorum, Praefecti Fabricae et insignem libera: litatem P. Martini Trzmpczynski (qui viginti millia huic do: navit Fabricae) contra spem et exspectationem cum admiratio: ne pristinula omnium ad summum pervenerunt fastigium, et tegulis sunt contecti ante hyemem. Granarium exstructum cum stabulo et curruum receptaculo.

Nativitas Dni Multos e Collegio nro ad missiones ex: pediverat.

Aquarum inundatio, sterilitas ingens, hyemis defectus, morborum atrocitas, hoc anno vexavit majorem Poloniam.

Annus 1699.

Sub regimine R.P. Stanislai Bieczynski

Festum Circumcisionis Dni Illmum Suffraganeum cum aliis Hospitibus in Templo et Refectorio habuit. Nomen Jesu supra Altare magnum inter plurimas lampades radiabat. Omne genu, Caelestium, terrestrium et infernorum depictum et ele: ganter dispositum totum spatium templi supra altare occupabat. Labore Theologorum Dni anni Scholasticorum. In Pervigi: lio etiam ipso festo, inter mortariorum sonitus, ducenti pyroboli sunt emissi.

Funus M. Dni Andreae Butakowski in Templo nro.

Ad finem January depositum est solenni pompa in templo nostro Corpus Magnifici D. Andreae Butakowski Pocillatoridae Posnaniensis Aulici S.R.Mtis qui ex Moschovia reduxa servis suis crudeliter occisus interijt. Funus ejus 23. February notabili Apparatu, et liberali eleemosyna, tam Collegio quam templo no: stro a Perillustri illius Matre collata, celebratum. Emicuit his ipsis temporibus Zelus Operariorum nostrorum, qui servos, patrati in Dominum homicidij reos, com: pre-

hensos, et ad varias carnificinas, mortemque damnatos, eximia charitate et diligentia, ad supplicium cum insigni patientiae exemplo tolerandum, disposuerunt, ac per quatuor fori partes cruciatos, admirabili totius urbis aedificatione, sex Patres, inter san: cta monita, piosque affectus, ad ultimam sententiae judicialis, intercessione nostrorum, nonni: hil mitigatae, executionem deduxere.

In Februario, die Purificationis B. Mariae Virginis, P. Joannes Poradowski Procurator Domus et Praefectus Fabricae Templi, quatuor emissis publice ad Aras votis, Professorum Societatis numero adscriptus est.

Ad initium praedicti mensis vigore Poenae Bannitionis obtentae super M.D. Tholibowski Castellanidam Camenecensem ratione 15 millium Florenorum Polonicalium summae segociana, ac census ab eis, Templo ac Collegio debiti, facta executio ex Castro Bobrovnicensi, in Bonis Tholibow, et Glewo, causaque tota remissa ad Judicia Tribunalitia Petricoviensia. Admdum R.D. Joannes Modrzynski Poenitentiarius Metropolitanae Gnesnensis Eccliae, sapientissime erga Collegium nostrum liberalis exstitit: dum Bibliothecam plurimis libris dono datis, scilicet Interpretum Sacrae Scripturae Recentiorum, Theologorum Moralium, Canonistarum, Concionatorum, aliorumque Auctorum selectissimorum auxit.

A.R.D. Joannes Modrzyński Poenitentiarius Cathedr. Gnesnen. suam Bibliothecam nrae donat.

Ante Bacchanalia, M. Syntaxeos solenne Drama habuit, potiusque Dialogum propter apparatum scenicum, reique tractum longiorem et serium.

Dominica Quinquagesima, Illmum ac Rdmum Hieronymum Wierzbowski Suffraganeum Posnaniensem, celebrantem Sacrum Cantatum habuit: et in Refectorio, re: ligioso excepit prandio, cum Perllri ac M. D. Radomicki Capit. Ofiecij Perllri D. Szart: kowski, alijsque Hospitibus, Societati et Collegio huic addictis singulariter. Idem Rdmus Suffraganeus feria 3tia Bacchanaliorum in populi magna frequentia triduanam devotionem solenni terminavit Processione.

In Martio, R.P. Rector cum R.P. Provli Kozminum ivit ad funus Illmi D. Vladislai Przyiemski Palatini Calissiensis, singularissimi Amici, et Aesti: matoris Societatis nostrae. R.P. Provlis Kozmino movit Calissium.

Die 20 hujus Mensis translatum est Corpus ejusdem Illmi Przyiemski Palatini Calissiens. Kozmino ad Templum nostrum. Solennes Exequiae sunt ce: lebratae inter multorum Sacerdotum tam Secularium quam Religiosorum Sacra, atque Vigilias.

In Quadragesima duo exhibita Drammata, unum a P. Rhetorices, alterum a M. Grammatices, cui nec successus nec Apparatus defuit.

Annuntiationem Btae Mariae V. Congregatio Studiosorum Maxima, bina numerosa processione coluit, supra majus altare varias picturas exhibuit festo et populi devotioni intervientes.

In Aprili, Venerabile Corpus Sanctae Memoriae, P. Gasparis Druzbicki per plures annos incorruptum, et insolita Aquae inundatione (quae Urbem totam ante annum vastaverat) fere ex integro dissolutum, cum suis sacris ossibus, in aliam tumbam aeneam, liberalitate Perllis M.D. Annae Butakowska Pocillatricis Posnaniensis comparatam, translatum est, nullo aut faetoris, aut putredinis, horrorisque alicujus vestigio; quamvis humida massa dissoluti Corporis spectaretur.

Corpus Ven. Patris Druzbicki, insolita aquae inundatione dissolutum, in tumbam aeneam transfertur, liberalitate Perllis M.D. Annae Butakowska compa: ratam.

Ad Missionem Paschalem, plurimos Patres, Magistros, et Scholasticos, Collegium nostrum hoc expedivit anno; Parochi invitarunt, Zelus et singularis animarum cura traxerunt.

Hoc Anno Templi Frontispicia duo, in Julio, sunt erecta, quibus inclusa sunt Nomina aeri incisa, Summi Pontificis, Regis Poloniae, Generalis Soc. JESU, R.P. Provincialis Poloniae, R.P. Rectoris, ac omnium Personarum Collegij, adjecto anno et die. Fornices item 2. Capellarum erecti, et duae Columnae templi.

Actus Theologici et Philosophici, Honori multorum Dominorum sunt consecrati, in decursu ejus Anni Scholastici.

Citatio data Dno Smilewski ratione adempti debiti Societati tituli.

Lis intentata, Domino Smilewski ratione adempti tituli debiti Societatis, et posita Citationis ad Portam: ubi post Apellationem factam Petricoviam, ibidē infamia super præfato Smilewski; tandē ex remissione Lublini obtenta in contumaciam. Nunc executio breve super eundem intentabitur, ac ulteriori jure honor Societatis vindicabitur, a Patre Procuratore Jurium.

Pro Festo SSmi Corporis Christi, duo ex nostris Patribus excurrerunt Wschowam pro missione, et simul introductione in Ecclesiam Perillris Rdmi Caroli Poninski, quæ facta est in præsentia Illmi Parentis Castellani Gnesn. ubi auxerunt Solennitatem Concione Germanica.

In Julio Divina Providentia singularis præservavit ab interitu Personas Collegij. Nam postquam a mensa cænæ surrexerunt, trabs una cum fornace Cubiculi Superioris cecidit in eum locum, ubi Sacerdotes sedebant.

29 Julij dimissus est Joannes Ditloff Scholasticus, primi Anni Theologus, qui post primum annum Theologiæ avulsus, impetravit reditum ad eandem: vixit in Societate annis 13.

P. Mart. Trzympczynski 80m inscribit Fabricæ Collegii.

Die Assumptionis B. Mariæ Virginis P. Gabriel Rzeczynski Professor Rhetoricæ, et P. Joannes Bieczynski Professor Philosophiæ, 4 vota professi sunt. Mensis hic plane Augustus, speciali liberalitate R. P. Martini Trzympczynski longe augustior. Nam 17ma ejus coram Actis Castrensibus Posnaniensibus Prædictus Pater pro Structura Collegij dedit, donavit et inscripsit Collegio octoginta millia florenorum Polonicalium quæ eundem concernebant pro venditione bonorum hæreditariorum Lzowek ac aliorum eo pertinentium M. D. Pawlowski.

Ut ad aras primo, quam ferventissimè accederet Perillris ac Rdus Carolus Poninski Canonicus Posnaniensis, filius Illmi Castellani Gnesnensis, solitudinem sacram et Exercitia spiritualia hebdomadaria absolvit in nostro Collegio.

P. Fran. Poninski in Cathedrali Templo die Dedicationis illius concionatus.

Ad finem Augusti in Cathedrali Templo, concionatus est Pater Franciscus Poninski Professor Theologiæ Scholasticæ ipso Dedicationis ejusdem Basilicæ, die. Post concionem obvium quendam Sacerdotem Veteranum habuit, qui hæc formalia Patri Prælato dixit: A 50 annis, non vidi in Cathedra hac Concionatorem Societatis Patrem.

Ultima Augusti juxta Ordinationis imperia Encænia celebrata sunt Studiorum: Oratio habita a P. Rhetorices: in qua, amplissima et Nobilissima Bibliotheca Major dicta Polonia. Et quia Generalia Nobilitatis Judicia necdum erant peracta, Castellanum Gnesnensem, Capitaneos aliquot, Officiales Palatinatuum plures, numerosam Nobilitatem hic excepit Actus.

Congregationis Civium Die natæ Virginis, in eandem pietas, liberalitas, frequentia.

8va Septembris Natam in terris Virginem Congregatio Civium solenniter celebravit. Nova in Argento comparata est Imago, processionum usibus servitura: quæ ex elegantia laudem meruit Nobilitatis ad Judicia, S. Joannis, Congregatæ. Musica personabat SSmæ Nomen in Turri Curiæ, tormenta idque crebro sonitu repetebant. Ferculum in processione ferebat Civitatis Turribus, Aquilis Mariæ Nomen contemplantibus instructum. Cantus et inscriptiones rem totam explicabant. In templo supra Majus Altare Civitas Posnaniensis depicta erat: supra quam tabernaculum Dei Virgo Nascens demittebatur ab Angelis. Conclusit hujus diei Solennia Illmus Suffraganeus Posnaniensis. Hoc anno et et præterito importatus est Sacer Usus Musices in Congregatione, pro singulis festis B. Mæ, qui et hactenus viget, perpetuâ fundatione Dni Præfecti Watzon confirmatus. Notandum vero, quod qui vix olim nomen Congregationis suæ audierant, plurimi etiā Veterani, Ejusque albo reddidit. Per biennium

in

in Congregatione hac, 5 hæretici errorem suum ejurarunt, Catholicam Fidem amplexi.

Eâdem die post decantatum Sacrum Illmo Stanislao Leszczynski Palatino Posnaniensi Panegyris a P. Joanne Bieczynski Prof. Philos. in templo reddita, Ad Mentem Patriæ Caput. Auctor Operis P. Martinus Trzympczynski Consummatus Theologus, Illmum vocavit, In fastos gloriæ auctum Stemma retulit, quia Egregium semper Patriæ Caput est Futurus.

Poena Dni Smilewski, ob debitos Societati titulos ademptos, incompetentes vero eidem attributos, à Judicio Tribunalitio decreta.

4ta Novembris cum Domino Floriano Smilewski Regente Terrestri Posn. in Tribunali Regni Petricoviensi feliciter et ex voto Collegij agitata Causa, idque pro eo, quod in Relatione ad Cassandam edita Collegio et parte Magn. Pr Tholibowski Castellanides Camenecensis debitos Societatis JESU titulos ademerit, novos vero, eidemque Societati indebitos et incompetentes adinvenerit, ipsamque Citationem in porta Collegij poni demandarit. Causa hæc Anno in Castro Posnaniensi agitata; tandem ad Tribunal Petricoviæ mota; ibi in Contumaciam et Decretum infamiæ obtentum atque interposito aresto, Causa Lublinum remota. Lublini item infamiæ ac Captivationis pœna obtenta super D. Smielewski. Ex hoc Decreto facta Executio, Remissa Lublinum vel Petricoviam. Itaque Petricoviæ ex Controversijs Serijs feria 4ta post Festum Om. SS. Negotium agitatum, ubi Judicium decrevit, sessionem Turris Dno Smielewski per spatium 12 Septimanarum, luitâ pœna triplicis Vadij Capitanealis: Parti et Judicio totidem, quod facit florenos prope mille ducentos. Item eliminatio ex Actis ejusdem Relationis ad Cassandam, unà cum ejus Oblata ad Acta Bobrovicensia, necnon ipsius Approbationis, Decreta. Ipsum Decretum honorifice in laudes Societatis scriptum, non sine invidia inimicorum Societatis, qui Causam hanc, risui a principio habere cœperant, dicentes: Eam esse insolitam, et inauditam, ut aliquis juridice agat ratione tituli sui; atque ideo finem Causæ hujus consultè ingens multitudo expectabat, ut Præjudicatam contra Cancellariam domos suas deveherent.

Venit ad Collegium nostrum Valcio, 12 Novemb. R. P. Provincialis, et visitatione peracta Calissium a nobis abijt.

Solennitas B. Stanislai, ignibus artificiosis specialiter adornata.

Eodem Novembri mense, in Processione Solennissima, Victori ad Chotimum, et Viennam, B. Stanislao Kostka triumphus est institutus. Ibant triumphales Currus dexigis per plateas Urbis et Forum ducti, inter Studiosorum occinentium voces, inter ardentes faces, inter explosiones è lapideis pluribus bombardarum; Visa est Curiæ Posnaniensis Turris tota ardere ignibus; Nam 600 lampadibus, pulcherrimè ad Spectaculum in Coronam et Pyramides dispositis, collucebat; impensis Unius è Pog. 4ti Anni Theologis. Reboabant pridie, et ipsa die tormenta, in Vallis posita, longe lateque famam, D. Patroni Regni ferendo Poloniæ. Concurrebat tota Civitas ad Spectaculum in Curribus adornatum, plausum dabat, devotionem prædicando Nobilem. Singulariter tamen hunc triumphum Dnus Carolus Unrug Capitaneides Valcensis, Auditor Eloquentiæ (quamvis Lutherani erroris Juvenis) adornavit. Hic enim artificiosos ignes, (hic ordinante puto DEo) quos a Dno Seper Cive Posnaniensi, 600 ferè florenis, emerat, ut privatæ recreationi in abitu ad Othomanicam portam cum Illmo Generali Leszczynski Magno Legato destinaverat, facile ad nostrorum preces in honorem Divi Stanislai avertit. Videre erat, et illico admirari exquisitos pyrobolos evolare in altum, multiplicari desuper Stellas repræsentare, cadentes, Dracones pulvere fartos ardere integros, rotas relucere ignitas pluviam igneam, recreare et terrere populum, machinas duas grandes, numerosos pyrobolos in omnes partes spargere. Verbo, Regum vel Principum potuit illis ignibus adornari adventus. Illmus Suffraganeus Loci solenne celebravit Sacrum, concionatus Perillris et Revdmus Carolus Poninski, Canonicus Posnaniensis: idemque cum Illmo Castellano Gnesnensi Perilli Capitaneo Schovensi, Canonicis nonnullis, et aliquot præcipuis Civibus, Religiosæ mensæ interfuêre.

Primis diebus Xbris P. Franciscus Poninski Professor Theologiæ Scholasticæ

Theses Civitati dicatæ. Imago S. Xaverii in Curia posita.

per Dnum Dreszler Urbi Posnaniensi dedicavit Conclusiones Theologicas. Omne dicatæ Theses cum egregia icone, Pragâ advecta advectâ majori folio impressæ erant. Præsidentibus et Consulibus in tela datæ. Imago S. Xaverii a Nobilissimo Pictore Wschovensi exquisite relata in telam, deauratos habebat margines quæ peracto Actu ad Curiam Urbis relata, et inter duos Reges honorificentissime ab ipsis Civibus collocata est. Interfuerant huic Solenni Actui Cives multi præcipui, Complacentiæ et gratitudinis signa demonstrantes.

8va Decembris Congregatio Media Pyramidibus, 100 lampadibus refertis, Immaculatæ Conceptæ Virginis Genio, Imagine pretiosis lapidibus collucente, Templum peristromatis adornavit nostrum, et Matutinam processionem; Oratio a D. Francisco Kozdrazewski Castellanida Medzerecensi Præfecto Congreg. Ejusdem et Auditore Rhetorices, habita. Vespertina Processio bajulum Venerabilis Sacramenti R. P. Rectorem vidit, Exhortatorem Professorem Theologiæ P. Szczaniecki audiit.

Casimirus Falecki Dimissus.

Ad Seculum e Religione nostra rediit 12 Decembris Casimirus Falecki Primi Anni Theologus. Hic ex Charitate R. P. Rectoris in abitu Contentissimus curru atque equis Collegii, eâque horâ ad Consanguineum vicinum Bidgostiæ, est devectus.

Hic annus Numerosissimas et Splendidissimas habuit Scholas, Mille enim et plus quam ducentos Palladis numeravimus Alumnos: e quibus aliquot ex Academia Posnaniensi venêre.

Annus 1700

Sub A. R. P. Gener. Thyrso Gonzalez
Sub R. P. Provinc. Valentino Queck
Sub R. P. Rectore Stanislao Bieczynski

Circumcisio Dni in Templo nostro et frequentiam populi confluentis habuit, et præter varia peristromata conquisita, Nomen Sanctissimum Jesus inter lampades radiabat. Illmus Suffraganeus Posnaniensis Wierzbowski Solenne celebravit Sacrum, et (cum Canonicis atque aliquot præcipuis Civibus Religiosæ interfuit Mensæ) cum Illmo Castellano Gnesn. D. Poninski et Capitaneo Schovensi Canonicos.

In fide Christiana instructus 3tia Januarii baptizatus e Judæus Unus, in Februario Edus.

In Festo Purificationis B. Mariæ V. Congregatio Minima ad Cantatum Sacrum Satis numerosa, quia ducentis ornata Sodalibus et Tyronibus prodiit. Spatium supra majus altare, peristromata occuparunt et Lampades. Oratio habita a D. Gaspare Modlibowski Poeta in præsentia Illmi Suffraganei Posnan. Decani Kierski et aliorum Canonicorum. Conclusit Devotionem prædictus Decanus Kierski et Exhortatio habita in Congregatione Vesperi a P. Poninski Professore Theol.

Ex Actis Dobrovonicensibus facta eliminatio Relationis ad cassandam injuriosæ Colleg. Posnan. Soc. JESU de qua 4ta Novembris anno præterito.

16 Februarii innovata est in Congregat. Civium Divi Valentini Devotio: præter Solenne Sacrum a R. P. Rectore habitum, Missæ ibidem celebratæ 19, qua a nostris, qua ab hospitibus. Communicarunt eâdem die 150 hnes, S. Valentino devoti. Exhortatio a P. Professore Theologiæ Poninski habita in frequentia Civium et Studiosorum.

Ultima Bacchanal. Die Congregatio Civium Processionem habet.

Ultima Die Bacchanaliorum Processio ad Templum nostrum a Congregatione Civium instituta. Ibant præcipui ex Civibus viri, perferebant Cereos, etiam ex hæreticis aliqui. Ultima Bacchanaliorum dies præter consuetum his diebus confluxum ad Sacra, Vesperas, et Conciones hominum; Processione nostrorum decorata est. Ardebat Nomen JESUS inter lampades, Zelumque Societatis JESU clarissime demonstrabat. Illmus Suffraganeus Wierzbowski, ut die Dominico, et 2do Vespertinæ Devotioni et Concioni interfuit, sic et in Sacro processionis Circulo Centrum amoris et affectuum nostrorum Christum in Venerabili Sacro detulit.

6ta Maii in Rhetorica ædificata sunt Scamna Summe Solida, quia de robusta et tenera quercu, Satis pulchra, quia artificiose et egregie, impensis Collegii et Singulari Cura P. Joradowski ac industriâ efformata.

Congregatio Provinc. Cracoviæ.

Hoc anno celebrata est Congregatio 20 Maii Cracoviæ in Colleg. S. Petri, Præside R. P. Valentino Queck. Electus est in Procuratorem Romam R. P. Stanislaus Wdziemborski, Socius R. Patris Provincialis: in Substitutum R. P. Tobias Jasłowski Rector dicti Collegii. In absentia autem R. P. Rectoris habuimus Vice Rectorem Patrem Franciscum Poninski Theologiæ Scholasticæ Professorem.

P. Stephanus Szczaniecki dedicavit Conclus. Theologicas Judicibus Terrestribus Posnaniensibus, hoc est, M. D. Malachowski Judici; M. D. Raczynski Subjudici, et M. D. Rogalinski Notario. Conclusio Imaginibus et Stemmatibus adornata, in loco Judiciorum est deposita: et cum plena affectus atque gratiarum actionis Oratione a M. D. Rogalinski excepta.

Ex summa Strzemesz. 8m Rndmo Lucæ Wielewiejski in censum data.

Eodem Mense Majo ex Summa Strzemesziana data sunt in Censum Millia 8 (ex Voluntate R. Patris Provincialis) Perillustri ac Rdo Dno Lucæ Wielowieyski Canonico Kijoviensi, Præposito Strzalkoviensi. Inscriptio in Castro Posnaniensi facta. Ex eadem Summa anno præterito 6 millia Judæis Posnan. sunt ad tempus data.

Apud Stanislaum Pleszewicz Consulem Posnan: lapidea, Templo nro vicina, item platea apud Civitatem empta est, Sumptu partim Colleg. partim Perillustris ac Mcæ Dnæ Annæ Bulakowska Vicecapitanissa Subdapifera Posnanien: cui advitalitas in eadem Lapidea pro impensis millium trium est concessa.

Exequiæ Perill. M. Dnæ Teresiæ Zącka.

7 Junii in Templo nostro institutæ sunt Exequiæ pro Anima Perillustris ac M. Dnæ Teresiæ de Dobciciis Zącka apparatu magno atque splendido. Mausoleum altitudine fornicem attingebat Templi, latitudine totum implebat Spatium, præferebat Stemmata, Heliades deplorantes Phaëtontis fatum (cum allusione ad Avitum Dleus Dobrzenba) continebat. Plus quam mille quingenta prælucebant lampades, præter numerosas candelas cereas atque faces. Panegyris R. P. Rhetorices Perillri Dno Joanni Zącki Castellanidæ Calissiensi est dedicata Collegii nomine. Concio habita a P. Stephano Szczaniecki et impressa ad instantiam Domus Illmæ.

S. Joannes Morawski obyt.

Die 24. Junij, hoc est ipsa luce Divo Joanni Bapt. Sacra, ante horam Matut. 3. obijt P. Joannes Morawski Vir vere dignus longissima in terris vita, si non fuisset cælesti dignior. Depositum corpus in Congregatione Civium, multi ex Sacerdotibus Sæcularibus et Prælatis, visitarunt, plurimi magna doloris indicia ex morte tanti Viri concepta demonstrarunt aperte. Pridie Funeris à PP. Bernardinis cantatu est officium Defunctorum in Congregatione Civium, et ab ijsdem habita sunt plura Sacra, et cantatum ultimum. Ipso die Corpus à Clero S. Mariæ Magdalenæ è Congregatione Civium transportatum est ad S. ejusdem Templum, Sacrum decantatum est ab eodem Clero, aliorumq Parochiarum Personis plurimis. Missa Solennis à Reverendissimo Canonico Posnaniensi Pierski habita. Religiosi Ordines ut D. Dominici, D. Francisci petebant idem officij a se præstari ut permitteretur, sed temporis angustiæ non concesserunt. Sabbati die corpus solenni et numerosissima processione ab omnibus Religionis instituta comitante Posnaniensi Clero, Prælatis et Canonicis; ipso autem Illustrissimo ac Reverendissimo Hieronymo Wierzbowski Suffraganeo Pontificaliter subsequente è Divæ Magdalenæ Parochiali Templo ad nostras Aedes a bajulis solis et omnibus Religionum Doctoribus atq; Theologiæ Lectoribus delatum est. Civitas cum Magistratu claudebat agmen Processionis. Neq; hic stetit amor et pietas Illustrissimi ac Reverendissimi Suffraganei Posnaniensis; nam præter dicta etiam Defunctorum officium Ornatuq Pontificaliter in Templo recitabat nobiscum, ultimamq Lectionem legebat. Idem, Solenne cecinit Sacrum ad Altare majus pro Patris defuncti Anima.

Lapidea Rybskich dicta, Sumptu Perillris Christinæ Zegocka reparata.

Hac æstate lapidea nostra in platea Vratislaviensi sita, olim Rybskich dicta, Sumptu Perillris Christinæ Zegocka Capitaneæ Babimosten notabiliter restaurata: non solum enim fundamenta partis respicientis viam publicam et à macellis aucta, et de novo posita; verum etiam tota facies lapideæ ac collaterales parietes majori ex parte extructi; item in fornice inferiori muro, seu arcu posito, superior fornix plane alius à præterito.

In pago Synow. cc. dicto molendinum de nova radice erectum, stagnum item, cujus via nota fuerat elicatum.

Perlll. M. Dnâ Anna Bulakowska 3m in censum locanda dedit, pro [illegible]

Augustus liberalitate in Collegium singulari notabilior. Nam in eo M. D.na Bulakowska Subdapifera Posnanien ad manus dedit Collegio tria millia locanda ex censu annuo 240 Floren. Polon. qui taliter distribuendus. Floreni Septuaginta pendendi annuatim Capellano seculari, qui in hebdomadam duas missas celebrabit pro M. D. Bulakowska sive vivente sive mortua. Patri Præfecto Templi, qui hic Capellanus utetur apparatu singulis annis floreni Triginta. Reliqui floreni centu quadraginta Collegiu per modu Eleemosynæ perpetuis temporibus: petit tamen eadê M. Bulakowska, ut nostri Sacerdotes missâ Requiê in anniversario Filii sui M. Andreæ Bulakowski, qui dies primis Januarii occurrit, celebrent, et qui ñ sunt Sacerdotes, Coronas dicant. Post mortê autê suâ, ñ jam Filii sed ipsius Dominæ anniversarius celebretur. Hic autem censq in duas ratas dividendus.

Prima rata primis Januarii, ex qua centum Floreni Collegio, viginti Capellano cedunt. Secunda rata ~~primis Januarii~~ ultimis Augusti, ex qua Templo 30 Capellano 50, Collegio 40 ptinebunt. Quæ tria millia locata apud Synagogam Posnanien et inscripta inscriptione manuali.

M. Dnâ Radziminska 3m locanda dedit Collegio; alia 3m eidem inscripsit.

Eodem mense M. D.na Elisabeth Radziminska, duas eleemosynas largita est Collegio. Primâ, offerendo et munerando realiter tria millia Collegio, à quibus censu ad vitæ tempora sibi reservavit. Summa verò ipsa locata apud Synagogâ, ex censu annuo per decê ad vitæ tempora M. Radziminska, postea verò per novem, prout sonat inscriptio manualis Judæorû Posnan. Alteram dando ad manq R. P. Rectori inscriptioné manualé per se factâ trium Millium florên. Polon. Collegio Posnan. una cû roboratione ejusdê Inscriptionis in Castro Gnesnen feria 6 ante Festû S. Catharinæ Virginis et Martyris anno proxime præterito 1699.

Pocillatricis

Huc revocanda ac singularissime notanda liberalitas M. D.næ Bulakowska ~~Subdapifera Posnan.~~ quæ anno præterito in Septembri dedit et enumeravit effective Collegio Quindecim milliû Floren. Polon. in censû locanda, cum ea intentione, ut per annos tres, à summa enumerata censq per novem solvi debitq pro Fabrica Templi et Stucatoribus cederet, postea verò in res Vestiarias Collegii, perpetuis serviret, ad imitatioñe piæ memoriæ olim M. Rozdzminska Sarentis [illegible], quæ totidem millia Collegio Calissiensi dedit pro Vestiaria.

Ex Suma Strzemesc. 20m locant. in censu apud Synagogam Posn.

Neq; hic finis intra hocce spatiû numerandæ pecuniæ. adhuc enim mense hoc Septembri anni præsentis Summa Strzemesciana viginti milliû floren. Polon. numerata è Synagoga Posnanien et ex censu locata, includendo in sûmam hanc etiam sex millia flor. Polon. eid. Synagogæ data, de quibus in Majo anni præteriti. Quam summam acceptâ partitim à Judæis Leopolien. Admodum R. P. Koster applicuerat pro Fabrica hujus Collegii. ne ergo sterilesceret, ad breve tempus in censû data, justa Inscriptionem manualê Synagogæ, solvitur singulis Septimanis census flor. 125.

Compositio cum Judæis Lanicicienfibus ratione 5m. apud illos, in Collm transfusorum.

Eodem Mense tum etiam in Junio præterito levata sûma 2500, de qua Collegium composuerat cû Judæis Lancicien. Nbq; etsi enim 5000 M. D. Chrysostomq Dobrzycki Collegio apud Synagogâ Lancicien. transfuderit, quia tamen depauperati Judæi pares solvendo ñ fuerunt, tamen ex rationibq aliis post tot Decreta ac executiones ad 2500 etiam provisiones includendo Summa per Complanationê redacta; quæ sûma in emptionê lapideæ à D. Plesniewicz conversa.

Sublatio onerq in perpetuum ex lapidea D. Plesniewicz

Ex hac occasione, sciendum, quod Collegiû detruncaverit Curiæ sive Magistratui Posnanien. Mille florên. Polon. eidem Collegio à se ex Voluntate Illrmi Gninski Thesaurarii Regni in Anno 1667 Feria Quarta ante Festû SS. Simonis et Judæ Apostolor. inscriptos. de quibq quietavit Collegiû curiam Posnan. idq pro pretio lapideæ à D. Plesniewicz emptæ seu potiûs plateolæ vicinæ Templo ac sublationis onerum in perpetuum.

Numeravit itê Collegiû hocce mense Trecentos flor. Pol. à Spectabili D. Załuski Civi et Rasatore Posnan. de quibq Collegiû cû eo composuerat ratione sûma 600 eidq Collegio in lapideola ruinosa Kolodiczowska dicta plateæ Colubinæ propê templû nostrû inscripta.

Suma 5m à M. D.nâ Rogalinska inscripta, levata, et in fabricâ Templi conversa.

Cumâ verò structura Templi Collegii hujq anno præsenti ad finê collimabat, nec sumptû quo finiretur habuit summam 5000 fl. Pol. à M. Rogalinska in liberâ dispositionê pro cultu Divino datâ, ac in censû apud M. Miaskowski locatâ, ab eo recepit, ac in fabricâ templi convertit.

3m à P. Joan. Brzezynski donata, in eandem Fabricam conversa.

Cui non mediocre augmentum accessit ex liberalitate et Eleemosyna P. Joannis Brzezynski Societatis Nostri, qui summam triû milliû Flor. Pol. anno præterito Fabricæ Templi cessam et transfusâ fecit numerari hisce temporibus.

September. Ultima Augusti initiis anni litterarii inveterato more oratio à Patre Rysewskî habita, prælusit. Illrmi Suffraganei, Canonicor. et cæterorû hospitû adventu Nobilis.

Exequiæ Perlll. M. D.næ Sophiæ Mycielska Virg.

Primis Septembris pompa exequiarum Perillris M. D.næ Zophiæ Mycielska Virginis Subdapiferidis Posnan. nostræ Ecclesiæ illata, assurgente ad tholû templi funebri apparatu, et pæne innumeris, toto templo accensis funalibq. Illrmq Suffraganeq Sacrû canendo, P. Stephanq Szczaniecki Theologiæ Scholasticæ Professor pro salvis rostris agendo supremum hoc officium consignarunt.

In Octobri venerat Posnaniam, P. Casimirus Radolinski ab aliquot annis

infirmæ mentis, qui è custodia Collegii Bidgostien. elapsus, cum nulla ratione ad Collegium revocari posset, diluculo, submisso curru, a R. P. Rectore, sine omni strepitu, ad Collegium devectus, ubi et aliquot diebus humaniter acceptus, Bidgostiã ad locum valetudinis curandæ per C. Ioan. Liber remissus.

Incrustatio Templi finita.

Ad hujus mensis decursum, incrustationi Templi finis impositus, septem circiter millibus opus æstimatum, dignum quod utrumque hoc seculum aspiceret.

November, B. Stanislai Kostka solennitati usitatâ hic pompâ sacer, habet tamen quod illi anteacti invideant dies: Nam illos exquisito ferculorum apparatu, triumphali igne, quo tota Prætorii turris, medio illustrius die ardebat, tormentorum sonitu superasse dicebantur. Laborarunt in hanc Nobilis Gloriæ Spartham, sumptus, curæ, industriæ, CC. Scholasticorum et Magistrorum omnium Grammaticarum. Eodem die Illmus Suffraganeus Pontificialiter ad Aras Majores litavit, et Religiosæ mensæ cum lectissimis hospitibus, Illmo Vice Præfecto stabuli Regni Wladislao Poninski, et Rlli Francisco Radzewski Capita: Schoven. interfuit.

Illmus Raphaël Lesczyn: sui redit a Porta ad quam Egit Legatum.

December. Primâ Decembris accepit Posnania hospitem, Magnum à Porta Othomanica Legati reducem Illmum Raphaelem Leszczynski Palatinum Lancicien. Generalem Majoris Poloniæ, Cujus adventum in Urbem prævenerat humanitatis officio, Rydzynæ R. P. Rector, ubi miro benevolentiæ argumento erga totam Societatem acceptus. Posnaniam non aliter nisi una secum regredi permissus, imò votum fuit Illmisi Rdum Pem Rectorem eadem rhedâ secum per Urbem inter confertas gratulantium voces Civium, et plausus populi in Arcem ascendere nisi modestia Præsidis Nostri fortiter restitisset.

Postridie idem Illmus Generalis, cum prima eaque innumera Nobilitate ad templum Nostrum descendit; cujus adventui excitati à Nostris triumphales arcus ante valvas, et in ipsis Templi penetralibus, permistis hic et inde allusionibus, jam ad pacis fœdera, quæ cum Porta sanxerat, jam ad ingressus in Constantinopolim splendorem, jam ad Aviti Capitis quod annulo sibi inneso Orbis Christiani integritatem sustinebat. Ubi pro incolumitate sua finita sacra, atque festiva Te Deum Laudamus. A Pvo Rhetorices Nomine Collegii Panegyrica salutatione, et à Nobilissima juventute Oratorio plausu acceptus est.

Octavam Decembris Titulus Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis, Mediæ Congregationis maximè sacer, nobilitavit. Orationem dixit die eodem Ignatius Woynarowski tunc Præfectus Congregationis, et pro Domo sua Orator.

Mense eodem, celebratum in Templo Nostro funus Mgcæ Dnæ Hedvigis Rydzynska, pompa et splendore non usitato, quem tum Sarcophagi structura, ad Templi tholum porrecta, tum Statuarum celatura præstans, tum ignium multitudo ad spectatorum admirationem evexerat. Sacrum cecinit Illmus Suffraganeus, funebrem Panegyrim dixit P. Franciscus Poninski Theologiæ Scholasticæ Professor.

Annus 1701.

Sub A. R. P. Generali Thyrso Gonzalez

R. P. Provinciali Tobia Iastowski

R. P. Rectore Stanislao Bieczynski.

Annus hic aluit personas 61 ex quibus Sacerdotes 27, Scholasticos non Sacerdotes 17, Magistros 3. Coadjutores 14.

Januarius. Prima Ianuarii Initium octavi supra decem seculi in Nomine IESU inchoatum, in Templo tamen Nostro maximè sacrum, confertissima multitudine ad indulgentias, quas anno proximè elapso Iubilæum Romanum suspenderat confluente. Illris et Admdus Rdus Præpositus S. Mariæ Magdalenæ sacrum cecinit, et cum toto Magistratu Posnaniensi, frugalitate Religiosa ad mensam acceptus. Primam Seculi hujus devotionem conclusit Illustrissimus Suffraganeus.

Eodem mense, unus ex Rhetoribus Studiosis alterius seculi viam ingressus, sepultus apud PP. Bernardinos, pluribus e Nostris officio Charitatis, ad aras illi parentantibus.

Februarius. Secunda Februarii multiplici titulo solennis. Primum quidem Virginis Purificatæ Nomen, Minimæ Congregationi specialiter sacrum, fecit, Alterum Professio quatuor Votorum P. Francisci Kwolek protunc Professoris Logicæ, tertium Adventus R. P. Stanislai Ledziemborski Rectoris Domus Probationis Roma ex Congregatione Procuratorum redeuntis.

Tridui antecineralis devotionem Civitatis hujus Primoribus frequentatam, conclusit Illmus Loci Suffraganeus Quam præcesserat biduo ante, Dramma à Pvo Rhetorices exhibitum, cui hospites non pauci adfuere. Illmus Suffraganeus cum plurimis Canonicis et Prælatis Nobilitas confertissima et Primi Civitatis.

Turris Templi Parochialis fulmine incensa.

13 Februarii Dominica prima Quadragesimæ. Gravis periculi metus Collegium Nostrum concusserat, nisi Divina Iustitia, tunc minime punisset cum timeretur maximè. Horâ Noctis circiter tertiâ fulmen cum ingenti nivium procella erumpens turrim Templi Parochialis S. Magdalenæ gravi ictu petiit, jamque non modice concepta flamma scintillare videbatur, nostroque Collegio tanta mali vicinia adexitium prælucere. Inter sive tam inexpectati ictus trepidatione, sive tantæ Machinæ altitudine pene auxilio humano majore omne Consilium in desperationem abierat. Sed fulmen una Numinis projectum manu extinctum altera: mox enim sopita incendia, et duo non nisi ambusti asseres Divinum extinxere furorem. In hac mali procella conceperat votum R. P. Rector pro sui Collegii et urbis totius integritate ante Patientissimam Salvatoris Nostri effigiem, altari, ex opposito aræ S. Stanislai publico cultui expositam, solenni sacro se gratias acturum, si jamjam urentis mali æstum Numen avertisset. Ut ergo votum erat evenit. hinc 16ta hujus persoluta promissa addito insuper votivo anathemate argenteo, in perennem et pretiosam, tanti beneficii memoriam.

14. Ejusdem Congregatio Civium sacros D. Valentini Cineres vesperis utrisque sacro cantato concionibus et frequentissimâ comunicantium pietate, supra reliquos annos prosecuta.

15 Ejusdem tumulatus in Nro Templo M. D. Dorcbowski, unius mensis studiosus Infimista. Primo vitæ suæ flore, Aras Superum ornaturus.

Martius, pietate quadragesimali Notabilis, quam in nostro Templo fecit Princeps. Illrmus Majoris Poloniæ Generalis, una cum Illmo Palatino Posnaniensi Castellano Sremensi et cæteris primæ Notæ hic in memoria dolentissimi Salvatoris penè assiduis.

Aprilis. Primis Aprilis ad illustrandam templi incrustationem, accepimus Vratislaviâ Pictorem Serenissimi Principis Neoburgi, cujus probatæ manus documenta, inter prima seculi sui ornamenta orbis Lechici numerat, scilicet in Ecclesiâ Prodigiosissimæ Matris Virginis Montis Clari, et S. Annæ Cracoviæ. Hic strenuè opus aggressus magnæ expectationi pari eventu, proculdubio respondebit.

Eodem Mense à Comitiis Sredensibus (quæ præliminaria Varsaviensium Majorum erant) invitatus ad sacrum ibidem pulpitum, P. Stanislaus Bielicki Collegiatæ Ecclesiastes, paruit, non impari tantis desideriis fructu et plausu.

Jubilæum.

Majus 8va Maj Iubileum, quod Primordia Pontificatus Clementis XI aperuerunt, Posnaniæ promulgatum atque per duas septimanas innumero confluentis ad Nostram Ecclesiam populi fructu, protractum, nostris Patribus in excipiendis pœnitentium lacrymis, assiduis.

Ad proximè imminentia festa Spiritus Scti invitatus Rydzynam ab Illmo Generali R. P. Rector, ubi omni humanitatis officio acceptus, præter insignia erga Nostram Societatem benevolentiæ Illmi argumenta etiam liberalem gratiam ejusdem in suum Collegium retulit.

Primus lapis Collii jactus.

Die dicata Beatæ Virgini ad Nives, hoc est, quintâ Augusti, juxta delineationem ab Architecto, Ioanne Catenaci, Italo, factam, et approbatam Romæ, primus lapis Collegii jactus est, in Civitatis fossa, cum ingenti labore, namque bulliens aqua, irritum reddebat opus; ideoque diu noctuque irrequietus operariorum labor propellebat aquam, fundamentis parando locum.

Iuxta Ordinationem a R.P. Diertins Visitatore latam, ultima Augusti, O
ratio a P. Rhetorices, in præsentia Illustrissimorum hospitum: Raphaelis
Lesczynski, Palatini Lenciciensis, et Generalis Majoris Poloniæ. Stani
slai Lesczynski, Palatini Posnaniensis, prædicti Generalis filii: Illustris
Sapieha filii Præfecti Stabuli M.D.L. Perillustris Przyiemski, Peril.
Kozdrazewski, aliorumq Auditorum corona, præter Religiosos.

Prima Septembris Scholæ omnes justum Studiosorum ha
bebant numerum.

In Octobri ante Iubilæum magnum a Summo Pontifice
Clemente XI concessum Posnaniæ, ad instantiam Illustrissimi Epi
scopi Nicolai Swiecicki, Religiosi, hoc est PP. Dominicani, Bernar
dini Franciscani, et Reformati, ex occasione Præfationis in actu
publico, a Sæculari sacerdote Theologo dictæ, semiduobus annis a di
re nostra renuebant lycia, læsionem grandem Scholæ Scotisticæ

Tricæ cu Religiosis Philadelphis finitæ mediatore Ill.mo Suffraganeo

prætendebant illatam: at induentes Pauli persecutoris genium,
innocentem Stephanum, id est, unum Theologiæ Professorem, ver
bis, commentis variis, imo et odiis lapidabant. Offensam excedebant tricæ,
quæ ut nostram petebant famam, ita nocuere Authoribus, nam duo Professores à Theo
logico amoti cursu agebant pœnitentiam sed non tractabant. Exposita amice non
semel erat Philadelphis satisfactionis via, recursus scilicet ad Superiores, demonstrata
innocentia, quia periodus illa contra Scoti sententiam, non à Nostro sed ab Externo
protrusa est, ideoq ratio non est, cur altum habeat sub pectore vulnus. Patres Domini
cani nec umbram tunc habuerunt offensæ, nam Thomistarum Schola minime est impetita
et tamen illius litterarii vinculi non promotores duntaxat erant, sed et conservatores.
Verum præstabat motos componere fluctus imminente Iubilæo, expediebat Scandalum
in urbe, et apud Nobiles præfocare totaliter, hinc Mediatore Ill.mo Hieronymo Wierz
bowski Suffraganeo Posnaniensi offensæ extinctæ sunt. Invitaverat enim prædictus
R.mus Patrem nostrum Theologum ad prandium. Cumq solum tractaret humaniter sub
motis epulis Lectores Theologiæ Religionum omnium uti venerunt ita post spiritualem
allocutionem in amplexus abeunt, excepto vehementiore Thomista uno ad suum Provinci
alem delato per literas, qui non absoluto Theologiæ cursu ex Urbe hac illico profectus est.

PP. Carmelitæ Calceati soli non sunt passi se pertrahi ad Philadelphia.

Palmaris (dum hæc scena peragitur) enituit affectus erga Societatem nostram PP.
Carmelitarum Calceator, qui soli constantissime semper, cum suo doctissimo Antesignano
Natione Belga nostram tuebantur spartam publicos frequentando actus et omnia cha
ritatis sinceræ (cum ædificatione Cleri, Nobilitatis et Studiosorum) exhibendo officia.

Hoc anno Splendida et numerosissima processio est instituta à Congregatione
Civium, devotionem singularissime et zelosissime promoventibus Ipsis ex Magistratu
Civibus.

Iubilæum Posnaniæ duos continebat menses expleudis conditionibus datos. Quatuor sunt
assignata Templa visitanda Cathedrale, S. Magdalenæ, PP. Dominicanorum et S. Adal
berti extra Muros. Nostrum etsi extra numerum positum, tamen non fuit vacuum, quia mul
torum pœnitentium repletum numero. Excipiebant confessiones PP. nostri in Cathedrali
Templo multoties ad instantiam Ill.mi Suffraganei, et aliquando in Parochiali.

Templum, post perfectam incrustationem et picturam, pro solemnitate B. Stan. apertum.

Dies B. Stanislai Kostkæ Templum nostrum aperuit omnino perfectum et ab
solutum, præter Capellas veteres, quod quinquaginta annorum spatio (sed sæpissime diu
interrupto) sub manu erat artificum. Multoties quæ una ædificavit manus, destruxit
altera, et quæ uni videbantur exacta, reprobabantur à cæteris. Lentissime olim assurge
bat hæc Moles, verum sex retroactis annis crescebat maxime. Ioannes Catenaci Italus
Architectus circa secundam Navim et Cupulam laboravit, juxta ideam positam in prima
Navi à R.P. Wasowski olim Rectore hujus Collegii, Carolus Dankwart natione Suecus
pictor Episcopi Wratislaviensis et Neoburgici Principis Nyssæ, homo podagricus, et chi
ragricus, imaginibus illustravit fornicem et Cupulam ad normam Romanæ expressit.
Bianko Italus cum aliis Italis atq Germanis incrustationi operam dedit. Verè in fine
motus erat velocior, nam totis Artificum viribus est insudatum, etiam ad faces noctu, cum
sollicitudine summa, ut Sacra Moles perficeretur industria, Labore continuo et indefesso
P. Ioannis Loradowski Procuratoris domus et Fabricæ, P. Francisci Poninski Professoris
Theologiæ et Præfecti Templi circa marmor eleemosynis conquisitis, comparatum
Gedano, Vistula, Bidgostiam, Bidgostia Posnaniam delatum curribus, quos a Magnatibus
variis, gratis obtinuit. Vix ad Primas Vesperas Valvæ apertæ sunt illico Numerosissi
mus et ferè non visus populus, ab aliquot horis in plateis excubans omnia implevit spatia
et admiratione defixus stabat. Imo continuus ferè Spectatorum fluxus atq refluxus
erat, usq ad profundam noctem. In Sacro Magno, quod Ill.mus Suffraganeus Wierz
bowski cecinit, non minor erat frequentia Procerum, Nobilium, Civium et Plebis conflu
entis ad devotionem atq spectaculum, cujus os sublime erat, Templumq tuebatur conti
nuo. Ordinarius Ecclesiastes S. Magdalenæ dixit B. Stanislao Panegyrim ingeni
osam, solidam, et Spiritualem, encænia non omittendo Templi. Ardor, hoc est affectus
vehemens erga Beatum CC Scholasticorum in Turri Curiæ octingentas accendit lam
pades, quæ ad milliarium aliquot tractum, instar siderum lucentes, novam auroram expri
mebant Sarmatiæ. Tormenta explosa sæpius sunt Civitatensia ex Impensa Ill.mi Iulii
Lesczynski. In pervigilio et ipsa die ibant sexiugis tracti Currus tres, Gloriæ Dei
et Beati Patroni; Unus Infimæ Classis Trophæa Victoris Stanislai vehebat, Stipatus
facibus, alter Mediæ Classis, exactam Imaginem Templi heri aperti referebat,

cinctus Submontanis Incolis, lingva Patria, Goralami. 3tius Currus Supremæ Classis Palatium Sapientiæ et Ecclesiæ laboriosissime et artificiose factum deferebat. Hispanis, Germanis, Hungaris cinctus. Perstrepebat cantibus Musica, tympanis forum, Artificiosi ignes bis ex theatro in foro posito missi, recreabant populum, quos D. Teper Posnaniensis Civis licet Acatholicus Divo accenderat. Refectorium Nobilissimos excepit hospites, Illmum Palatinum Majoris Poloniæ, Illmum Prædictum Suffraganeum, Illmum Opalenski Capitaneum Sremensem, Perillustrem Rydzynski Surrogatum Judicem Posnaniensem, Perillustrem Lipski Notarium Posnaniensem, D. Rydzynski aliosque. In octava Beati Musica ante Templum, accensæ lampades, missi pyroboli terminabant triumphum.

Hoc anno Scholæ nostræ splendidæ et numerosæ, computabant enim studiosos fere mille ducentos.

Suma 2a post fata Mdnæ Bronievska, apud Judæos privator locata, cessit Collo.

Eodem anno accessit Collegio summa duorum millium Polonæ monetæ post mortem Magnificæ Dnæ Ursulæ Broniewska, quæ summa locata olim fuerat apud quosdam Judæos Posnanienses ex voluntate præfatæ benefactricis, a qua censum ad vitæ tempora percipiebat, inscriptio vero ipsa tum summæ, tum census serviebat Collegio; Tandem post ejus fata in Junio et peracta funeralia in nostro templo, usum realem tum summæ, tum census 160 florenorum singulis annis habebit Collegium.

Eadem Benefactrix inscripsit Templo ec Collo 7m

Præter hanc summam ac aliam realem florenorum mille effective enumeratorum Collegio, immediate ante sua fata dicta benefactrix inscripsit in Castro Posnaniensi, Collegio 3000, Fabricæ Templi Posnaniensis 4000. in bonis villæ Dudliszky in Palatinatu Posnaniensi. Quæ summa utraque videbatur omnino ad repetendum facillima, verum quia post fata Dnæ Broniewska innodata arresto ex parte Dni Chrastowski ratione quasi injuriæ sibi ab eadem factæ: ideo debuit Collegium adcitare ad judicia Castrensia Posnaniensia, deinde motione interpositâ ad Judicia Tribunalis Regni et super non comparente banitionem obtinere, quâ obtentâ executio in bonis Dudliszky facienda.

Cum M.D. Casimiro Tholibowski negotium

Negotium cum Magnifico Dno Tholibowski ratione 14000 florenorum Polonicalium alias diligentissime quia per quatuor jam executiones fortes promotum ad humilem supplicationem ipsius debitoris nec non ad instantiam Magnorum Virorum ex industria anno præterito complanatione finitum, qua mediante promisit debitor summam 17000 florenorum se numeraturum pro festo S. Joannis. Sed quia inscriptioni non satisfecit iterum ad conservatum sibi regestrum ac rigorem omnium rediit causa, cujus decisioni ultimariæ Dns Krosnowski Dapifer Ravensis bonorum Tholibowo obligatorius Possessor remoram fecit: ostendit enim prædicta bona ac ipsum Dnum Tholibowski insufficientem esse solutionis oneri.

M. Krosnowski possessor Tolibowa jussus ad citare omnes creditores

Atque ita injuncta ipsi citatio omnium Creditorum, quam et fecit. Postea Legatus factus pro Comitiis Varsaviensibus ne causa stante Legatione agitaretur, indulgentiam habuit Juris. Prima tamen feriâ btâ anni præsentis juxta cadentiam hæc agitabitur causa, sed nimis

ardua quia Juris continens potioritatem.

Anno 1702.

Sub A.R.P. Thyrso Gonzalez Generali,
Sub R.P. Provinciali Tobia Jaslowski, et R.P. Provinciali Stanislao Wdziemborski
Sub R.P. Rectore Stanislao Bieczynski

In festo Circumcisionis Domini cecinit sacrum Illmus Suffraganeus Posnaniensis Wierzbowski, Perillustris Benedictus Rusiecki Canonicus concionem nobilem dixit in qua ex occasione Nominis JESU plurima in laudem Societatis protulit. Religiosæ Mensæ adhibitus prædictus Suffraganeus. Perillustris Palatinides Lecciensis Frater ejus Perillris Kierski decanus Posnaniensis, Rusiecki et Ploskowski Canonici Posnanienses.

In festo SS. Trium Martyrum Japonensium Rdus P. Rector humanitatem per omnes status dispertiens invitavit ad Refectorium sexdecim Cives Posnanienses præcipuos ad firmandos eorum affectus erga Societatem; quos tantos testantur modo, quantos vixunquam sunt testati. Perillustris Dni Alexandri Radomicki Capitanei Osiecensis filia annorum quinque sepulchro Templi Nostri illata est.

Primis diebus veris murus Civitatis ex opposito Collegii novi ædificari cæptus est. Solida sunt fundamenta posita, cura et diligentiâ maximâ Patris Poradowski Præfecti Fabricæ et domus Procuratoris.

Illmus Episcopus in Templo nostro salutatus

Intra Octavam corporis Xti in Templo nostro salutavit Pr Rhetorices cum Scholis omnibus Illmum et Rdmum Nicolaum Swiecicki Episcopum Posnaniensem, post triennium Pontificatus sui nunc ingredientem Cathedram et Panegyris ipsi Nomine Collegii dicata est. In Octava Corporis Christi processioni nostræ non solum interfuit dictus Illmus Antistes, verum et venerabile Sacramentum detulit. Finita Processione invitatus ad Collegium est et tractatus.

Funus Illmi Castellani Gnesn. Hieron. Poninski.

A.o Julij in Nostro Templo funus peractum est Illustrissimi Domini Hieronymi Poninski Castellani Gnesnensis, munifici singularissime in Sanctum Franciscum Xaverium, aliasque Capellas. Apparatus lugubris erat dolori Christiano conformior quam vanitati et pompæ sæculi, penes numbæ 6 majores faces ad Altare Majus numerosæ: hoc enim Ultimis intimaverat Tabulis Nobilissimæ relictæ Proli. Requiem cecinit Perillus: Canonicus Posnaniensis Filius Defuncti. Corpus non tantum sepulchro, sed et profundiori terræ traditum est.

Hoc mense, pericula imminentia a Rege Sueciæ movente gressum atq Exercitum suum Varsaviâ, ~~[struck]~~ Cracoviam, excivit Majoris Poloniæ Nobilitatem ad arma. Literæ Regium, seu Universales a Serenissimo Augusto II missæ Cracoviâ convocabant Palatinatus ad Kętrzyn pro 19 Julij. Et quia Regis Imperia Expeditionem publicam indixerant juxta Constitutionem Anni 1621, Nostrum Collegium sequendo tenorem legis exemplo Illustrissimi Episcopi, et Prælatorum, maximè autem amorem Patriæ expedivit Tres Milites Pedites Hungaricè vestitos, atq armatos, nec non victualibus provisos, vulgo Łanowych Zolnierzy.

Summa 20m à Rev. Illustri Md. Adamo Poninski Fabricæ inscribit.

Hoc item mense accessit Collegio Summa 20000 fl. Pol. per Magnificum Adamum à Ponin Poninski Babimostensem Copanicensemq Capitaneum inscripta in Castro Posnaniensi reddenda in Crastino festi Sancti Katalis, in defectu Solutionis, Provisio danda per septem à Cento, de Bonis Jeziory Majus et minus Kierzamysl &. Hanc Summam ultima Voluntate sua declaraverat Collegio Illustris olim et Magnificus Hieronymus Poninski Castell. Gnesnen. Cujus Sanctæ piiq intentioni satisfaciendo Illustres et Magnifici Successores, Vladislaus Stabuli Regni Vice Præfectus: Adamus Babimostensis Copanicensis Capitaneus, tum Perillris ac Reverendissimus Carolus Canonicus Posnaniensis, necnon Religionis Franciscus Societatis Jesu Fratres Germani Poninscy ex massa fortunæ Paternæ dictam Summam Contractu divisoriali contribuerunt, eamq à prædicto Magnifico Adamo Poninski inscribi Collegio Posnaniensi fecerunt.

September. Anni Scholastici initio prolusum de more, publica studiorum instauratione, pridie Kalendas 7bris instituta: adornavit solennitatem actus Illmus Episcopus Posnaniæ præsens et ipse cum aliquot Prælatorum Corona. Juventutis Scholasticæ tardior ultra solitum fuit hoc difficili verum statu ad Scholas reditus. Plerosq enim, maximè adultiores, generalis istorum Palatinatuum expeditio ad Castra evocaverat, alios Parentum absentia longius domi substitisse coegit, ita ut vix ultimo Octobre plenus Scholarum numerus computaretur. Hæc eadem, communis armorum calamitas, in causa fuerat, quod Personæ in anno ineunte ad istud spectantes Collegium, quas potissimum ex Russia, dispositio huc destinaverat punctualiter in loco comparuisse non poterant. Quod item nulli hinc in Minorem ituri Poloniam nisi adulto Septembre fuerint expediendi: sic publicis Regni jubentibus periculis. Illud speciale Cæli beneficium singulari Providentiæ in acceptis merito referendum. Inundaverat latè Poloniam miles Sueticus, gravia ubiq tum Terrestribus quam Ecclesiasticis Bonis nullo discrimine imponens tributa, ita ut nulla fere pars Regni, armatis caruerit Exactoribus, Unus duntaxat Palatinatus Posnaniensis intactus marti Extraneo permansit: inde factum ut in Bona etiam Collegii huic quidem calamitatis generi nihil hactenus licuerit. Sic temporali re

constituta

constitutâ aluit Collegium Personas hoc anno 58. Ex quibus Sacerdotes 27. Scholastici 27. Magistri 2. Reliqui Coadiutores temporales.

Non defuere nihilominus adversa quibus patientiam suorum Optimo placuit probasse Domino. Exeunte Septembri Episcopalis Curia omnibus Religiosorum Ordinum Superioribus officiosè iniunxerat quatenus subditos suos ad excipiendas externorum Confessiones expositos præsentarent Officio. Edictum istud siquidem etiam nostros comprehendebat fueratq nobis sufficienter intimatum; adiit mox R. P. Rector aulam Illmi Ordinarii, hoc super negotio cum eo acturus. Sed quia tunc aditus obtineri non potuit ad Illmum, ideo Prllri Officiali promptitudinem suam in parendo voluntati Episcopali exposuit. Humanissimè accepit ille R. P. Rectorem eique nomine Illmi, solito more amplissimam indulget potestatem approbandi nostros. Paucis ab hinc diebus, absente R. P. Rectore

Illmi Ordinarii offensa cujusq occasio.

mittitur ad Collegium ab Officio approbationis forma in scripto, sed cum restrictione ad annum tantum: redditur P. Ministro, hic primò quidem eam omni suscepit illam modestia, at ubi advertit ad tam breve tempus limitatam illam approbationem, sciens non ita pridem ipsi R. P. Rectori fuisse concessam absq ulla simili restrictione, post unum et alterum diem remittit Officio Approbationis instrumentum. Vix in facti notitiam pervenit Ordinarius, (ut ferè apud parum addictos, prona semper est in deterius interpretatio) suæ authoritatis contemptum, remissum approbationis instrumentum existimans, continuo ad Apostolicum recurrit Nuntium, seque quam causæ posceret status forum illud edocet, nostros pervicaciæ ac injuriosæ Episcopalibus privilegiis arrogantiæ postulat, et nominatim usurpatores potestatis in conscientiæ tribunal, præter imo contra voluntatis suæ decretum. His addit et secundum, quamquam valde disparatum querelæ punctum: Concionatorem nostrum Collegiatæ Posnaniensis à Prælato ibidem celebrante consuetam sacris Oratoribus dedignari benedictionem petere. Sic absq nobis informata Nuntii Curia, sententiam contra nos fulminat: ab excipiendis fidelium Confessionibus nostri abstinerent, Item ut P. Concionator quoties conscenderet suggestum toties Celebrantem adiret benedictionem petiturus.

Decernit contra Nos. 1. ut à Confessionibus excipiendis abstineamus. 2. Ut Concionator Collegiatæ, à quocunq Celebrante benedictionem petat.

Res adeo tacite confecta est ut tunc primum Decreti notitia ad nos permanaverit, cum inhibitoriæ literæ propediem in publicum vulgandæ ab Episcopali Curia typis Academicis imprimerentur. Vix de negotii statu ab amicis præmoniti fueramus, adiit R. P. Rector Palatium Illmi ut sinistris laborantem suspicionibus animum quibus posset mediis deliniret. Sed ea vice, nulla impetrata alloquii copia, valetudo affecta in causa prætendebatur. Sed enim, patuit mox aliam revera fuisse rationem: Siquidem illa ipsa die à prandio

per

per secularem Sacerdotem è Curia officiosè missa sunt duo exemplaria Inhibitionis suprà dictæ, alterû R. P. Rectori, alterû P. Concionatori ad manq reddiq, nullâ antecedenter præmissâ in simili Juris processu usitatâ commonitione Nostrorû. Inter pleraq illud etiam apud doctiores quidem ridiculû, apud rudes tamen, variis obnoxium interpretaõibq, punctû continebant literæ: Confessiones, nostris in antè ad hoc usq tempq factas, pro nullis habendas, talesq per Parochias totiq Diœcesis, ab omnibq animarû Curatoribq, populo ad Divina congregato publicè declarandas. Substantialia Literarû duo erant. Primum, exnunc a Confessionibq Fideliû excipiendis abstineremq, Secundû, P. Concionator Collegiatæ quotiescunq eet verba facturq, à Sacerdote solenniter celebrante quicunq ille eet etiam Vicariq simplex, etiam Altarista, benedictionem publicè acciperet, aliàs à Cathedra prohibendq; iniunctiq clero illiq Templi, ut seriò istiq decreti advigilareq executioni. Sequenti diei primo mane convenit R. P. Rector Illmum Ordinariû. ubi post exactû totiq rei expositionem, cor Antistitis sic immutatû, ut inter pleraq benevolentiæ documenta, exnunc suo mandaverit Notario, ne Instrumenta Inhibitionis ex Consistorio vulgare pergeret, quasi aliqua iam fuissent extradita qm primû repetereq, penitiq suppressa manerent. Se irritû velle Decretû qua parte Inhibitionẽ a Confessionibq continebat, utpote ad qd formandû, secq qm res eet, informatq processerit; Simul tn subiungit; mentis suæ omnino eẽ quatenq secunda Decreti pars P. Concionatorem spectans in suo permaneret robore. Dum etiam istiq puncti urgereq annihilaõ, asperiore adhæc aliquantû vultu, et qui commoti eet index animi: Nullâ id ratione futurû, reposuit, ex duabq potissimû rationibq: 1a ex præjudicio Varsavieñ Collegiatæ, ubi consuetudo ab immemorabili obtinuit ut noster eiq loci Concionator à quocunq celebrante semp benedictionem petit. 2a ab authoritate Nuntiaturæ ita fieri debere iudicantis. Nec pluribq fatigatæ tunc Illmi aures.

Placatus utcunq decretû qad 1mû punctû revocat. Secq quoad 2dû.

Ne vero apud Nuntiû quoq Aplcû deesse nostræ videremur causæ, nihil omissû ẽ qd ad ipsiq forû plenissimè informandû serviret. Quoniã verò Decretû Nuntiaturæ quâ P. Concionatorẽ spectabat pro sua senteã adducebat doctrinam Pignatellii Canonistæ, videbaq hac ratione nostros provocare ad respondendû in fundamento Juris; ideo ut constaret, rem cû n̄ ignaris Canonû agi, Studiosè collectæ sunt rationes, probantes nihil contra sancita Canonum à Nostris Concionatoribq committi, imo conformiq ad illa agi, dû omittunt à quocunq promiscuè Celebrante, publicã petere benedictionem. Quæ rationes siquidem propter suû robur, multûm in

Judicio

Judicio valuerunt, operæpretiû fuerit, eas huic loco fideliter inserere. Sunt porrò sequentes.

Rationes, missæ ad Sacrã Nuntiaturã probantes, Concionatorẽ non teneri à quocunq Celebrante petere benedictionẽ.

1ma. Quia regula universalissima Juris censet, nihil innovandum contra veterẽ consuetudinem, hîc autem nulla ab immemorabili præcessit consuetudo; imò opposita, et nullû noviter repertum documentum adfert. Porro onus positivum, non potest de novo imponi possessori pacifico, sinè nova lege, vel obligatione; quam probare positivè, et adferre incumbit onus imponenti, non autem præcisè recusanti, et sola se possessione pacifica defendenti.

2da. Præsertim verò, quia (si gloriari licet) gratis omnino (relicta etiam Ecclesia propria) concionamur, nec ullius solutionis, vel etiam gratiarum actoriæ genuflexionis onus prætendimus, et tamen aliquot centenis concionator stabilis non conduceretq. cur itaq insuper hoc onus à Nobis requiritq.

3tia. Quia paritatem et quidem longè à fortiori irrefragabilẽ habemus in omnibus Nostræ Provinciæ Cathedris, non soliû Parochialibus, et Tribunalitiis, sed etiam in Archicathedrali Leopoliensi, in quibus sinè isto onere pacificè concionamur (quid quid sit de Provinciæ Lithuanæ Varsaviensi usu, vel abusu) et ne quidẽ à Prælatis celebrantibq, nedû à quocunq Vicario benedictionem petimus.

4ta. Quia post frequentes similes altercationes nunquam sumus convicti; imò tandem penes nostram consuetudinem relicti. Porro tot, et tanta præjudicata, omni jure plurimû valent.

5ta. Quia Gavantus tot exactus, et propè omnium scrupulosus minimorum rituum observator, circa Conciones, sacras Cerimonias, nullibi tamen meminit benedictionis petendæ à celebrante

6ta. Quia Tridentinum sess. 5 jubet Religiosos Concionatores ab Episcopo ordinario benedictionem petere, nullibi autem meminit benedictionis petendæ ab aliis etiam Prælatis, nedû à quocunq celebrante etiam simplici Sacerdote.

7ma. Quia etiam Episcopo alieno celebrante, potius benedictio petitur ab ordinario præsente, licèt non celebrante, quàm ab ipso celebrante. Ergo apparet, quod non ratione celebrationis, sed ratione jurisdictionis ordinariæ competat jus benedicendi Concionatorem.

8va. Quia Concionari fuit munus proprium Ordinarii Episcopi, non autem ullius celebrantis, unde videtur Concionator vices Episcopi agere, adeoq communicationem quasi sui officii petit ab Episcopo, non autem à celebrante, quia non est hujus officium concionari. Nemo autem communicat, vel dat, quod non habet.

9na. Quia per paritatem rationis, si jus benedicendi competeret ratione Celebrationis à quocunq́ Vicario etiam in Parochiis celebrante, et aliquando ipse Parochus Concionaturus deberet petere benedictionem, quod tamen nullibi usurpatur, et planè videtur indignum; quia Subditus nequit habere potestatem benedicendi, quæ sapit jurisdictionem in suum Prælatum.

10ma. Quia si jus benedicendi sic amplificabitur multum vilescet sensim æstimatio Episcopalis et pastoralis prærogativæ, si etiam Vicariis erit communis; sicut si jus Infulæ, aut Mantoletti omnes haberent (à fortiori autem si jus benedicendi, quod longè majus est) multum decederet de honore Prælatorum: Unde ipsi Episcopi potius deberent interdicere abusum petendæ benedictionis ab aliis, præterquam à se, ut tantò majorem et raritatem, et consequenter æstimationem habeat benedictio illorum; Unde illi, qui ab aliis nolunt petere benedictionem, non id ex præsumptione, sed imò studio conciliandæ Episcopis quàm maximæ et pro omnibus singularissimæ reverentiæ faciunt.

11ma. Quia Jesuitæ, imò et alii Religiosi etiam à suis Superioribus Provincialibus et etiam à Generale celebrante, licet omnem juratam subjectionem sui, et jurisdictionem illorum supra se recognoscant, non tamen ab illis benedictionem petunt. Ergo à fortiori cogi non poterunt, ut id faciant aliis nullam in se omnino jurisdictionem habentibus. Imò multi Religiosi etiamsi domo egressuri flexis genibus à Superiore benedictionem in privato petant, tamen eandem in publico Concionaturi non petunt ab iisdem etiam præsentibus, quasi respectivè hìc et nunc parùm superius munus obituri. Imò credo loci ordinarium indignè id et meritò quidem laturum, si à Superioribus præsertim non celebrantibus sed merè præsentibus benedictio peteretur per Religiosum Concionaturum. Cur itaq́ velint extendi ad omnes etiam Vicarios Celebrantes? cum sui officii et præeminentiæ grandi præjudicio.

12ma. Quia periculum est ipsis Reverendissimis Platis de hac re litem movere nimiùm. Jesuitæ enim id facere non possent sine præconsulta declaratione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum. Et quis scit? (imò valde probabile est ex datis rationibus) Cardinales declaraturos Soli Episcopo jus benedicendi competere. Quo pacto Prælati etiam usu benedicendi in Cathedralibus, quem hactenus habent, exciderent, et sic magno suo (quod absit) robore, dum incerta appetunt, certa amitterent.

His rationibus persuasum Nuntiature, ut dato ad Collegium rescripto agnoverit partis nostræ æquitatem: voluit tamen non aliis nisi pacificis mediis cum Antistite componendum Negotium. Quod etiam ea ratione tandem factum est, cum Illmus Raphael Leszczynski Regni Thesaurarius, Majoris Poloniæ Generalis suam maximi momenti interposuisset authoritatem. Sic impetrata edicti mitigatio, cum addito tamen; ut quoties ex Prælatis quispiam in Collegiata celebraret, benedictio ab eo peteretur. Id quoniam per aliquot exinde menses non contigit, ad pristinam juris possessionem utrinq́ rediimus.

72

Concionator Collegiatæ, a Celebrante petit benedictionem.

Antequam verò favor iste impetratus fuisset, per mensem et ultra exactè satisfaciebat Decreto P. Concionator: omnibus quot quot ad Templum confluebant (confluebant autem, ut aliàs ordinariè, frequentissimi) rei novitate attonitis. Ipsi celebrantes detrectabant benedictionem illam impertiri, reverentia et pudore prohibiti, dum conspicerent, virum per primarias Cathedras, tot jam annis gloriosè suo functum munere, humili sibi ante suos procumbentem pedes, caput accipiendæ benedictioni inclinare. Sed multa erant, quæ tunc suadebant, omnem, adeoq́ illam etiam implere justitiam.

Rumor de imminente Sueco Posnaniæ

Inter hæc, Panicus an verus? (parum refert) publicus tamen periculorum timor, quæ tum à Sueco, tum ab extranea Militia, ac intestinis motibus, huic passim dicebantur imminere Civitati; excitavit deliberationem, expediretne, an secus, præmonitâ hac super re, Studiosa Juventute, Scholas ad tempus occludi? Urgebant occludendas Procerum nonnulli, quibus cum status rerum bene perspectus esset, afferebant satis ponderosas pro sua opinione rationes. Illorum amicabili persuasioni, ut aliquid concessisse videremur, conclusum, rem totam permittendam Judicio Parentum, ut si quod illi providerent discrimen, filios ad tutiora subducerent, ne deinceps Nobis facesseretur Negotium, si occasione alicujus tumultus damnum quispiam è Studiosis pateretur. Res hæc per Scholas à P. Præfecto promulgata, notabili Studiosorum parti (in quos præsertim teneriùs Parentum amor ferebatur) discessum ad tempus persuasit. In illis tamen, qui mansêre instruendis, nihil de consueta remissum est, (quantus erat ex Nobis) applicatione.

Contributiones.

Minoribus hisce Curis successere majores. Determinatum fuerat, ut Saxonicus miles contra Suecum à Serenissimo evocatus, in Prussia et Majori Polonia, hyberna perageret Stativa. Designati proinde authoritate Regia Commissarii, omnes ferè extranei, qui modum et Numerum pensionum, tam Regalibus, quàm Spiritualibus Bonis præscriberent; locus Commissioni Toruniùm destinatus. Imposita pagis Nostris pensio in singulos menses inclusivè ad octobrem, persolvendæ trecentæ portiones (hoc nomine solaverat novum in Regno isto, tributi genus vocare) id est Summa nongentorum Imperialium Schidonum. Nihil prætermissum à Nobis, quo posset diminutio tam gravis tributi obtineri. Adhibitæ intercessiones per Patrem Vota, et Dnum Ho-Zuchowski, ad latus tunc Regium existentes: quatenus tam apud Majestatem, quàm apud Commissarios, pro Domo Nostra agerent: missis bonis Plicibus Toruniùm

Trecentæ portiones seu Nongentorum Imperialium summa Nobis imposita

Alleviantur nostris Contributiones.

P. Rolofs Germanicus Concionator. Nec caruerunt emolumento conatus: prima namque vice condonatae sunt 100, secunda 125 portiones; ita, ut Numerus persolvendarum ad 75 redactus fuisset. Et has quidem per menses quatuor pendendo Collegium numeravit Saxonico Militi circiter fl 6000 currentis monetae. Non exigua ad haec in Pagis, ab ultro citroque commigrante Militia tulimus jacturam; quae tamen comparatione illorum damnorum, quae in aliorum circumquaque Bonis fiebant, levis admodum censebatur.

Templo inter caetera ornamenta accessit in Octobri, Cathedra arte Sculptoria, nec non Statuaria elaboratum opus. Solennitas B. Kostkae, magnam Insignium hospitum frequentiam habebat. Illrmus Ordinarius ad aram solenniter cecinit, ex suggestu de laudibus Beati, ad populum dixit Rndmus Ploskowski Canonicus Posnaniensis. Mensa Religiosa excepti in Triclinio, Illrmus Thesaurarius Regni, cum Filio Palatino Posnaniensi ac nonnullis ex praecipua Nobilitate. Illrmus item Ordinarius, cum nonnullis Praelatis. Festum S. Francisci Xaverii non pauciores numerasset hospites, si adversa valetudo Illrmi Thesaurarii ac Ordinarii, hic commorantium non posuisset impedimentum. aderant tamen satis numerosi devotioni, Sacrum solenniter celebrante Illrmo Suffraganeo, qui etiam publica in Refectorio Mensa acceptus, cum Illrmo Palatino Posnaniensi ac nonnullis Judicii Posnaniensis officialibus.

Patres quarti anni Theologi, primum in Decembri majoribus initiati sunt ordinibus. In Subdiaconos ordinati Sacro Immaculatae Conceptus Virginis die in Ecclesia PP. Bernardinorum, reliquos ordines in Cathedrali Ecclesia, intra ejusdem festi octavas susceperunt, administrante Sacramentum Illrmo Suffraganeo. Ipso Nativitatis Christi pervigilio Miles Saxonicus pro praesidio destinatus, summo mane inopinato Civitate potitus; cum ante per duos et amplius menses in Suburbiis substitisset. Mox Portarum claves, Armamentarii custodiamque à Civitate recepit. Toto Praesidii tempore in uno fere nonnisi actu aliquid praejudicii Collegii immunitas passa est, dum areae janua, quae è regione Vratislaviensis portae habetur, ab uno è Minoribus officialibus, indignante quod pulsanti, extempore non aperiretur, per aliquot milites vim effracta esset, vespere diei S. Joannis Evangelistae. Ubi simul inducti aliquot milites in area excubias per noctem agerent, ea unicè de causa, quod ~~murus~~ murus ab illa parte cingens Collegium, necdum in justam assurrexerat altitudinem. Unde irruptionis periculum (si quod ingrueret) non injuria posset formidari. Eadem tamen hora, de Negotii statu edoctus à Nobis Generalis Schulemburg, penes quem tunc omnis rei summa fuerat, mittit, qui assistere importunos

Praesidium Saxonicum inducitur in Civitatem.

excubitores à Collegii clausura juberent; officiali, securitatis Religiosae violatori, graviter reprehenso, imperat, quatenus postridie, cum omni submissione deprecetur R. P. Rectorem. Mandatum ille punctualiter executus convenientem tulit audaciae suae poenam. Atque iste non postremus fuerat protegentis Dei favor, quod loco huic Generalis obtigisset severus disciplinae militaris vindex, modestiae in modo agendi retinentissimus, rebus nostris satis addictus, et cui ad plenam commendationem, praeter unam fidem, nihil deesse videbatur.

Pro festis Nativitatis Christi, factae consuetae excursiones, Grodziscum, Luvecum, Ostrorogum &c ibidemque ad finem expirantis anni, animarum lucris insudatum.

Annus 1703

Sub Admodum R. P. Thyrso Gonzalez Generali.

R. P. Stanislao Wdziemborski Provinciali.

R. P. Stanislao Bieczynski Rectore.

Solennitatem Circumcisionis Domini augere PP. anni 4ti Theologi; qui ea die Sacrorum primitias ad Aras litabant.

Sacer Purificatae Virginis dies, tristi Collegium perculit rumore, de obitu Illrmi Raphaelis Leszczynski Thesaurarii Regni, majoris Poloniae Generalis, cujus singularis benevolentia in Societatem Nostram rei nostrae commodaverat multum. Ad exitum Februarii ex voluntate Illrmae Conjugis, ac Filii Palatini, Cor defuncti pretiosa inclusum theca, solenni pompa tumulatum est in templo Nostro. In eandem diem inciderat quoque ingressus publicus in Generalatum Majoris Poloniae Illrmi Mathiae Radomicki antea Palatini Calissiensis, qui priusquam arcem solito more ingrederetur ad templum Nostrum cum omni congregatae Nobilitatis frequentia diverterat, missaeque solenni, quam Rndssmus Suffraganeus habuerat, ac Concioni à P. Bielicki dictae interfuerat. Tam pro funere, quam pro Ingressu dicta est à Collegio panegyris. Funebralis quidem ipsa exequiarum die, quae autem pro ingressu parata fuerat, postridie reddita, ita volente ipso Illrmo Generali. Qui eo fine cum lecta suorum corona in templum Nostrum descenderat, ubi à Professore Rhetorices salutatus nomine Collegii, Panegyrim oblatam, officiosa voluntatis suae significatione accepit, similiter gratulationes applausus à Scholastica adornatos juventute. In egressu templi R. P. Rectorem cum tribus insuper Patribus ad prandium invitavit.

Cor Illrmi Raphaelis Leszczynski Thesaurarii Regni defuncti, tumulatum in Templo nostro.

Ingressus Generalis majoris Poloniae Illrmi Mathiae Radomicki.

Comparatione utcunque priore, cum Illrmo Ordinario lite, secunda non minus

aeris, exeunte Martio, pacificum rei domesticæ cursum turbavit. Impresse-
rat pro Personis Collegii, Directorium Divini Officii, in annum præsentem
domestica typographia, majore aliquantum numero, quam essent Sacerdotes.
proindeq́ incuria, an conniventia Præfecti typographiæ, ad impressoribusq́ famu-
lis, duodecim circiter Rubricellæ Civitatis Bibliopolæ extraditæ ac divenditæ sunt.
Crevit fama eundo atq́ Illmo Episcopo Varsaviæ tunc agenti nuntiavit, in ea

Citamur ad Nuntiaturam propter Rubricellas præter facultatem impressas.

quantitate impressas à Nobis Rubricellas, quæ tantum non toti sufficeret Diœ-
cesi, passimq́ per Bibliopolarum officinas, usui Cleri expositas. Movit Mi-
nister Nuntiq́, minùs addictum rebus nostris animum. Quocirca impetrabatur apud
Nuntium Apostolicum Citatio, qua evocabatur R. P. Rector cum Patre typographiæ
Præfecto ad respondendum in foro Nuntiaturæ. Impressio Rubricellarum tan-
quam præjudiciosa autoritati Episcopali, Sacrorumq́ Canonum Sanctis, inju-
riosa indemnitati illius, cui Singulari privilegio, monopolium imprimendi atq́
divendendi directorii fuerat concessum, exaggerabatur; illud autem maximè vide-
batur aggravari, quod fronti Rubricellæ pro more Nomen et stemma præfixum
fuisset Episcopi, præter cujus tamen voluntatem facta est impressio. Quam pri-
mum ergo concinnata à Nobis, nervosa de Negotii statu informatio, ac per mo-
dum supplicis libelli, Apostolico Judicio oblata per P. Modzielenski Procura-
torem Provinciæ, eidemq́ simul commissa potestas, ad respondendum Nomine
Collegii, ubi dies dicendo Juri destinata venisset. At verò hac adveniente, pars
actorea remississ suâ rem agere, deq́ die in diem protelare negotium, moras
nectere, tandem totaliter à Juridico processu desistere. Sic sopito an suspenso
in aliud tempus, propter majores easq́ publicas curas, negotio, prior rediit Col-
legio tranquillitas.

Missiones ultra solitum numerosæ pro Paschalibus festis institutæ sunt,
Triginta enim Socii in diversas expediti Parœcias, expediendi plures, si omnibus
Nostram expetentibus operam, numerus Personarum sufficeisset.

Festum ascendentis in Cœlum Salvatoris, quod in 17 Maji inciderat, solemnius

R. P. Adrianus Miaskowski renuntiatur Rector Collii.

illuxit Collegio, Novi Magistratus auspiciis. renuntiatus enim est, à Prædecessore suo
Rector, R. P. Adrianus Miaskowski, cum pridiè ante, Leopoli à latere R. P. Provinci-
alis, cujus socium egerat, venisset. Tertia abhinc die, officiosa visitatione salu-

tati Prælati ac Canonici Cathedralis Ecclesiæ, eademq́ occasione à Rndssmo Officiali ob-
tenta potestas approbandi Confessarios, etiam in ordine ad absolvendum à casibus or-
dinario reservatis. Die 20 ejusdem Mensis docentium labori concessum aliquod
à scholis interstitium, Professoribus ad Majales vacationes in prædium Lekiercense
evocatis. Lætitiam hunc statum, tristibus alternare vicibus, optimo placuit Numi-

P. Joann. Szczygielski obiit

ni. Dies enim 31 Maji luctuosa inprimis obitu P. Ioannis Szczygielski non Colle-
gio solum acciderit, sed extraneis etiam, quot quot insigni animarum suarum fructu
spirituale obsequium memorati Patris probavêre. Hic post finita in Societate
studia, ad Gradum Spiritualium Coadjutorum assumptus, Operarii munus annis cir-
citer 9 ad mortem usq́ illo exercuit zelo qui domi juxta ac foris, insignem ei con-
ciliavit æstimationem. Pomeridianum Concionatorem tribus ante mortem continuis
egit annis. Ad labores circa animarum salutem, thaumaturgi Indiarum
Apostoli ope, ex præsentaneo mortis periculo, aliquot ante obitum annis servatum

S. Xaverii patrocinium.

fuisse, testatur posthuma, viventis manu conscripta pagella, qua à R. P. Provin-
ciali approbationem expetierat, quatenus in tanti memoriam beneficii, singulas sex-
tas ferias abstinentia à prandio, dedicare sibi liceret. Voti compos factus, jejunandi
propositum ad vitæ tempora, inviolatum retinuit. Ne autem pia consuetudo cuiquam
molesta, vel communis Vitæ dissona notaretur, signanter postulavit, ut etiam sub Collati-
onis tempus nihil sibi additamenti, præter communem omnibus refectiunculam, apponeretur.
Habetur ad manu secunda quoq́ schedula, à R. P. Provinciali subscripta, quâ potestate
sibi fieri postulat, devovendi vitâ ad inserviendum peste laborantibus. Votum hoc elicu-
isse Pm Ioannem, tot laboriosæ ac strenuæ in proximum Charitatis argumenta sa-
tis probârunt. Non illum adversa valetudo (qua ut plurimùm debili utebatur) non
aëris injuriæ, non protracta per integros quandoq́ dies jejunia, non contagiosorum peri-
cula morborum, in proposito retardabant, quominus infirmorum Conscientias, pœniten-
tiæ Sacramento expiare, in suprema lucta periclitantibus, auxilio præsto adesset. Et
erant, à quibus, eo etiam Nomine magis æstimaretur hic indefessæ charitatis fervor, quod in
vilioris Conditionis personas propensius ferri videretur. Hunc porro Apostolici ardorem
Zeli, individua modestia, affabilis erga omnes Comitas, conjuncta religiosæ simplicitati
humilitas, perpetuò comitabatur. Paupertatis amore, tum consona Viro Societatis, lu-
biculi supellex, tum petitâ pro minutissimis etiam à Superioribus facultas comprobavit.

Die 27 Maji in ipsam Pentecostes Dominicam incidente, calida correptus febri, qua-
mox per intersitia in phrenesim degenerante, quinta ægritudinis die extinctus, aliquot
ante agoniam horis, extremæ Unctionis Sacramento munitus. Funus postera die ex
Civium Congregatione deducentibus nostris, ultro tum ex Seculari, tum ex Regulari Cle-
ro, aliquot paria se se adjunxerunt, seriemque lugubris auxerunt ordinis. Ad tem-
plum notabilis populi confluxit frequentia, in multorumque vultu, sinceri doloris te-
stes cernebantur lacrymæ, ereptum sibi Patrem passim complorantium. Perillustris
Officialis Posnaniensis specialis in defunctum Patrem voluntatis dedit testimonium, nam
et Officio Defunctorum, à nostris pro more recitato, præsens adfuerat, et missarum Sa-
crificiis, quæ in suffragium animæ illa die celebrata sunt, ultimus ipse omnium
ad aram operatus, coronidem imposuit.

Mors Dni Watzon. Civis Posnan.

Nocte, quæ diem mortis P. Joannis antecessit, obiit non minus piè, quàm vixe-
rat Dnus Watzon Civis Posnaniensis, in paucis Societati addictus, cujus opera in Spirituali-
bus constanter usus fuerat. Hic labore ac studio R. P. Joannis Morawski ante complu-
res annos, ex Calvini assertus dogmate, Ecclesiæque reconciliatus, illa Virtutis Christianæ
et nominatim Solidæ in adversis patientiæ documenta, dedit, quæ meritò apud omnes,
non postremam ei conciliârunt æstimationem. Funus curatum in templo RR. Refor-
matorum, utpote quorum et Benefactor specialis, et per aliquot annos Syndicus fuerat;
aderant ibidem non pauci è Nostris, qui Sacrificia pro defuncto offerrent. His tamen
non contenta Patris Præfecti Congregationis Civium in demortuum propensio, testamenti E-
xecutoribus persuasit, quatenus eorum sumptu, in Civium quoque Congregatione solennes in-
stituerentur exequiæ. Ubi dies exequiarum venit, elegantibus tum deforis, quàm ab
intra adornatus est emblematibus Congregationis locus, interque numerosa, quâ Sacrificio-
rum, quâ Officii pro Defunctis suffragia, funebralis peracta solennitas. Addidit non
leve momentum, sermo eodem loci habitus à P. Concionatore Ordinario Collegiatæ, cui
præcipui quique è Magistratu, et plebe, frequentiâ, quantâ angustiæ loci valebant com-
prehendere, interfuerunt. Hos inter, pars magna Acatholicorum, quos partim cognatio
et affinitas, partim curiositas quædam ad istud traxerat officium.

PP. Carmelitarum Calceatorum affectus.

Patrum Calceatorum Carmelitarum inter cætera, illud quoque propensæ in Nos
voluntatis fuerat testimonium, quod intra solennem Corporis Dominici octavam,
non solum oratores sacros, pro cathedris, sed Confessarios quoque pro administrando
Pœnitentiæ Sacramento, confluentibus magnâ frequentiâ ad suam Ecclesiam fidelibus, aliquo-
ties à nobis expetierint. Hinc intra sacrum illud tempus, sex è Nostris ibi concionati, tri-
bus autem diebus quaterni Sacerdotes excipiendis Confessionibus operam navabant. In
Domestico templo ejusdem octavæ devotionem conclusit Rndissimus Suffraganeus sacrum in
processione ferculum deferens. Auxêre solennitatem quatuor Cathedrales Canonici,
cereos et ipsi præferentes, Eucharistiam comitati; ex quibus Rndmus Officialis, cum R-
ndmo Suffraganeo, Religiosâ in privato cubiculo excepti cœnâ.

Civitas urget ut circa recens à Nobis erectum murum, à Coll. fossa fieri curet.

Circa medium Julii, missi sunt quidam ex Magistratu et plebe Civitatis, qui cum
R. P. Rectore agerent de fossa circa murum recens à nobis excitatum erigenda. Postu-
latum suum urgebant maximè exaggeratione periculorum, quæ in dies huic loco, ab hoste
imminerent. In eundem quoque finem obtinuerant literas ab Illmo Cancelli majoris Po-
loniæ ad R. P. Rectorem, quibus rei necessitas seriò exponebatur. Ad hæc responsum
à R. P. Rectore: Opus id interea à Collegio suscipi non posse, tum quod nulla hactenus
facta sit cum Civitate conventio, quibus conditionibus, quove pacto fossa hæc esset
educenda; tum quia, etsi ad id animum adjiceremus, præsens tamen temporum calar-
mitas, magnum foret impedimentum; nam neque operarum sufficientia conduci hic
et nunc facilè posset, neque sumptibus tantis, rem Collegii tot extraordinariis pensionibus
attenuati suffecturam. Subjunxit insuper R. P. Rector habere Civitatem summam Col-
legii 10 mill. flor. a qua tot ab annis nulli penderentur census, hi ubi persolverentur, et
teraque adfuerint, desideriis ipsorum, haudquaquam nos defuturos. Exquisivit præterea
quo loco fossam statuendam cuperent. ad id cum variè varii respondissent, ipsi facilè
adverterunt se non bene ruminatis rebus venisse; cumque nihil haberent, quod ad re-
sponsa opponerent, retro, unde venerant, abiêre. Non dispari sensu ad epistolam Il-
lmi Generalis responsum est. Atque istæ defacto rationes fuêre, ob quas Collegii
fabrica prorsus hoc anno quieverit, coquendis duntaxat lateribus, convehendisque lapidibus
studium omne, ac tempus impensum. Templo tamen præter pavimentum marmoreum
illud etiam accessit ornamentum, quod secunda navis ab extra calce et minio adorna-
ta, faciem induerit lætiorem. Altare item Sacelli Crucifixi opere statuario ab Italo
artifice erigi cœpit. Cum sua in dies iteraret postulata Civitas, securitati suæ
ex hac parte prospici desiderans, datum est aliquid importunitati ipsorum. Murus e-
nim, cujus fundamenta superiore anno jacta fuerant cœpit attolli in pervigilio S. Patris.

Ordinationes PP. tertii anni Theologorum institutæ sunt Julio mense, ex quibus quatuor, nempe P. Leszczykiewicz, P. Doregowski, P. Pankiewicz, P. Leszczynski, 22 Julii primam cælo, ad aras litarunt hostiam: ultimus quidem apud Moniales Benedictinas, cæteri in templo Nostro. Superfuere duo, P. Czarlinski, et P. Zuchowski, pro die S. P. Ignatii reservati.

Eleemosynæ singulares, quibus attritæ rei temporalis angustias, Divina solata est providentia, istæ fere ab Ascensionis Dominicæ festo fuerunt. Duo paria boum, alterum à Pllri Surrogatore Schovensi, Germano R. P. Rectoris, alterum à Pllri Kozminski Ensifero Calissiensi. Pro die anniversario obitus Illrmi Castellani Gnesnensis fl. 200 à Successoribus demortui. A Pllri Dapifera Posnan. suffragia pro defuncto Conjuge exposcente 20 tymphones.

3000. fl. accedunt Collegio.

Die funeris Illrmæ Poninska, Castellana Gnesnensi, quod 27 Julii celebratum est, præter prandium lauta Successorum liberalitate in triclinio Nostris appositum, donatum insuper vini Hungarici dolium. A Pllri D. Butakowska flor: 1000. A quodam Benefactore nomen suum ignorari volente flor: 2000.

Suecorum et Lithvanici Exercitus appropinquat Posnaniæ.

Tandem externorum procella armorum, quæ de longinquo hactenus feriebat aures, appropinquare nobis quotidie magis incipiebat, donec ipsam quoque communi fato involveret Posnaniam. Rei ex ordine gestæ seriem, paulo altius hic retexere, operæ pretium fortasse erit. Collocaverat se ad Wrzesniam pars Svetici exercitus, Supremo Generali Illmo Reinscheld, viro tum aliis animi dotibus, tum præsertim ingenii mansvetudine insigni, Sveticis castris, aliquot Sapiehano-Lithvanicæ additæ erant Legiones; ex iis plures quotidie fermè invisebant Posnaniam, pacificus tamen et satis modestus illorum fiebat adventus, donec tragicus accidit casus, qui subsecutis calamitatibus viam aperuisse videbatur. Octava die Augusti venerat in Civitatem Dnus Laison Colonellus Sapiehanæ militiæ, in reditu cum potu liberalius sumpto incaluisset, civitatis portam egrediens, constitutos pro excubiis cives, verbis primo lacessere, tum etiam minoris sclopeti ictum intentare ausus est. data nihilominus temulentiæ venia, ubi tamen portam egressus in ponte constitit mox occluditur à civibus porta. Eo facto contemni se arbitratus Colonellus cum aliquot commilitonibus et ipsis bene potis explodit portam versus aliquoties sclopetum. Reponunt ictibus ictus cives, quorum uno, casu an consilio incertum, lethaliter trajectus Colonellus, vix in proximum suburbium Waliszewo delatus est, aliquot intra horas, Sacramento Pœnitentiæ ab uno è Nostris suscepto, vivere desiit. Delato ad castra ferali nuntio exarserunt in vindictam Lithvani, civibus extrema minati. Consternata timore Civitas nihil eorum quæ ad securitatem suam conducere videbantur intermittebat. custodiæ quæ diu noctuque super propugnacula excubarent firmatæ. Inter hæc adest, centum et amplius equitibus comitatus Sveticus Commissarius Dnus Funck Capitaneus, rectaque ad Civitatem tendit; occurrunt ei ad pontem cives pro excubiis destinati, ab eoque impetrant ut quatuor nonnisi suis comitatus, civitatem ingrederetur, reliquis in suburbio subsistere jussis. Post aliquot horarum moram revertitur ad suos Capitaneus in suburbium, ægre tamen ferens eâ se circumscriptum à civibus lege; quare inter alia non obscura indignationis signa, palam Civitati obsidionem minabatur futuram. His perterriti cives studia in contraria ibant. pars strenuæ defensionis arripiebat consilia, nescio quâ fiduciâ freti, affuturi in casu obsidionis subsidii; pars in spontaneam propendebat deditionem, pars clandestinâ fugâ sibi consuluit, ex iis præsertim qui aliqua ratione ad mortem Dni Laison concurrisse sibi conscii fuerant.

Deliberatur a Civibus in Curia. Varii Religiosi invitantur ad dandum consilium.

Hic futuræ obsidionis timor cum non vanus fuisse animadverteretur, jamque in eum finem aliquot centena peditum è castris ordinata certis accepissemus nuntiis; consultatum quâ via securitati Nostrorum iretur obviam; determinatumque ut Scholastici Theologi cum PP. Professoribus ad prædium Jeziorcense tantisper migrarent quoad imminentis procellæ furor subsideret, reliquis domi suis in officiis manentibus. Die itaque 16 7bris maturo jam vespere jubentur migraturi itineri sese accingere. Sed vix unus et alius currus, porta egressus est, verò an panicô timore perterriti custodes portæ eam festinantes occludunt, veriti ne fortè eâ occasione erumpentes ex insidiis hostes ad irruptionem uterentur. Unde aliquot nonnisi nostris extra portam egressis, ceteri domi subsistere compulsi, in crastino si res pateretur, ad pagum ituri. Sed vix dies illuxit instare jam portis Sveci, murosque civitatis explorando obequitare animadvertuntur, quocirca omnis ad migrandum præclusa via. Venit iterum in civitatem horâ circiter septimâ matutinâ Capitaneus Funck deditionem incolis svadens, serioque monens perspicerent quid attentarent, sibique prospicerent ne serum sequatur pœnitere. Digresso è Civitate Capitaneo conveniunt in curiam Ordines, ultimato determinaturi, quâ via, communi subveniretur securitati. Ad eundem cœtum evocati aliorum Religiosorum Superiores, accesserant et ipsi; quare ne Collegii quoque Præses desideraretur, mittuntur è Magistratu duo qui invitarent R. P. Rectorem ad dicendam super tam arduo negotio sententiam; Difficilis sane nodus! hinc enim offensa civitatis timebatur si postulatis suis non satisfieret; inde graviora prævidebantur pericula quæ à Sveco à Parte Regali nobis impendebant. si consilii istius pars aliqua essemus. Maxime cum recens Lublinensis Collegii præjudicium cautiores nos redderet, ubi ingentia incommoda ac damna tulimus ex eo quod unus è nostris in Curia præsens adesset, cum instante Sveco simile negotium à Civitate agitaretur. Tam periculosos ab utrinque scopulos hâc via declinavimus. Misit R. P. Rector P. Ministrum ad Curiam, qui nomine suo Civitati referret officiose gratias, pro ea honoris significatione quâ nos dignabatur. Quia vero Consultationes super tali materia, qualis præsens fuerat, ab Instituti et Status nostri ratione prorsus erant alienæ, vitio nobis non verterent, quod suffragium nostrum hoc in negotio ferre non possemus. Interim

quidquid pro communi securitate concordibus votis à Civitate decisum fuerit, prompte nos secuturos, si modo ab instituto nostro alienum non fuerit. Porro ut quam optimos conservandi communis boni modos Consultantibus inspiret ille, à quo recta sunt consilia, instanter ejus Divinam Majestatem nos interea exoraturos scirent. Hac ratione nec Civitas absentiæ Nostræ à Curia prudenter poterat succensere, et simul utrique parti odiorum ac invidiarum adempta oîs occasio. Inter hæc, dum discordibus votis res in curia agitur, Sueci quæ ad assultum necessaria judicabant, comparare, Scalas præsertim undeunde, quam plurimas conquirere, novas etiam fabricari aggrediuntur. Primores Civitatis cum potiore plebis parte, strenuam defensionem majore animo quam viribus præeligentes, armis accinguntur, ac propugnacula conscendunt, Sed conspectâ in proximo Sueticâ militiâ, defensionis consilium, in pacificæ deditionis vertunt propositum, candido præ muris expanso vexillo ultroneæ deditionis signa dederunt. Acceptarunt hæc Sueci suam civitati Clementiam promittentes. Verum cum portas reserasse aliquantum tardassent Cives, moræ impatientes Sueci, propugnaculis admovent Scalas per easque victorum more lætabundi in urbem penetrant, fugiente interim confusa Civitatensium multitudine, quæ pro defensione arma arripuerat. In hac irruptione illud imprimis Specialis Providentiæ in Nos beneficium exstitit, quod non per murum non ita pridem à nobis exstrui cæptum, necdum in justam altitudinem elevatum, assultus iste factus est, multarum sane per hoc obtrectationum malevolis adempta occasio. Vix in foro Civitatis miles Sueticus constitit, missi è Nostris duo ad Generalem Militiæ Dnum Mardefeld benevolentiam Collegio ac templo imploraturi, nec gravate eam obtinuerunt appromissam; Omnem enim à militari licentia pollicitus est securitatem, consuetisque in Officiis ita nos pergere jussit Generalis, acsi nullo prorsus milite civitas teneretur. Sequenti die ipse R. P. Rector tum Generalem penes quem tunc rerum summa erat, tum alios Majoris notæ Officiales cum officiosa Salutatione convenit, Omnesque sed præsertim Generalis Specialem protectionem ac benevolentiam Collegio se testaturos promiserunt. Eadem ipsa die jubentur cives omnia quæcunque domi haberent arma in curiam deportare, primoribus ex Magistratu militaris addita custodia, tum aliæ exinde pecuniariæ præsertim mulctæ injunctæ, tandem præsidium militare civitati impositum, cui præficitur Dnus Gabriel Liliehöck Colonellus pedestris Legionis. Tertio abhinc die venit ad R. P. Rectorem Capitaneus Funck, authoritate Illmi Reinscheld (ut dicebat) inquirens, num aliqua Nobilium vel Civium deposita in Collegio non asservarentur? Cum, prout res erat, nulla omnino asservari, responsum sibi esset, postulat officiose ut Collegii aream lustrare sibi liceret, precibus armatis nihil potuit negari. Comitante proinde ipso R. P. Rectore descendit in aream, illamque circumiens, quasi aliud agens non eo quo timebatur rigore, circumspexit, in abitu tamen monuit, voluntatis suæ esse ut sub militari custodia Collegium tantisper existeret quoad ab altiore potestate, circa rigidiorem ipsius lustrationem determinatio non veniret. Nec mora, ante portam Collegii et templi singulos constituit excubitores, plures verò in Cœmeterio templi Parochialis quâ ad civium Congregationem aditus patet, collocavit. Præcavens ne res notabiliores ex Collegio exportarentur vel in illud à quopiam importarentur. Personis tamen Nostris imo et externis egressum et ingressum liberum esse voluit. Tribus ferè diebus ac noctibus Custodes istos tolerare debuit Collegium donec apud Supremum Præsidii et Civitatis Gubernatorem vulgò Commendantem Dnum Liliehöck impetratum esset, quatenus eâ nos custodiâ liberaret. Concessum id repetitis postulatis Nostris, eâ tamen conditione ut R. P. Rector expressâ Syngraphâ testimonium daret, quod nulla prorsus externorum deposita in Collegio asservata haberentur. id ubi à R. P. Rectore præstitum, custodes ex nunc âvocati, atque ab omnibus in posterum in hoc genere impetitionibus cessatum, neque ad ulteriorem Collegii lustrationem ventum est. Claves nihilominus à janua areæ quæ ad Vratislaviensem portam sita est, reddere Illmo Commendanti debuimus ut liber diu noctuque per aream militibus pateret transitus. Murus etiam claudens aream, variis in locis perforatus, tum propter tormenta, tum propter aditum proximi propugnaculi. Hæc et id genus plurima incommoda in communi calamitate tolerare debuit Collegium.

Spoliantur Armis Cives.

Prætereundum hic silentio non est, haud levis momenti negotium in causa erectionis fossæ ultra murum à Collegio exstructum quod nobis partim cum civitate partim cum Suecis intercedebat. Ad finem Septembris requisiivit apud R. P. Rectorem Commendans Civitatis, ut dictam fossam quàm primum duci curaret. Reposuit R. P. Rector negotium istud suscipere se non posse, tum quod nullus adhuc cum civitate factus esset legitimus contractus circa fundum veteris fossæ quæ erecto à nobis muro areæ Collegii accesserat. Compellendos proinde imprimis cives ad perficiendum eum contractum, à quo perficiendo, incertum quibus de causis hactenus tergiversabantur. Ad hoc tenuitas plurimis contributionibus exhausti Collegii, nec non operariorum defectus allegabatur a R. P. Rectore contra requisitionem Commendantis. His auditis Commendans ex nunc urget Cives ut quantocius memoratum contractum nobiscum perficiant; nec mora, factum intra duos ferè dies, quod pluribus annis obtineri non potuit. Conficitur ab utrinque plenus circa possessionem fundi Contractus, Actis Civitatensibus firmatur, aliisque à jure præscriptis Solennitatibus exacte servatis, in dominium Collegio fundus memoratus cedit. Ita primo sublato obstaculo, duo restabât insuper, inopia scilicet Collegii, et operariorum defectus. Ad utrumque respondit Capitaneus Funck, ad primum quidem, non multo opus esse ad perficiendam rem illam sumptu, totumque opus ducentis ad summum Imperialibus absolvi posse. Ad secundum verò, non esse inquirendos alios operarios, cum milites sui in copia adessent, illorum operâ optime idque intra breve tempus negotium conficiendum. Fit ergo conventio ut singulis militibus duo solidi sextarii pro diurno solverentur stipendio, atque ineunte Octobri labor circa fossam inchoatur. Et ab initio quidem utcunque prompta militum opera inceptum promovebat opus: procedente nihilominus tempore iidem aut nihil agendo, aut penitus à labore vacando integros trahebant dies, interim stipendium Statâ et inviolabili lege exigebatur. Deprecabamur sæpius apud Commendantem ejusmodi Operarios, nihil tamen iteratæ proficiebant preces; imo aggravavit ille adhuc onus super nos injungens ut subditos quoque ex pagis cum curribus ac ligonibus evocaremus ad egerendam terram; id quanquam cum gravi pagorum incommodo fuerit, seminationis enim tempus alium requirebat laborem, parere tamen punctualiter debuimus. Summa porrò quam in militum laborem ac Magistrum fortificationis autumno hoc expendimus   excurrit.

Fossa post Collegium à Nostris erigitur.

Negotio huic affine est et illud quod circa demolitionem hospitalis veteri fossæ imminentis intercesserat. Vicinia dicti hospitalis incommoda judicabatur ædificio futuri Collegii, quare jam ante aliquot annos agebatur cum civibus, quibus ejus loci cura incumbebat, de transferendo dicto hospitali in alium quempiam locum, nihil tamen certi determinatum ab utrinque. Nunc porro cum Sueci demolitionem ejus urgerent, quod regulari fortificationi obstaret, paruit sine mora civitas, in demoliendo. Eâ tamen occasione expostulatum est apud R. P. Rectorem à Civibus, asseverantibus promissam sibi olim à Nostris summam pecuniariam pro transferenda illa hospitalis æde. Ejus promissionis licet nullibi in Collegii Scriptis vestigium exstaret, visum nihilominus est, pecuniam Civitati numerare, summam scilicet florenorum 1200 facta ab utrinque conventione, eâ conditione adjectâ

ut ab omni in posterum onere quod prætendi a quopiam posset juridica quietatione immune redderet Collegium. Pactum et Conventio Actis Civitatis inscripta. Exemplar ejus, uti et Superioris causæ extractum habetur in Archivo Collegii.

Quod spectat Contributiones pro milite externo impositas, in his præter communem sortem, gravius hoc anno pertulit Collegium. cum enim pro singulis fumis 54 Tymphones penderentur, onus istud impositum est Bonis quoque Nostris, primò quidem illis, quæ ex illa fluvii parte habentur; postea tamen etiam in illa transfusum est, quæ ex hac parte sita sunt, cum tamen pars hæc ad Posnaniensem referatur Palatinatum, qui hoc anno ab ejusmodi contributione immunis adhuc fuerat. Contributionem hanc porrò ut in victualibus exsolveremus injunctum est nobis. Ubi tamen pretium rerum longè profectò magis, quàm postularet æquitas extenuatum, exhibitum nobis fuit, laboravimus multum ut pecuniâ potius tributum hoc solvere nobis liceret, nihil tamen repetita poterant evincere postulata. Idque cum majori adhuc gravamine nostro fiebat, quod frumentum mensurâ non solum coagitatâ, sed supereffluente etiam acciperetur. alia verò uti panis, butyrum, carnes etc. etc. in pondere ultra omnes leges justitiæ majore appendebantur. Quocirca rebus currenti alias pretio æstimatis, computando etiam pecuniam, quæ in exactores erogata est, ut æquiore pondere ac mensurâ uterentur, pretium in eam excreverit summam ut per 57 Tymphones à singulis fumis nos solvisse exactus ostenderit calculus.

Ab Excursionibus et commigrationibus militum etsi graviora damna pagi Nostri ex illa potissimum fluvii parte Authumno hoc pertulerunt; fœnum enim, avena, hordeum in aliquibus prædiis ex integro fere in pabulum equis cessit, in aliis tamen rebus, singulari imprimis Dei beneficio tum etiam vigili sollicitudine et industrio conatu, respectivè ad vicina Bona levia admodum erant quæ toleravimus.

Annus 1704.

Sub Admodum R. P. Thyrso Gonzalez Generali
R. P. Stanislao Wdziemborski Provinciali
R. P. Adriano Miaskowski Rectore.

Hoc difficili rerum statu, alebat Collegium invariato prorsus à quietissimis temporibus tenore, Personas 62. in nullo servis suis deficiente Optimi Domini providentiâ. imo per aliquot menses plures aliorum Collegiorum Personas sustentabat, præsertim Collegii Thorunensis, quamdiu scilicet obsidio Thorunensis tenebat, quæ ad medium Octobrem protracta est. Personæ Thorunium spectantes, primùm 20 Novembris hinc expeditæ sunt, cum quibus simul missa pro eo Collegio eleemosyna quantam angustiæ præsentes concedebant. Nec solum in Nostros sed in extraneos quoque Religiosæ charitatis abundè erogata officia. Detinebantur in stricto carcere à Svecis in Civitate diversarum Cohortium equites militiæ Polonæ 20, cum totidem fere famulis suis. Eo quod in vicinis oppidis hybernam contributionem recipientes suspectos se Svecis reddiderunt. Inter hos, licet non ignoravimus aliquos fuisse, qui olim pagis Collegii non levia intulerant damna, visum tamen immemores esse injuriæ. Omnibus proinde præter spiritualia obsequia in temporalibus etiam quotidianæ charitatis præstabantur officia. In singulos dies cibus et potus stata lege captivis ad sufficientiam ministrabatur, et quidem Commilitonibus (vulgò Towarzystwu) tria quotidie fercula ejusdem qualitatis cum iis quæ ordinarie Nostris pro prandio apponi solent, ministrabantur. id quod per septem continuos menses factitatum. Charitatis istius memores postquam è captivitate liberati ad sua redierunt vexilla milites, aliorum Collegiorum Bonis

Singularis prorsus charitas in nobiles captivos milites.

rependisse pro beneficio gratitudinem, passim deinde scribebantur.

Scholarum numerus quamquam exiguus admodum fuerit, nihil tamen ex consueto ordine, ac exercitationibus intermissum, quominus usitato aliis temporibus more, Studiorum ratio curreret. Solennitates Nostrorum Sanctorum solita consvetudine peragebantur quibus numerosâ frequentiâ præcipui quique ex Sveticæ militiæ Officialibus interesse solebant, passimque, ut ipsi fatebantur de Religionis Nostræ Sacris, melius persvasi abibant, qui curiosi spectatores adventabant. Commendans etiam ipse aliquoties ad audiendam Concionem Germanicam in Sacello Germanorum pro more haberi solitam veniebat, indeque singulari bene affecti animi significatione recedebat. Missiones pro Festis Natalitiorum Christi, Paschatis, aliisque Solennitatibus majore etiam quam annis superioribus numero institutæ.

Ita res Collegii in suo cursu constitutas graviora imminentia pericula nonnihil turbarunt. Ad finem decurrentis Maji, viginti et amplius millia Saxonici exercitus Poloniæ fines ingressa, ad Mederecum consiterant, quæ primum versura impetum ad expellendum Posnaniâ Sveticum militem, publicis vulgabantur nuntiis. Jamque aliquot centena Saxonum adjuncta erant Perillri Dño Smigielski Capitaneo Gneznensi (qui tribus collectis levioris armaturæ cohortibus per diversa loca Svecos infestans, Colonelli Regiæ Majestatis titulum hoc anno promeruit) ut cum ipsisque milite excursiones Sveticas è Civitate sisterent, venientesque alunde cum alimentis currus ab Urbis ingressu arcerent. Idcirco ut Personarum securitati imo pagorum etiam indemnitati maturè consuleretur, rebus bene ponderatis, determinatum, ut major Domesticorum pars ad pagos migraret, Concionatoribus duntaxat, Operariis, Inferiorumque Scholarum Professoribus ad Poësim inclusivè domi residuis. Die itaque secunda Junii, ut sinistris primò interpretationibus obviaretur, adiit R. P. Rector Dnum Commendantem postulans ut bonâ ipsius veniâ Personas è Collegio ad pagos expedire posset, cum id et annonæ devehendæ incommoda et imminentia obsidionis pericula exigerent. Annuit non illibenter postulatis, ea tamen lege, ne residuo Contributionis quam necdum ex integro persolveramus frustraretur à nobis. His peractis Scholastici Theologi cum suis P. P. Professoribus Siekiercios expediti, alii Jeziorcios. Interim Bonis prædiorum majora quotidie impendebant pericula. Ad Koscianum destinatus erat locus sancito Sredensium Comitiolorum, quo universa utriusque Palatinatus Nobilitas armata confluerent. Ibidem triginta Cohortes stipendiarii militis Reipublicæ, nec non octodecim vexilla recenter ab his Palatinatibus collectæ militiæ, aliquot insuper Saxonum millia ibidem castra metata sunt. A tanta multitudine vel vicinis Bonis Nostris Prædiorum Bielawy et Jeziorki, quotidianæ fere ad illos pagos fiebant excursiones, innumeris gravando eos extorsionibus. Acuebat licentiosi militis aviditatem sinistra malevolorum criminatio, quasi Sveticis partibus addictiores aliqui è Nostris fuissent notati; Nostra proinde bona non alio loco habenda quam eorum qui Regiæ Majestati publicè adversabantur. Multùm profectò ea criminatio, malorum in re temporali nobis causavit, præsertim verò in Bonis ad prædium Dębina spectantibus, in quibus quatuor integris hebdomadis Congregatæ sub signa Nobilitatis castra subsistebant. Precibus tamen submissis, et quibus licuit Religiosæ humanitatis obsequiis impetratum est, ne ex integro bona illa devastarentur, quod omnino intendere non obscuris videbatur indiciis infensa rebus nostris aliquorum malevolentia. Prævaluit tamen adversus malignantes Protegentis Dei favor. In pecoribus enim vix aliquid tulimus damni, similiter in tritico ac siligine non adeo gravis illata injuria. Avena tamen, hordeum et fœnum

Saxonum 20000 ingrediuntur in Poloniam

Nostri è Collegio migrant Siekiercios et Jeziorcios.

ex integro in prædam cessit. Maximè cum ibidem Saxonici exercitus 20 millia per integros decem dies substitissent. Misericordia proinde Domini magna, quod eò loci penitus non simus consumpti nos, cum Vicinorum Nostrorum Bona etiam Nobilium deteriorem longè pertulerunt sortem.

Pro defendendis Majoribus Actibus missi Siekiercii Posnaniam PP. quarti anni Leszczykiewicz, Dorzgowski, Czarlinski die 15 Junii, quos tribus continuis sequentibus diebus absolverunt. Eodem mense Sacris Ordinibus initiati Theologi tertij anni Federowicz, Destrahan, Terboch, Chelmicki, Pierocki; qui postea omnes die 13 Julij Primas absolverunt ad aram hostias. P. Federowicz et P. Terboch Posnaniæ, in Suburbio Srzodka dicto, in Ecclesia S. Margaritæ. P. Pierocki, duo reliqui P. Destrahan et P. Chelmicki in Ecclesia Siekiercensi.

Illmus Suffraganeus Siekiercii festum S. Ignatii ad aris celebrat.

Festum S. Patris Siekiercii celebratum. Illud habuit speciale quod Illmus Suffraganeus ex singulari in S. Patrem pietate, in Filios verò ejus benevolentia ei adfuerit, ibidem religiosâ mensâ exceptus.

Mors P. Koszczarski. Sepultus apud RR. PP. Reformatos in Mieyska Gorka.

Seriem præsentis anni concludat obitus P. Stephani Koszczarski. Hic à naturâ et gratia ad Operarii munus comprimis comparatus, illud annis 20 et amplius magnâ indefessi zeli in publicum commendatione, nec minore animarum lucro sustinuit. Laboribus, vigiliis, viarum incommodis infractus, lucrandis Deo animis pro viribus instabat. Rara admodum in regendis conscientiis dexteritas ac prudentia, non mediocrem ei, etiam apud Dignitatis Personas conciliavit æstimationem. Ab Illmo Dno. Przyemski Palatino Calissiensi expetitus, aulicæ missionis difficilem semitam per annos complures singulari ad omnes Religiosæ virtutis famâ decurrit. Inde post fata Palatini ad Religiosum sese recipiens angulum, abjectam in Domo Dei vitam, Magnatum prælegit consvetudini. In Majo anni currentis ab Illma Dna Kretkowska olim duorum Palatinorum consorte, evocatus Rawicium, ejus spirituali operam dum navaret obsequio, febri correptus paucos intra dies suam Deo reddidit animam, postquam plurimas aliorum ad ejus perduxisset obsequium. Post exactos in vita annos 61, in Religione 40. In Gradum Spiritualium Coadjutorum 29. diem obiit. Corpus defuncti sequenti statim die ad vicinum Oppidum Mieyska Gorka delatum, in Ecclesia PP. Reformatorum tumulatum, ferventioris enim æstatis calores diutius inhumatum asservari non patiebantur. Idcirco factum ut Pater consultò expeditus accepto mortis nuntio pro devehendo Siekiercios defuncto, acto jam funere ad locum pervenerit, quare PP. Reformatis nomine Collegii actæ gratiæ pro Religiosæ in defunctum charitatis Officio.

Suburbanæ Domus à Suecis dejiciuntur &.

Mense Augusto, pluribus iisque haud levibus Suburbia Posnaniensia afflicta sunt calamitatibus. Occasionem dolendæ stragis fecerunt Generalia exercitus Saxonici castra, quarta parte milliaris a Civitate posita. In iis enim dum omnis, quà ad strictiorem obsidionem, quà ad assultum apparatus compararetur. Præsidium Gothicum securitati suæ consulens, viciniores Civitati Domos, hortorum sepimenta, et quæcunque defensioni suæ obstaculo esse videbantur, partim igne partim ferro demoliebatur. Strages hæc duas quoque ædes ad Collegium spectantes involvit. nec Ecclesiæ Omnium Sanctorum dissimulatum (in qua pluribus ab annis Devotio Germanorum, nostrorum Curâ et obsequio peragi solebat) eò quòd vicinia ipsius incommoda censeretur. Magnus tamen ille Saxonici militis apparatus, ultra minas et vanos timores, non processit. Ad finem enim exeuntis Augusti, subitò Regiæ Majestatis evocati imperio, Varsaviam magnis itineribus, ne inchoata quidem oppugnatione, properârunt. Procellam hanc gravior non multò post, excepit ~~prope~~ tempestas. Sexaginta cohortes stipendiarii militis Poloni, aliquot millia Moschorum, Cosacorum, Tartarorum, Valachorum numerosæ turmæ in locum Saxonici successêre; atque cum Congregata sub signis nobilitate, uno ab Urbe milliari castra posuerant. Hic dum quotidie de expugnatione Civitatis, variis disceptaretur consiliis

res in longum ibat, non sine gravi nostrorum quoque clade Bonorum, quorum indemnitati succurreres in tanta diversarum Gentium colluvie vix apparebat modus: Quod quid tamen medii occurrebat, nihil intermissum, ne ex integro plane res Oeconomica concideret: neque deerat allaboranti strenuè solicitudini protegentis Dei favor. Jamdem post trium et amplius hebdomadarum moram, adveniente cum bellicis machinis Saxonica artileriâ, oppugnatio Civitatis inchoata. Interim omni studio nostra sese intendebat Cura, ut quâ posset viâ, Fabricæ Templi ac Collegii indemnitati consuleretur. Conciliabatur proinde benevolentia, apud præcipuos quosque militiæ Generales, eos potissimùm, quibus dirigendarum machinarum Cura incumbebat, quatenus rationem tum Ecclesiæ, tum ~~Templi~~ Collegii haberent. Illud saltem preces evicerunt, ne contra Templum, ullum ex majoribus tormentis dirigeretur: à minoribus tamen ictibus immune non fuerat, citra tamen notabile damnum, interioris præsertim structuræ, excepta modica incrustationis parte, quæ ex concussione terræ à fornice deciderat. Graviores impetus sustinuit Collegium eâ de causa: quod nonnulli ex Sueticis Officialibus, mansionem in illo fixisse animadverterentur. Plurimi proinde igniti globi, eò directi, a quibus aliquoties flammam concipiebant tecta, vigili tamen diligentia, majoribus incendiis obviatum est. Quoniam verò graviora timebantur pericula, in ipsa occupatæ Civitatis expugnatione; quæ in proximo futura videbatur, duobus in locis magna murorum parte solo æquata. Communis rumor fuerat, Civitatem furori militum in prædam ac direptionem cessuram, inque omnes Incolas, nulla habita ratione status, statisque ferro aggressorum manum desævituram: quare ut tam Personarum in Collegio existentium, quàm tectorum securitati, aliquod provideretur tempestivè remedium, a præcipuis Generalibus, tum pro Ecclesia, tum pro Collegio salvi conductus impetrati, in casu invasionis, præsidio rebus nostris futuri. Inter hæc defertur ad castra rumor, Suecicæ Regem, cum valida suorum manu, ex Russia redeuntem, Majoris Poloniæ finibus appropinquare. Nuntius hic adeò oppugnationis turbavit consilia, ut universus exercitus, in varias dilapsus partes, a Civitate sequenti statim die recesserit. Ita obsidio quæ 15 octobris cœpit, 3tia Novembris soluta irrito conatu.

Posnania à Saxonibus obsidione tenetur.

Damna à Suecis illata Collegio.

Sub tempus illius gravissima pertulit damna Collegium in suburbio; Domus enim in horto non pridem magno sumptu ædificata pro nostrorum commoditate, quoties eò diebus Vacationum, animi causâ mitterentur, diruta. Proxima horto officina lateritia, magnis erecta impensis solo æquata. Ad hæc, vastus lignei circa hortum sepimenti ambitus, direptus: ædes aliquot conjunctæ horto, vastatæ ac penitus eversæ. Intra Collegium verò quidquid pro Fabricæ usibus asserum, atque lignorum fuerat comparatum, a præsidiariis ad firmandam de novo intra arcam Collegii erecta fossam, conversum est. Hæc ferè notabiliora detrimenta fuerant, quæ Domi et in Suburbio sustinuit Collegium: ut interim taceantur illæ, quanquam non leves, quas in Pagis remotioribus, tenente obsidione pertulit rei temporalis, jacturæ.

Contributio in Suecos. Ex uno fumo 7 Imperiales.

Vix ab ista respiravimus calamitate, cum ecce nova animis incubuit Cura. Tota Suetici exercitûs moles, Saxonum è Poloniæ finibus excedentium vestigiis insistens, hisce Palatinatibus se se infudit. Cùm verò tempus jam esset, quòd militem ad hyberna vocaret, paucis duntaxat exceptis Regiminibus, quæ in Prussiam fuerant missa, in Posnaniensi et Calissiensi Palatinatu, totus exercitus pro Stativis collocatus est; simul omnibus quorumcunque bonorum Possessoribus injunctum, ut ex singulis fumis, seu Domibus, septenos per mensem unum contribuerent Imperiales, ad hæc pabulum pro equis subministrarent. Contributio sanè, attento calamitoso Provinciæ statu, admodum gravis, supra modum afflictam rem Collegii aggravarit. Diminutionem quidem ipsius apud Exactores impetravimus ita ut ad quinos Imperiales restricta fuisset, alleviatio tamen hæc magno constabat. Unde per menses septem, quinos a singulis fumis pendere imperiales unoquoque mense cogebamur. Sequentibus verò mensibus, in aliquibus locis (diversis enim Colonellis diversi obtigerant Pagi) per 16 tymfones, a singulis pendebantur fumis. Ultra fumalem Contributionem, imposita fuerat, alia quoque in Januario, ita, ut a seminatione segetum, quarum spes adhuc vix in herba fuerat, tributum persolveretur viginti metretas, pro uno computando fumo. Adhæc pro curribus et equis (ut dicebatur) artileriæ unus ex singulis fumis exigebatur imperialis. Multoque insuper pensiones, arbitrio particularium Officialium passim imponebantur, quas ad novissimum quadrantem persolvere debebat Collegium. In eo tamen aliqua facta alleviatio, quod mandato Regis Suecicæ, ratione ingentis desolationis huic illatæ Palatinatui, per tot exercitus, revisio fumorum concessa fuisset, cum in veteri catalogo (vulgò Taryffa) plures longe numerarentur, quàm de facto hoc rerum statu inveniebantur. Quocirca ad minorem aliquanto numerum, Commissariorum favore redactus est in Pagis quoque nostris, fumorum syllabus, satis tamen notabilem excrevit ad summam pecuniaria Contributio, cujus imponendæ tot diversi excogitabantur, planè in dies modi, id quod infra patebit, ubi summatim exponetur omnis pecunia in diversas expensa Contributiones.

Rebus sic Domi et extra constitutis, deliberatum in Siekircensi Prædio, an expediret communitatem Theologicam ad Collegium transferre, pluribus tamen gravissimis de causis, visum est adhuc

com-

commodius expectandum tempus. Inter Causas verò alias, etiam hæ suum habebant momentum. Ima. Epidemica lues, quæ integra planè hyeme, multum in Civitatem desævit, imò quosdam etiam indicia pestis, quæ hac tempestate, totam ferè affligebat Poloniam. 2da. Difficilis ad Collegium annonæ ex prædiis transmissio, sed præsertim lignorum pro fornacibus calefaciendis, tum quod currus passim in Civitate a Præsidiariis detinerentur; tum quod pro solvendo in ponte telonio, quod strictissimè exigebatur, notabilis expendenda esset summa. 3tia. Pericula futuræ obsidionis, quæ passim sive a Moscho, sive a Cosacis imminere monstrabatur. His aliisque de Causis finem præsenti anno, Studium Theologicum in Siekircensi posuit prædio.

Annus 1705

Sub A R P Gnrli Thyrso Gonzalez
A R P Vice Gnrli Angelo Tamburino
R P Provinciali Stanislao Wdziemborski
R P Rectore Adriano Miaskowski

Ita calamitoso tempore alebat Collegium Personas in universum 61. Anni ineuntis exordia, Scholarum quoque ad externos fuere auspicia. Post quinque etenim mensium a Scholastico labore ferias, die 6ta Januarii, studiorum instaurata encænia; habitâ a prandiis in publica Scholarum aula, a Professore Rhetorices oratione. Postridie actus parvi, mane et a prandiis a nostris propugnati. Quibus peractis Theologi Scholastici cum PP Professoribus Siekircios redierunt, iisdem causis longiorem moram prohibentibus, quæ reditum ad Collegium tardabant. Scholarum porrò Inferiorum Professores, sua docendi inchoârunt munia, juventute quidem initio exigua, eaque Civitatensi tantum, numerum tamen, temporis cursus facilè auxit. Adhæc, ut Pædagogis quoque Scholasticæ non deessent exercitationes, Philosophicus Cursus instauratus est. Exeunte Januario, contagiosa lues in Collegium penetravit, et primos quidem aliquos Patrum infirmis operam navantium infecit, qui tamen opitulante singulari Dei providentia, periculum mortis incolumes evasere: unus nihilominus Frater Elias Zerebecki, post aliquot dierum gravissimos febrium toleratos æstus, malo succubuit, die 8 Februarii, anno ætatis suæ 56, Religionis 11, in augusto Superioris anni in Gradum Temporalium Coadjutorum adlectus. Obiit porrò ritè dispositus et Sacramentis munitus. Charitatis insignis erat, amantissimus vocalis orationis, ejusque diuturnæ, Regularum observator exactus, exemplaris, SS. Sacramentum solebat visitare sæpissimè, Officio Janitoris per annos 8, magna cum ædificatione externorum, ac nostrorum satisfactione functus ita, ut natus (judicio Superiorum) muneri huic omnino videretur. Hunc brevi scilicet 18 Februarii secutus est ipsa senectute confectus Pater Paulus Cwieluzowicz Coadjutor Spiritualis anno ætatis suæ 73 Religionis 57. Exactam vitæ Religiosæ normam expressit in se a Novitiatu; Minister in Seminario, omnes Regularum observatores eè, præsertim silentii, cujus amantissimus fuit, desiderabat. In Pago nostro Siekirensi, ita annorum plurium spatio locum Procuratoris egit, ut in baptisandis Infantibus, sepeliendis mortuis, excipiendis Confessionibus, cæterisque Sacramentis administrandis, ideam optimi, zelosissimi Missionarii exprimeret. Solitudini sacræ deditus totus, vix e cubiculo egrediebatur, communi contentissimus victu ad extremam infirmitatem. Præter assiduas ferè vocales orationes, etiam horas Canonicas, cum jam non posset legendo decurrere, è memoria depromebat, eumque qui Divini Officii lectiones legeret, inquirebat solicitè, affabilitatem in Convictu, paupertatem in Cubiculo, ac omni Religiosa supellectile exactè colendo, singulari in omnes candore, semper notabilis. In Medio Martii, nimirum 15 Mensis, diem supremum obiit Stephanus Stawski Coadjutor Temporalis. anno ætatis 57 Religionis 35 Sacramentis instructus omnibus; ante Campanæ pulsum surgere illi consuetum erat, ut decurreret consuetas Orationes: post meditationem et Sacrum Animum, precatorum librum, interveniens negotium non nisi è manibus eripiebat, ingerendo tamen Coronam, quam videbatur recitasse continuò ad portam Janitor. Sæpiùs jocos sibi molestos, suavi suscipiebat vultu, in adversitatibus et morbis variis, quibus a prolixo tempore affligebatur, patientissimus. Multorum affectus affabilitate, vitaque exemplari possederat, exactus in obedientia, cæterisque virtutibus viro Religioso debitis. Tribus funeribus, quæ intra unum fere mensem extulimus, necdum satiata mors, 25 Martii è vivis sustulit, in Prædio Seziercensi Patrem Franciscum Grabski Professum 4 Votorum. annum ætatis 70 Religionis 54 agentem, Virum non minus emeritæ senectute, quàm naturæ ac gratiæ donis, nec non Religiosis muniis gloriosè gestis, ad omnes tam domesticos, quam seculares insignem. Philosophicum Cursum pro nostris Calissii tradidit, Theologicum

Mors C. Zerebecki

Pris Cwieluzowicz

C. mi Stawski.

Pris Fran. Grabski

Leopoli, Posnaniæ atque Cracoviæ. Post cathedram Lublinensem, ex qua ad supremum Tribunal Regni, sacrum oratorem egit, plurimis annis Calissii, moralis Theologus et Præfectus Scholarum superiorum. Apud nobilitatem Palatinatûs Posnaniensis. et Calissiensis, non exigua auctoritate, vel exinde pollere visus, quia sæpius ad Comitiola, in negotiis gravibus Collegiorum expediebatur, cum notabili emolumento Provinciæ. Extendebatur illius æstimatio ad Proceres Regni; Nam ab Illmo Christophoro Grzymultowski Palatino Posnaniensi, Legato Reipublicæ, ad Magnum Ducem Moschoviæ, in Comitem viæ, Theologumque assumptus, ivit in Moschoviam: Vir prudentiæ grandis ideoque etiam consilii magni, tam in dubiis casibus, quàm difficillimis: ac judex Controversiarum inter Superiores in Congregationibus Provincialibus ferè assiduus. Annis labentibus, elegerat sibi solitariam in Pago vitam meditando Divina, vacando orationibus, Sacra cum labore summo, ob tenuioris defectum visûs, quotidie peragendo. In pago etiam vitam privatam agens, zelum singularem exercuit in catechisandis rudibus, ac instruenda concionibus et exhortationibus, plebe.

Post tot domestica funera, numerosissimaque alia, quæ die quolibet Civitatem funestabant sæva contagio mitescere cœpit; quare cessante præcipuo hoc impedimento, reditum nostrorum ex Siekircensi Prædio morante, Collegium ad pristinam rediit formam, quod à 2da Junii Superioris anni divisum manebat. Pridie Calendas Maji Studium Theologicum ex Pago ad Civitatem translatum auditores tamen præter Nostros, ex secularibus paucos habuit, usque ad decursum præsentis anni.

Exitus Scholastici anni memorabilis extitit Collegio reconciliatione cum Patribus Dominicanis, qui ab aliquot annis abalienati a Nobis, publicas Scholarum Disputationes accedere non dignabantur: Sub illud tempus cum nostris in gratiam redierunt, Thesesque Theologicas oppugnandas susceperunt; atque insigni frequentia, publicos nostrorum actus augebant. Nec solum Scholasticis in materiis, sed in aliis quoque propensi in nos animi argumenta dedere. Pro solennitate enim S Patris, ad sacram invitati Cathedram, Officium promptè acceptârunt, atque de laudibus Divi, ad populum verba fecerunt, magna tum nostrorum, tum externorum satisfactione; matutino quidem tempore, Ordinario ipsorum Concionatore, a meridie verò Primario Theologiæ Professore, sacrum oratorem agente. Lætiorem aliquantò rei domesticæ statum, turbavit imprimis mors Joannis Siemachnowicz Coadjutoris Temporalis. Hic post plures secularis vitæ annos, militiæ et aulæ impensos, Religiosum statum adulta ingressus ætate, in humili simplicitate DEO vixit. Afflictæ valetudinis mala, quemadmodum supremi morbi, acerrimos dolores patientissimè toleravit. Totius vitæ tempore, paci et charitati fraternæ singulariter addictus. Tandem anno ætatis 61. Religionis 17. è vivis excessit, omnibus in viam æternitatis, ritè munitus Sacramentis.

Præter Contributiones pro Suetica militia injunctas, impositæ fuerant plurimæ aliæ, sancitæ Srzedensium Comitiolorum, pro recens conscripto milite: quales erânt; tributum à singulis Capitibus; a propinatione Cerevisiæ. Ad hæc hyberna Contributio, pro stipendiaria aliàs Regni Militia numerari solita, tot exactionibus non suffecisset Collegium, nisi specialis Serenissimi Neoelecti Stanislai Regis benevolentia aliquod indulsisset nostris levamen. Ut verò constet, quantum pro tot diversi generis tributis Collegium expenderit, summatim eam, quam intra duos immediatè superiores annos numeravit pecuniam, hic collectam subjicio: In militem Saxonicum flor: 4190. In Polonum militem flor: 4544 In Sueticum 27416. Summa. 36150. Quod si ea quæ honorarii causâ, pluribus militiæ Præfectis oblata sunt: quæ item pro salvis conductibus expendimus; item quæ in victualibus contribuere debuit Collegium, ad calculum venirent, non exigua profectò expensorum consurgeret summa.

Septima Augusti dies, octava autem post festum S Patris, lætior supra cæteras Civitati et Collegio affulsit. Præsidiumque namque Sueticum, urgenti mandato ad castra, quæ ad Zbąszyn tunc fuere, a Generali suo evocatum, statione vix non integro biennio, in hoc loco continuata, excessit; magno sane incolarum gaudio quod post plura ab armatis hospitibus tolerata onera, tempus respirandi tandem sibi concederetur. Dei autem beneficio factum est, quod in ipso egressu, præter consuetam aliàs morem, et contra quam sparsis paulo ante in vulgus rumoribus, jactabatur (incertum quibus auctoribus, ultimam cladem et direptionem urbi, in ipsud tempus minantibus) mansuetum satis ac modestum se miles exhibuit. Primo illius diei mane, Commendans ipse Colonellus Liliehoek cum præcipuis officialibus descendit ad Collegium, ultimum dicturus Vale, veniam simul petiturus eorum, in quibus, pro temporum ratione, molestior aliquando extiterit, omnem securitatem et indemnitatem rebus nostris ultrò appromittens. Sic domi et extra constitutis rebus, nihil erat quod consuetam studiorum instaurationem ultimâ die Augusti ex præscripto haberi solitam impediret. Insigni proinde. Hospitum frequentia, Oratorem publicum agente Patre Professore Rhetorices, proliminaris hic anni Scholastici actus celebratus est. Erant læta satis studiorum exordia. Juventus quæ pro-

PP. Dominicani alienati annîs aliquot, reconciliantur.

Mors C. mi Siemachowicz

Summa expensæ in Contributiones. 36150 fl.

Sueticum Præsidium abit ad Castra.

pter armorum incommoda, duobus jam prope annis, per suos dispersa pagos, a literariis vacabat exercitationibus, accepto nuntio de evacuata civitate a praesidiario milite, ineunte Septembri, numerosa ad scholas convolavit. Verùm non diu Civitati praesidiariis licuit carere armis. Digressis enim Suecis, cùm insolentiores quaedam turmae circumquaque grassantes, hospitantem in vicino pago Civem Posnaniensem, Znum Seper herbero[d]ovum (cujus etiam in hac historia fit aliquoties supra mentio) interfecissent, nonnulli ceterorum, similem sibi metuentes sortem, institerunt apud Gnlem Remschold, quatenus pro securitate urbis, praesidium militare submitteret: annuit ille non gravatè postulatis, trecentos circiter equites deponat pro defensione loci, ac praesidii gubernacula viceColonello Keudack committit. Quare die 7bris, iterato praesidiarius Miles, Civitatem ingreditur. Sequenti statim hunc visitavit cum religiosa veneratione ViceColonellum R.P. Rector. Satisq. humaniter est acceptus, ac illud insuper impetravit, ne murum, aream Collegii circumdantem perfringi juberet, propter commodiorem Excubiarum commigrationem, id quod jam destinatum fuerat. Statim enim ac Civitate antecedens migrare Praesidium, aditus ille qui multa causabat incommoda Collegio, latere et cemento interclusus fuerat. Brevi post submittitur a Commendante ad R.P. Rectorem secretarius, qui nomine sui Principalis, 200 imperiales solidos requireret, sed cùm requisitio ferè verbalis esset, nullo authentico expressa scripto, tergiversari aliquantum coeptum est in persolvenda pecunia. Verùm non cessante et quidem importunius quotidie exigere pecuniam Commendante, debebant aliquot centena tynfonum numerari.

Iterum redit miles praesidiarius, ad postulata Civium.

Inter haec, quo Divinarum uberiore benedictionum copia, coeptus decurreret annus, a Domo Dei auspicia illius derivare propositum fuit. Aliquot jam fluxerant anni, cùm Templi Domestici aedificium in opere suo consummatum, solenne Encaeniorum expectabat festum; quare urgentibus Dedicationis accelerationem, non paucis, nec levibus causis, quae inter Consultationum acta relatae habentur, non differendam in longius tempus eam solemnitatem visum est. Maturando itaq. operi omnis impenditur cura, renovantur quantocius templi parietes, loca sacro chrismate delinienda, aureis Sacrosancti Nominis Jesu notis ac picturis adornantur. In loco majoris altaris, erigitur laterico opere ara, nec non in collateralibus duobus sacellis: omnis praeterea apparatus, quicunq. necessarius peragendis sacris ritibus judicabatur, celeri studio comparatur. Et jam imminebat dies 27 Septembris, opportunè in Dominicam incidens diem, quâ, memoria Translationis D. Stanislai Praesulis et Martyris, Ecclesiae verò Tutelaris agitur, hoc Dedicationi fuerat destinata. Ad hanc invitatus Illmus Hieronymus Wierzbowski Episcopus Tespensis, Suffraganeus Posnaniensis, Generalis tunc Administrator Dioecesis, pro officii potestate, supremam consecrando aedificio impositurus manum. Grato accepit animo optimus Antistes delatum sibi munus, memorataq. die, singulari promptitudine, in magna populi frequentia, Ecclesiam hanc, quae post 59 sua manu jam ante consecratas, sexagesima consecranda sibi obtigerat, solenni ritu dedicavit. Consecrata sunt verò tria peculiariter altaria, majus et duo collateralia, Sanctae Crucis et Virginis Beatissimae, singulisq. sacra Divorum Martyrum imposita lipsana: Majori quidem arae SS Dionisii et Vitalis. Altari Sanctae Crucis, Sanctorum Hermetis et Viti, tandem Altari Virginis Deiparae SS Simplicii et Lucii. Anniversarius Dedicationis dies ab eodem Illmo Episcopo assignatus, Dominicâ proximâ post Festum S. Lucae Evangelistae. Absoluta in Templo multum laboriosa devotione, Illmus Suffraganeus, cum aliquot è Clero hospitibus Religiosâ exceptus est mensâ. Prandio finito R.P. Rector facta gratiarumactione et valedictione Illmo Episcopo, designatoq. in suum locum ViceRectore R.P. Francisco Poninski Theologiae Scholasticae Professore, hac ipsa die ad Provincialem Congregationem Jaroslaviae in Collegio B.V. Mariae celebrandam 11 Octobris, iter aggressus est, cum duobus insuper è Collegio Patribus; tertius enim qui de jure ad idem pertinebat Comitium R.P. Stanislaus Brzeczynski propter valetudinis debilitatem, viarumq. incommoda, ab itinere se excusavit. Non fuerat sanè in rem Collegii tam ancipiti rerum statu, suo destitui Praeside, cujus exercita tot adversis solertia, inter gravissima armorum pericula, extremasq. calamitates, à quibus jam annis Provinciam hanc vastantes, immune ab ultima stetit ruina. Crevit verò futurorum timor periculorum, ubi nuntiatum fuerat reditum R.P. Rectoris, nisi post aliquot menses non sperandum, eò quòd suffragiis Congregatorum Patrum, Primus Elector destinatus esset Romam pro Generali Congregatione, quae vitâ functo A.R.P. Thyrso Gonzalez, decimâ sextâ Januarii anni insequentis cogenda fuerat, in ordine ad eligendum Supremum Societatis Moderatorem. Quanquam nec ex parte R.P. ViceRectoris (qui etiam approbatione R.P. Provincialis in eodem munere confirmatus est) quidquam industriae ac sollicitudinis defuit, quod ad conservationem rei domesticae videretur.

Ecclesia nostra consecratur.

Et hactenus quidem, utcunq. tranquillum tenebat cursum, Collegium; jam quae rerum nostrarum vicissitudo est; imminens tempestas, non uno nec levi motu, domesticam concussit quietem. Atq. inprimis vix Civitate digressus est R.P. Rector, eâdem planè horâ submissi à Commendante apparitores, qui tabula Collegii lustrarent, abducturi si quos ibi reperirent equos; ad pagos ex Sieciechowski parte expedito (ut vocant) paletta quibus annona pro praesidiariis, pabulum pro equis, in ea exigebatur quantitate, cui extradendo, nulla ratione pagi illi sufficiebant. Cum verò levamen aliquot desolatis imploraremus bonis, homo asperi ingenii et (quod fons omnium malorum extiterat) perperam à malevolis de Collegio informatus, magis irritabatur ita, ut graviora etiam in dies minaretur, et imponeret. Quare, cùm nec precibus, nec quotidianis muneribus quidquam proficeremus, recurrimus cum supplicibus ad Generalem Commissarium Adlerstein in castris tunc agentem, remedium aliquod postulaturi. Exposito negotii statu obtinuimus literas, quibus Commendantem acrius objurgabat, quòd supra modum, imò etiam contra expressum mandatum, quo sibi praecipiebatur, ne plus ex singulis fumis annonae exigeret, quàm quod duobus imperialibus aestimandum esset, nostros gravaret pagos. Solatium aliquod ab illa nos epistola recepturos existimavimus; verùm omnia evenêre contraria. Irritamentum exulcerati animi fuerat, quod remedium fore sperabatur. Vix perlegerat literas, furore accensus, ac minarum spirans, ex nunc 20 armatos Piotrovum expedit, pecora omnia inde abigi imperat; ad hoc per Patrem, a quo porrecta sibi fuerat epistola, istud nuntiandum R.P. ViceRectori praecipit, quatenus primo sequentis diei mane, ex singulis fumis quini imperiales sibi numerarentur, sub interminatione gravissimae militaris executionis, etiam ad Collegium mittendae, nisi punctualiter mandato suo fuerit obtemperatum. Quid contra armatum furorem ageretur, nihil occurrebat. Numeratur summa, quae exigebatur, ut graviora pericula Collegio imminentia, pretio illo interim redimerentur. Prospiciendo tamen ulterioribus incommodis, iterato non jam ad Generalem Commissarium, cui nulla in militem jurisdictio conveniebat, et authoritas exigui momenti: sed ad supremum Castrorum Generalem Reinschold, penes quem tunc summa rei militaris fuerat, recurrimus. Agnovit injustam Collegii vexationem Generalis, atq. è sua Cancellaria extradi litteras jussit, quibus severè Commendantem admonuit, ne plus à Collegio ex singulis exigeret fumis, quàm quòd sibi praescriptum fuerat, binos scilicet imperiales in mensem; quare id quod supra acceperat, aut ex nunc restitueret, aut pro sequentibus connumeraret mensibus. Adjecit insuper pro nostra cautela, non satis circumspectè nos ante egisse, quòd alius Commissarii contenti literis, suas non obtinuerimus, sine quibus illae nullum habere momentum poterant. Dui inter spem et metum fluctuabatur, an mandatum illud Generalis esset reddendum Commendanti, sed ab ipsis Sueticis Officialibus, quos addictiores nobis habuimus, admoniti sumus, ne in reddendo cunctaremur. Quare captatâ hominis benevolentia, cum omni circumspectione ad ea, quibus utcunq. jam pacatus irritaretur animus, exhibetur per unum è Patribus Commendanti, Generalis mandatum, volante (ut vocant) sigillo munitum. Illud ubi relegit, quanquam in sinu non leviter indignaretur, durum tamen fuerat contra potestatem calcitrare; appromisit in omnibus se illi obtemperaturum, id quod etiam ipse exhibuit effectu, jamq. ab eo tempore, mitiùs nobiscum agere, nec pauca propensioris animi testimonia exhibere coepit. Addidit autem non leve momentum, sincerae nobiscum in posterum reconciliationi, commendatio specialis, Serenissimae Neo-Coronatae, nec non Principis Matris Serenissimi Stanislai circa medium Novembris, hac Stetinum transeuntium, a quibus suo favori, Collegium istud singulariter insinuabatur, ita, ut in alium planè hominem mutatus ab illo, qualis ab initio fuerat, deinceps videretur.

Commendantis Suetici in nostros furor.

Favor Serenissimae Reginae.

Mensis October memorabilis Poloniae extitit, inauguratione Novi Regis, Serenissimi Stanislai Primi, quae Varsaviae instituta est, Regium diadema consuetis ceremoniis Principi imponente Archiepiscopo Leopoliensi, approbante Regni Primate, Cardinali Michaële Radziejowski, absente, tum propter alia obstacula, tum praesertim propter fractam valetudinem, ex qua etiam non tam multo post, supremum diem obivit Gedani.

Serenissimus Stanislaus Coronatur Varsaviae.

Die 14 Novembris, in quam Festum B. Stanislai inciderat, solennem 4 Votorum Professionem in manibus R.P.V. Rectoris nuncupavit P. Joannes Stadler. Eodem mense tumulo templi nostri illata defuncta Filia septem annorum Illustrissimi Gembicki Castellanidae Plocensis, cujus inter alia singularis in nos propensionis argumenta, illud quoq. hoc anno extitit, quod in gravissimis temporum circumstantiis, summam duorum millium tynfonum, absq. ullo census persolvendi onere, Collegio mutuam dederit, sola debiti recognitione, manu R.P.V. Rectoris inscribenda contentus.

Professio 4 Votorum emittitur à P. Stadler.

Castra Rehnscheldiana, quae integro autumno ad Zbąszyn subsistebant, sub initium Decembris, campo tandem excesserunt, in vicinia Posnaniae, ex hac fluvii parte, hybernas stationes habitura. Haec exercitus collocatio, multa et gravia traxit in pagos Collegii incommoda. Inprimis verò Szrzorcensia bona, quae superiore anno, admirabili Divina Providentia, magna ex parte, a contributionibus immunia extiterant, primum sustinuerunt impetum. Jussi sumus a Commissariis producere quietationes antecedentes, ex quibus de numero fumorum acciperetur informatio; has cùm nullas ha

beremus deprehensum est, errore quodam contigisse, quod Pagi illi, nulli Legioni fuerint assignati. Ex nunc itaque jubemur pro singulis fumis, senos persolvere imperiales solidos, idque numero fumorum computato juxta Tariffam anni 1620, secundum cujus Tariffæ calculum, in dictis bonis numerantur fumi. proinde imperiales solidi debebant exsolvi. n. Nox cæteri omnes Pagi diversis assignantur Cohortibus, diversas diversorum Colonellorum arbitrio, pensiones ministraturi. Quamvis verò non leve incommodum pertulerint bona Siekirecensis partis, eò quod aliquot milliarium spatio, distantibus legionibus, devehere victualia cogerentur, difficillimis, præsertim ineunte hyeme, viis, hoc tamen soleti adhuc fuerat, quod in nullo Pago statio militi obtigerit, quæ sane extremis afflixit desolationibus adjacentia vicinorum bona, quibus ea sors non contigerat. Jezierzenses Pagi mensæ ipsius Generalis, Konarzevis subsistentis obtigerant, eoque titulo saltem a prætereuntium ultro citroque militum gravaminibus, secura fuerant. Satis tamen grave etiam hæc bona sustinuere pondus. Per duos enim circiter menses omnia necessaria pro culina Generalis ministrabant, quorum juxta Procuratoris rationes hæc inventa est summa. Datæ sunt Gallinæ 695 Galli Indici 31 anseres 104 butyri vasa 38 Caseorum sexagenæ 20. Boves et vaccæ oves, 70 Dolia cerevisiæ 105 Cremati Ollæ 119 Ut tamen aliquid levaminis in futurum obtineretur, quidquid industriæ cogitari poterat, in eam rem adhibitum est. Impetratæ litteræ Commendatoriæ ad Serenissima Matre Regis Stanislai ad Generalem: oblatus eidem pro Festo Nativitatis Xi cervus raræ magnitudinis, in Mechlinensibus silvis glande trajectus a nostris: his mediis illud impetratum, quod condonati essent nobis boves in posterum ex fumis extradendi. Jam difficili rerum statu alebat Collegium Personas in universum 58. Ex quibus Sacerdotes 26 Scholastici 21 [Magistri 3] Coadjutores Temporales 11 Divinâ Providentiâ et solicita charitate, omnia in rebus victus et amictus, non solùm ad sufficientiam, sed ad commoditatem etiam subministrante.

Contributio in Suecos.

Annus 1706

Sub A R P Generali Michaële Angelo Tamburino
R P Provinciali Stanislao Wdziemborski
R P Rectore Adriano Maskowski

Electio A R P. Michaëlis Angeli Tamburini in Societatis Generalem.

Anni ineuntis exordia, novi illiusque Supremi in Societate Magistratûs auspicia memoranda extitere. In Congregatione enim Generali, quæ 16 Januarii in Urbe fuerat inchoata, electus est in Generalem A R P Michael Angelus Tamburinus qui ante fata adhuc A R P Thyrsi Gonzalez pro fuit Societati Vicarius anno uno et dimidio. Die 12 Januarii accepit Collegium hospitem R P Joannem Krajewski Vice Provincialem, qui post instituta cum Scholasticis colloquia, duabus hebdomadis in eo mora lus, Cracoviam, unde venerat, abiit. Sub idem tempus in Siekircensibus silvis, jussio R P V Rectore a M D[omi]no Zawisza Possessore bonorum ~~Gardeino~~ [Klesczewo] pro restauratione Ecclesiæ illius loci excissæ quercus 11, ex quibus septem a nobis in itinere interceptæ, septem devectæ ad Pagum ~~Gardeino~~ [Klesczewo]. Adiit post, R P Vice Rectorem M D Zawisza, postulans donari sibi acceptas arbores: facta spes donationis sed ea conditione, ut prius magno nostro præjudicio abductæ quercus devehantur ad aliquod juris nostri prædium. Huic conditioni cum satisfactum non esset, post reditum R P Rectoris, quoniam in præsenti rerum turbine, nihil jure agi poterat immediatè contra M D Zawisza, Commendario ~~Gardeinensi~~ [Klesczoviensi] ab officio Posnaniensi extradita inhibitio, ne acceptæ quercus ædificio Ecclesiæ applicarentur: citationes item aliquot ejusdem ad officium, quibus nihil pensi habitis, acceptæ violenter quercus, applicatæ sunt fundamentis Ecclesiæ. Citatus verò cum nunquam coram judicio compareret, obtenta in eum Excommunicatio, causâ ad medium Julii, præsentis anni protractâ; quam tamen integrum erit meliori tempore prosequi contra M D Zawisza principalem damni nostri authorem.

Sueci præliant cum Saxonis, Do... ad Oppidum Wschowa, ducunt in captivitate 8000 Saxonum ac Moschorum.

Circa medium Februarii, nova rerum procella majori Poloniæ incubuit. Castra Saxonica 20 et ultra millibus armatorum numerosa, quæ ab aliquot jam mensibus, ad fluvium Odram in Silesiæ finibus subsistebant, tandem solidata super fluvium glacie, intra Poloniæ limites immorârunt, supremo suo Generali Barone Daniele Schulemberg. Processit illico venientibus obviam cum suorum manu Generalis Renscholl, atque ubi ad Oppidum Wschovam ventum esset, commissum abutrinque acre certamen, in quo, fugato Equitatu Saxonico, ac notabili in peditatu, quà parte præsertim Moschis constabat, edita strage, victoria in partes Sueticas inclinavit: sed quæ admodum gravis tum Palatinatui Posnaniensi, tum præcipuè Civitati et Collegio extitit. Abducta etenim, octo circiter captivorum millia, satis aliàs numerosam extraneorum copiam nostro saturandam pane auxerunt. Post duarum hebdomadarum circa locum prælii moram, Suecus cum nihil sibi jam a Saxonia timeret, hybernam stationem in alteram fluminis ripam transfert, captivorum [vero] duobus

millibus, nec non plurimis suorum, quà ex vulneribus, quià aliis de causis infirmantibus, intra Civitatem collocatis: unde nec Religiosis domibus, vacuas esse a miserabili captivorum colluvie licuit, ita ut apud ipsos P.P. Dominicanos, intra Claustri septa, quingenti et amplius fuissent collocati Saxones. Nostra quidem domus ab ejusmodi inquilinis libera fuerat, pagi tamen Siekircenses, tum a captivis tum ab ipsis Suecis majora longè sustinuerint incommoda et damna. Hos inter tumultus exeunte Februario, ipsa die 20 Mensis, reducem à Romano itinere R P Rectorem salutavit Collegium. In urbem illi pervenire non licuit, propter pestiferæ luis famam, anno hoc in nonnullis Russiæ partibus graviter desævientis, cujus mali rumore per exteros vulgato, in Statu Veneto, una cum R P Provinciali, ac secundo Patre Electore, a prosequendo itinere prohibitus est, propter vanum contagionis timorem. Decreto quidem Senatûs Veneti permissum fuerat ut in arce Chiusa, Patres moram agerent 20 dierum spatio, post quod tempus, siquidem nullum pestis indicium in ipsis compareret, liberum haberent passum per ditionis illius loca. Moram hanc cùm nimis longam, multùmque gravem judicaret R P Provincialis: ex aliâ verò parte, cùm non nisi post bene inchoatam Congregationem, adeoque post Electionem Summi Præsidis, esset spes perveniendi Romam, si temporis præfixi expectaretur terminus, censuit potius sine mora in Provinciam redeundum.

Captivis quingentis in Cœnobio P.P. Dominicanorum statio assignatur.

Ineunte Martio, cùm certis nuntiis accepissemus, propediem adfuturum Posnaniæ Generalem Rehnschold, deliberatum est an et qua ratione salutandus esset? rebus maturè perpensis, visum est, adhibitis quàm diligentissimè cautelis, ad ea, quæ adversæ parti, alicujus prudentis offensæ occasionem præbere possent, salutandum omnino esse, idque non solùm per Scholasticam juventutem, sed etiam per aliquem è nostris. Tum quia ex omissione illius officii, præsertim in recenti insignis Victoriæ circumstantia, poterat timeri offensa illius; cujus favor apprimè tunc necessarius rei nostræ judicabatur. Tum quia ab aliis Collegiis idem jam aliàs fuerat sibi exhibitum. Die 11 Martii sub vesperam comparet in Civitate hospes Generalis, mox sequenti die, numerosâ officialium frequentiâ comitatus descendit ad Templum nostrum, sub ipsum tempus Sacri Edi, quod à R P Rectore de more fiebat: ubi exspectato fine Sacrificii salutatur breviter a R P Rectore, atque intra Collegium invitatur: annuit libenter invitationi, ac ad Refectorium deducitur, ibi imprimis a P Professore Rhetorices Oratoria salutatione, post à Scholastica juventute officiosis plausibus exceptus, singulari animi sui contentatione. Ita et humanitati nostræ satisfactum, et quod præcipuum, et quod præcipuum, odia adversæ partis evitata. Nam imprimis nemo alius præter Suecos salutationibus aderat; deinde res in privato peracta angulo, incurrere in vulgi oculos, non tam facilè poterat, quàm si in templo aut alio magis patente loco fieri debuisset. Post finitas salutationes brevi Suarzedzum se confert Generalis, novam ibidem auspicaturus stationem. Interim legiones quoque suæ subsequebantur ex eadem fluminis parte, stativa prosecuturæ. Hinc factum, ut nullus partis Siekircensis Pagus milite vacuus extiterit. In ipso Siekircensi Prædio et adjacente ejusdem nominis pagello, quingenti captivi Galli sunt collocati, ita volente ipso Generali, ut ipse post dicebat, sive quod eos, ut pote Catholicos, bonorum spiritualium aliquam rationem habituros speraret; sive ut nostris majorem præberet commoditatem obsequii spiritualis in animas ipsorum erogandi. Quantùm quidem ad spirituale obsequium, hoc ex parte nostra minimè defuit, opportunè degentibus tunc in Collegio, duobus Patribus Gallicæ linguæ gnaris, qui sub tempus Paschale, omnium animos pœnitentiâ expiatos sacra refecerunt synaxi, non pœnitenda sanè opera circa homines, ex quibus pars longè major, ab aliquot jam annis, ob defectum Sacerdotis, sui idiomatis periti, omni Sacramentorum usu carebat. Quantùm tamen ad Temporalis rei statum, hoc sanè nullum a licentiosis, et suopte ingenio insolentioribus turbæ militaris homuncionibus habetur. Multa et gravia damna tulit ab ipsis prædium illud, quæ tamen multò leviora erant, in comparatione damnorum, quæ per alios passim pagos, dispositus miles Sveticus inferebat. Fuit porro dispositus in eo numero, cui capiendo rusticorum tuguria sufficere poterant, ita ut in una casa, 20. 30 & pro capacitate loci hospitarentur. Stativa hæc cœperant à die 11 Martii, tenuerunt autem ad 22 Maji: unde pronum est inferre, quantum detrimenti bona illa, per istud tulerint tempus. Juxta Procuratoris calculum, boves, vaccæ, et juvenci mactati 200. oves Porci Vituli, porcelli, anseres, cæteraque volatilia domestica, quot quot inveniri poterant: frumentum omne, etiam quod defossum intra terram, aut alia ratione absconditum latebat, partim in victualia militi, partim in pabulum equis cessit: sepes hortorum, imò domus etiam aliquæ, in usus foci direptæ. Adhæc fortuito incendia ex incautè tractato a militibus igne subsecuta, gravia admodum ediderunt damna. Imprimis verò exustum Mechlini Braxatorium, cum omnibus vasis et supellectili. Siekirecii item braxatorium; in quo tamen a multis jam annis cerevisia non braxabatur, sed non nisi ab aliquot subditis incolebatur, una cum vicino opilionis horreo. Insuper aula prædialis Wydzierzeviciis, et domus subditi Govarzoviæ. Insuper stagna piscibus evacuata, aggeres stagnorum dissecti; equi non pauci per vim accepti; plures verò inediâ et continuis itineribus confecti; non nulli è subditis vulnerati, plures dilapsi, gravissima non ferentes onera, quibus quotidie opprimebantur. Has inter calamitates, recurrebat sæpius R P

Generalissimus Rehnscholt salutatus.

Gravissima à Suecis oppressio Pagorum.

Rector

Rector ad Generalem Rehnschold, quà verbis, qua scripto, damna Pagorum exponens, audiebatur semper cum omni humanitatis officio, et benevolis promissionibus, quas tamen nullum planè sequebatur levamen, præter illud quod ab extradendorum in singulos menses boum onere ex Jeziorcensi parte nos liberaverit: diminutus item fumorum numerus, ita ut in omnibus illius partis bonis, inclusivè cum Debinensi prædii duobus Pagis, non nisi 42 fumos authentico scripto Commissarius recognoverit. Diminutio tamen hæc 35 aureis constabat. Inter alia media quibus in conciliando rebus nostris favore Generalis Rehnschold studebatur, fuit etiam Semiolum quoddam ex serico eleganter elaboratum, quod a R. P. Rectore oblatum Illustrissimo Consorti Generalis, spe obtinendi per eam, efficacis apud maritum respectus. Grato acceptavit munus animo, atque proximè, loco gratiæ, quo sperabatur, officiosa Templi nostri visitatione cum aliquot Matronis et Militiæ officialibus, ac minùs optabili tum Refectorii, tum Cubiculi R. P. Rectoris aditu, donarium remunerata est.

Regalisatio Svetica ridicula.

Piscatio supra cæteros annos successum habuisse poterat, tum quòd sagena duplex ad eum finem comparata est; tum quod constans gelu opportunitatem piscandi faceret: et respondisset profectò spei eventus, nisi hybernantium circumquaque castrorum vicinia labori incommodâsset. Postulata imprimis est ab ipso Generali una sagena pro Swarzędzensibus stagnis, appromissa ex æquo piscium partitio, verùm post diuturnum laborem, vilissimâ prædæ portione, et interdum vix sustentationi operariorum sufficiente, contenti esse debuimus. Ex Jeziorcensi tamen parte labor meliorem habuit successum. Nam ultra id, quod quotidiano per quadragesimam usu absumptum est, tantum selectorum piscium superfuerat, quantum pro stagnis illius partis ad implendis sufficere judicabatur. Sed invidet eam sortem Collegio, iniquorum quorundam malitia. Ipso enim Paschatis pervigilio irruperat in Jeziorcense prædium recens conducti parumque disciplinati militis cohors, hæc inter plaraque damna illi loco illata, etiam pisces dictos in artefacto reti sub glacie adhuc majoris stagni ad Stupia conclusos deprædata est, parvo quidem suo commodo: major enim piscium pars dum rete ab ignaris extraheretur, in aquas dilapsa; magno tamen Collegii incommodo et damno, paratam in futurum tempus pro diebus jejunii provisionem amittentis. Suspicio fuerat, seu potiùs justa præsumptio rem totam fuisse factam suasu et instinctu unius è nostris Parochi, id quod palam milites ipsi fatebantur, cùm ex mandato suorum officialium, pro injuriis tam realibus quàm personalibus, Patrem Procuratorem deprecarentur.

Piscatio.

Pisces auferunt ab indisciplinato milite.

Castris e vicinia Posnaniensi die 22 Maji abscedentibus, tempus respirandi nactos nos fuisse arbitrabamur. Sed fefellit animos opinio. Extunc a Commissario Generalis literæ expeditæ sunt, quibus ex omnibus Pagis, nova eaque multùm gravis in victualibus pensio contribui jubebatur: illi exsolvendo cùm desolata bona nostra non essent, fit recursus ad Generalem Kozmini subsistentem, cum supplicibus; quatenus extremæ bonorum desolationis rationem haberet. Factumque sed beneficio, quòd facilem in vota reperimus: medietatem enim omnium rerum nobis condonavit; alteram tamen medietatem contribui mandavit, in eamque rem favorabiles literas, patente sigillo ad Commissarium dedit. Interea omni studio adlaborabatur, ut illata Pagis damna, quocunque possent modo, resarcirentur. Intermissa seminatio verna instantissimè urgebatur, pro autumnali etiam seminatione, agri excolebantur, exusta ædificia reædificabantur. præsertim verò Braxatorium Mechlinense et aula Wydrzierzewicensis a fundamentis de novo erecta: in Stupia item, et Januszewice, plura subditorum horrea turbinis impetu eversa, restaurata sunt. Ne autem hoc in labore prosequendo subditi impedirentur, in Collegio panis et cerevisia, præsidiario militi pro annona parabatur; reliqua verò quæ ex Pagis convehi deberent, pecuniâ redimebantur. Non deerant tamen impedimenta, quæ desudantem circa agros operam nostrorum, interturbarent. Ex instinctu enim quorundam Civium (ut pronum conjectari fuit) imposita nobis restauratio fossæ, ac valli intra Collegii aream; duabus et ultra hebdomadis, subditorum laborem ab agricultura distraxit.

Contributio nova.

Patres Dominicani, quasi amicitiæ anno superiore nobiscum renovatæ pertæsi, dissolvendæ ansam quærendo, ad principium Martii, nostros Professores Theologiæ invitarent pro Lunari actu oppugnando, id, ut cùm toties jam ante nostri recusassent, reposuerunt se quoque actus nostros adire non posse ea siquidem lege, a suis superioribus, ystud officii injunctum sibi esse, si vicissim nostri, Theses suas qualescunque etiam illas, quæ pro Lunaribus proponuntur actibus, oppugnandas acceptarent. Hac responsione nihil obstante unus nostrorum Theologiæ Professor, cum tempus majorum actuum instaret, convenit ipsum Priorem Conventûs, virum satis nobis addictum, eumque ut pote in Theologica Cathedra bene versatum invitat, ad oppugnandas nostras ex universa Theologia. Annuit non difficulter postulatis: quo facto, non erat fas Lectoribus postulatis quoque simile recusare officium; unde ipsi quoque exemplo superioris sui invitati, easdem Theses acceptarunt; atque in ultimo actu, contra eas argumentati sunt. matutino quidem tempore Lectores, pomeridiano autem Prior. Actus porro dicti præter solitum accelerati sunt, tum propter imminentia pericula, de quibus ex diversis passim nuntiabatur locis, tum quia aliqua proximè sperabatur in Collegio mutatio, quâ subsecutâ non ita commodè actus illi institui possent. Quare 1mus habitus est à P. Łatay 1. Junii, 2dus et ultimus à P. Obrębski 11 ejusdem. Scholastici 3tii anni Theologi, scilicet FF. Chmielecki, Olesiewicz, Gwozdziewski, Poklękowski, Żywocki, majoribus ordinibus initiati sunt intra Octavam Corporis Xti. Tres priores die B. Aloysii in nostro templo primas litârunt hostias, quartus in Parochiali S. Magdalenæ Ecclesiâ, festo S. Joannis Baptistæ, ibidem quintus quoque invitante loci Præposito celebraturus fuerat Dominicâ 6tâ post Pentecosten, qua die solennis introducti patrocinii S. Indiarum Apostoli memoria ibi agitur; verùm Collegiatæ Ecclesiæ Canonici contrarium Præposito sentientes, unum è medio sui submisere, qui eas conditiones celebraturo præscriberet, quas convenientiùs fuerat non acceptare, quàm postulatis Spositi deferre. Mutato itaque consilio etiam ille in domestico templo suas celebravit primitias festo Visitationis B. V. MARIÆ.

Lectores Dominicani moliunt turbas, irrito successu.

Plusquam triennio inter exquisitas calamitates strenuè exacto R. P. Adrianus Miaskowski 5. Augusti valedixit regimini, translata muneris et negotiorum mole in R. P. Martinum Rakowski. Prædecessor Cracoviam abiit, præficiendus Collegio SS. Petri et Pauli. A solitis exactionibus nec hoc mense vacare licuit, quas extra fines Poloniæ mota Suecorum castra in Saxoniam non abduxere. Oratio in Renovatione Studiorum de more habita est. Numerus studiosorum sensim à 1ma Septembris crevit in annum ad 724, quos hac tempestate inter multos recensemus totius anni discipulos ter dispersos metu periculorum. R. P. Concionator Andreas Lewicz dictione zelosa super Evangelium: ecce defunctus efferebatur impulit civitatem ad insolitum in urbe Christianæ pietatis incrementum. Hinc 21 Septembris sub vesperam primores urbis ossa mortuorum sparsim per cœmeterium etiam canibus obvia, humilitate laudabili collegerunt, præmissa ab uno è nostris Patribus cohortatione præsenti accommodata virtuti. In crastino artificiosa pietate surrexerunt in tumulum ossa concinnè adaptata in medio templi Parochialis augente insperatam charitatem solemni missa et concione. Ossarium hoc tumbæ impositum prægrandi prope januam templi Collegium prospectantem præparato infossum est sepulchro, quod nè in fundo muris nostris vicino attentaretur, vetuit Illmus Administrator Hieronymus Wierzbowski, interdicta continuatione incepti ausus Præposito Ecclesiæ nobis parum addicto ob notas supra offensiones.

R. P. Martinus Rakowski Rector inauguratus.

P. Lewicz Author Exequiarum Ossibus inhumatis factarum.

Accepta non levi clade 29. Octobris ad Calissium ab exercitu Polono, Saxonico, Moschovitico, et Calmucensi divisio Suecorum relicta cum Generali Mardefeld, post Generalem et plurimos captivatos ac cæsos, ad nostram dispersa est molestiam. Cruentus à recenti strage miles inundavit Posnaniam. Collegii porta duos supra triginta saucios pati debuit ad longum hospitale, deformata turpiter cum nausea intolerabili adventantium ad nos hospitum. Ne plures domi nostræ stabularentur infirmi, R. P. Rectoris obstitit efficacia. Hic quatuor mortui, reliquis ægre vitam revocantibus cum diuturno in lignis detrimento, quæ ne deessent commoditati, urgebat ardenter Generalis Crassau è prælio transfuga, detrimentum rapinâ in castris amissa exquisita exactione compensaturus. F. Jacobus Krzemykowski Scholasticus Calissium expeditus jussu Commendantis Gedeonis Tok, notitiam rei pleniorem oculatus testis attulit, sed à Calmucensium infesta manu nudatus, unà cum duobus Patribus Reformatis in aula Nobilis cujusdam, parem, majoremque deflentis deprædationem, rediit nudipes per devia, tandemque comparuit composita utrinque lacerna malè togatus. 1ma Novembris studiosi è scholis dilapsi metu obsidionis Pinani. Nostri quoque Theologi Jeziorcios abiere, alii aliò. Professores tamen inferiorum Scholarum domi se continuerunt unà cum Præside Collegii, qui solatio foret utrinque metuentibus. Poloni milites servati fortunâ meliori per majorem dispersi Poloniam etiam villas Collegii oppugnârunt. Die B. Stanislai solemnis pax in Saxonia, inter Augustum, Carolum, Stanislaumque Reges promulgata, nostros revocavit Posnaniam, cùm retrocessisset tempestas. Captivi è Litvanica urbem impleverunt, quibus alimoniâ ex novissima R. P. Rectoris charitate subventum est.

Laus militis Poloni.

Pacta inter Reges.

Immaculatæ Conceptionis festivitas usitata solemnitate non illuxit ob sodalium absentiam. Ingens turbo Collegium atroci suspicione commovit, longiùsque impugnavit. Præcipuus Officialis captivus Bierza post deditionem Posnaniâ elapsus, arestum fidei violatæ vindex fugâ præmeditata

meditatâ evasit. Hinc nobis imponi fati conscientiam commendans, ex eo, quòd sæpius nostris colloqueretur, proinde acriùs instat, ut transfuga stateretur per apertam templi portam diluculo dimissus, quod nisi fieret, abductionem Collegialium Stokolmiam comminatur. Importunos et sæpe repetitos impostura et vindicta fluctus sopiere munuscula, et seriò modesta objectorum refutatio. 24 Decembris in Saxonia in gratiam Serenissimi Poloniarum Regis Stanislai Rex Carolus omnes è Clero captivos fecit liberos.

Annus 1707.

Sub A. R. P. Generali Michaële Angelo Tamburino
R. P. Provinciali Stanislao Odziemborski
R. P. Rectore Martino Rakowski.

Posnaniæ triumphârunt Sueci de pace conclusa Augustum inter, et Carolum. 2da Februarii P. Andreas Kołaczkowski Professorum 4. Votorum numero adscriptus est. Circa 21 Martii Scholas iterum vicinus, et vanus timor dispersit, postquam infesta Moschorum divisio, Calmucensiumque horror comparuit ad Suarzendziam. Scholastici 3tii anni Theologi, scilicet CC. Adamus Malczewski, Albertus Dobieszewski, Georgius Kieychel, Jacobus Krzemykowski, Stanislaus Urbani, Stephanus Pakowski; Majoribus ordinibus initiati sunt ad finem Maji, intra verò Junium primas DEO hostias litaverunt. Circa finem anni Scholastici defenderunt Actus Magnos P. Michaël Chmielecki, P. Josephus Gwozdziewski. Sub idem tempus fossa extra murum dilatata operâ Suecorum, quibus enumeravit Collegium fl. 1233,, 10. In Julio, cùm præpararentur examini inferiores Scholæ, jam tertiò dilabuntur, quòd novo assultu Moschorum colluvies adventare apud exterritos sæpiùs, facilè crederetur; cæterùm in villas Calmucensium rabies plus audebat. In medio Augusti crevit, et decrevit tempestas, redeunte in Sua Septemtrione.

Elapso exinde mense Augusto, auspicia Scholastici Anni solito tempore suus inchoavit Orator. Aderant tot agminibus studiosi, quot superandæ exspectationi suffecerant, crescenteque latiùs literarum fama, Palæstritarum quoque numerus accrescebat. 29 Septembris vixit P. Stanislaus Brzezynski Ex Provincialis et Vice Provincialis sub Augusti II coronationem. Rexit Collegium Bydgostiæ, Jaroslaviæ ad Beatissimam Virginem pluribus annis, ac demum Posnaniæ, ubi operosa liberalitate fabricam templi lentiùs ascendentem ad finem deduxit. Magnatibus in amore fuit, ipsique Mariæ Reginæ Casimiri Joannis III. Eodem mense lustralibus aquis tinctus est Saracenus quispiam, ex legione Janrigerorum Serenissimi Stanislai Imi Poloniarum Regis, cui ad Sacrum fontem, cùm lavaretur, assistebant Patrini Perillustris Capitaneus Ravensis D. Grudzinski, et M. D. Catharina Wtorowska, eo splendore, quem novellæ in Cathechumeno fidei natalis merebatur. Accurrere ad spectaculum Gothi, templumque impleverunt, aliis ad Turcicos habitus assistentium Cathechumeno commilitonum, aliis ad Orthodoxæ Ecclesiæ ritum intentissimis. Sub idem tempus à R. P. Rectore collatus Canonicatus Præposito S. Martini ad instantiam Illustrissimi Administratoris Hieronymi Wierzbowski. Nimirum nunc tantùm uti capimus jure, quod nostrum fecit Starkoviana fundatio in summo.

Mors Patris Stanislai Brzezynski.

R. P. Rector Canonicatum confert Præposito S. Martini, jure à D. Starkowiecki Collo. collato.

Gravis hic etiam annus bonis Collegii fuit, præter enim menstruas pensiones circiter 16461 hoc anno extortas, illud etiam ad infortuniorum cumulum accessit, quòd post reditum è Saxonia Serenissimi Caroli Regis Sueciæ, longioremque in Majori Polonia moram inundaverint per villas regimina, prædiorum granaria, horreaque diripuerint, atque aliquot casas in villa dicta Piotrowo incineraverint, mox verò etiam in Collegio quietis esse non licuerit, cùm Præsidi etiam, à vesano Centurione Bastwiez militare intentaret arestum, ea rabie, ut vix mitigari potuerit à Centurione Gruben, qui aliquot mensibus stationem in superiori Curritorio, pacatissima (si portæ propandum excipias) trahebat quiete. Mox tamen erupit sopitum nonnihil incendium, extortis enim quatuor millibus florenorum à Collegio, 12m adhuc exigebant, utque efficaciùs extorsissent,

4000 flor. dantur Suecis.

P. Hyacinthum Dedynski secum ex pago abduxerunt, ac per viciniam circumvexerunt sub custodia, omnia propè passum, nisi quòd non fame premeretur, communi enim cum officialibus mensâ, passim, quantùm locus pati poterat, adsciscebatur. Liberatus tamen per DEI gratiam, Collegioque redditus, à quo mensibus quatuor abesse est coactus. Accessit, quòd stabulis etiam, et quibuscunque pecuariis militaris licentia non parcebat. Quingentæ pecudes ex omnibus pagis, suis armentis ereptæ, oves mille. Hoc anno P. Christophorus Pocitowski S. J. ex Provincia Litvana Pyzdris in Missione Castrensi Theologus Celsissimi Principis Dimitrij Wisniowiecki obyt, Sepultusque in Templo nostro.

P. Hyacinthus Dedynski Procurator Pagorum detinetur à Suecis.

Mors unius è Nostris ad Aulam Wisniowiecki.

Annus 1708.

Sub A. R. P. Generali Michaële Angelo Tamburino
R. P. Provinciali Stanislao Odziemborski
R. P. Rectore Martino Rakowski.

Pluribus inter tot mala exactis mensibus, haud mitior successit Januarius, ac Februarius; repentè enim excubiæ conglobantur, tumultuantur sine freno cohortes, ipsa etiam heretica devotio intra religiosa septa personans aures ferit, feriretque diutiùs, nisi Præses inquietudinem Collegii officiosis artibus avertisset. Tranquillior aliquantum fuit Quadragesima, verùm mox mutato Gubernatore, quia Excellentissimo Generali Crasseau Provinciam sui muneris deponente, deteriora super nos, à Germanorum militum fæce emersere, præter enim solitas calamitates, arcebatur ad incarceratos aditus, publica sub excubias plectendus damnatione, ac fert circumforaneus hic rumor increbuit à Serenissimo Carolo decretoriam expectari sententiam circa nostram, ut ajebat, in differendo nervo bellico pertinaciam. Majus horribilius in nos detonuit, ac post tonitrua fulmineos etiam parturiit ictus, Prædicator enim quispiam Centurionis uxore stipatus compendiosam viam per aream, et portam Collegii suscepit. Nec satis erat profanum vestigium intulisse, Patrem insuper nihil tale sperantem gestatili arundine fustigavit, nullâ deprehensâ culpâ, nisi quòd obviaret. Supervolavit, qui paulò præcesserat, Centurio, et verbera concusso jam uno et altero ictu Patri superaddidit. Sol jam, quasi nefastum piaculum fugeret, in occasum vergebat; tota verò communitas, unà cum prævio sibi Præside, ex publicis Litaniis, parte se inferiori ad gradus Collegii recipiebat. Sed ubi tumultum à Gothis cieri inaudivere, quisque metu duce, retrorsum migrare est coactus. Præses tantùmmodò cum aliquot Personis inconcussæ Patris tolerantiæ in testimonium superfuit. Evaginatum derepente gladium etiam morte innocentis imbuisset Centurio, nisi qui manum in suppetias non attexit, pedes in fugam simulâsset. Impositum hinc, et crebriùs repetitum à Percussoribus contumeliosum scomma, quo consortem Centurionis lancinatam esse inter verbera repetebant. Sed commentum id erat, et semiebriæ mentis simulacrum, tam à fide humana alienum, quàm illi à Divina. Missi è vestigio ad Gubernatorem, qui rei seriem aperirent, ipse verò pro cute sua Orator Perillustrem Colonellum protunc Serenissimi Stanislai M. D. Skorzewski convenit, honorisque sui et Societatis vindicias petiit. Sed ne Leonem irritâsse noceret, silentiô rem premere, quàm Tribunali Regio-Gothico ansam præbere maluimus, præsertim cùm hora non nisi à M. D. Auditore super hoc deliberandi, et resolvendi se vel ad æterna oblivia ignominiæ, vel ad omnia aresti incommoda offerretur.

Sanguinarissimo Suecorum factum.

Castigatur noster à Sueco.

Junius et Julius non modicum pestilentiæ metum toti incussit Præsidio. Igitur pertinaci magnum ejusmodi contagioni irritamentum accersiri, si nostris liberum esset cum infirmis commercium, in nos, in clerum, ac universim in omnes Religiosos tulerunt sententiam, ne cuiquam sine libero passu à suo Auditore impetrato extra mœnia pedem efferre licuisset; atque ita, quos aperto non audebant, personato nos incluserunt ergastulo. Quanquam etiam sub arestum, fidei odiô, tractus est Pater Alemannorum Concionator, cùm enim sacra exomologesi quendam donâsset gregarium, sacerrimam verò synaxim, ut à Clero peteret, intimâsset, zelo ejusmodi Præsidiariorum Mysterum odia in se concitavit. Nec mora: versatilem cum quavis aura militis animam subornârunt, ut se inductum ad Catholicismum faterentur, Patrem verò suæ emundationi intentum, in foro captivârunt, atque ad communes damnârunt custodias. Verùm ubi Serenissimi Regis Caroli Commissarius Stetino descendit, patuit tandem mera commenta fuisse. Absolvi tamen à publicis excubiis non poterat, nisi pagellâ nomine suo munitâ fidem obsignâsset se non migraturum ex urbe, donec suprema decisio à Serenissimo

Concionator noster incarceratus à Suecis.

mo Carolo descenderit.

Quantum ad Scholas, nihil prætermissum, quod desiderari potuisset. Declamationes publicæ vix indictæ communiri poterant silentio, ne Præsidiarii personâssent Spectatores. Defensiones publicæ festivo cultu peractæ, examina minorum Classium instituta. Verbo: etiam occursans contagii metus nos ab inceptis Olympiis non deterruit.

Annus 1708

Sub Ad. R. P. Generali Michaële Angelo Tamburino.

R. P. Provinciali Adriano Miaskowski.

R. P. Rectore Martino Rakowski.

Pestis.

Ultima Augusti, interruptum Vacationum feriis, Studiorum cursum instauravit. Præmissa usitato nobis more Scholarum initiis, à Rhetorices Professore Oratoria Prolusio, cum panegirica [illegible] Gothorum mentione. Non communi, laudes Tyranni necessitate extorquente, [illegible] virtute, in grande sui documentum, hoc è in heroicum [illegible] elogium, religionem [illegible] adigente. Sub idem tempus, quia pestifera vicinas Posnaniæ villas, et oppida populabatur lues, affixa à P. Præfecto, publicis Scholarum valvis pagina, qua Nostri excolendi disciplinis monerentur, se nullatenus admittendos, nisi probatissimo vel Magistratus, v. Parochi, vel cujuspiam fidem, pro merito Nominis testimonio, ab omni pestis suspicione absolverent. Schedam reduces, ab Oratorio loco, curiosiori palpebra relegere [illegible], probaruntque solicitum Nostrum, contra contagionis pericula munimen, quod quandam, suis in arcendo, [illegible] ab Urbe malo, diligentiæ [illegible] interpretarentur. Et profecto ingeniosum id fuit, si tantum Nobis in mortis tela, sed Nostra etiam fama, adversus infensorum [illegible] propugnaculum. Si enim (quod tamen Numinis bonitas vetuerat) Studiosorum quispiam, luem secum Urbi intulisset, arcano malo oculatissimam etiam fallente vigilantiam, evidentes illi sollicitudini Nostræ characteres, facile à Nobis labem tumultuarie, et citra delectum admissorum discipulorum praecepissent.

Qua conditione Studiosi admissi ad Scholas tempore pestis.

Sæva in [illegible] in Toruneium pestilentia Posnaniensium, supra Annos superiores discipulorum [illegible] incrementum, [illegible] locorum illorum, [illegible] collectura, quos salubrior aliis aura [illegible], et respondit spei eventus. Confluebant numerosi; quin ii deerant, quos de [illegible] etiam Posnaniæ infectione, falso [illegible] fama retardaret, vulgo vicinum Posnaniæ malum, pro præsentissimo, [illegible] apud remotiores jactante. Interim fortunata illa falsitas; in [illegible] commutari veritatem, omni prohibebant conatu, qua Gothis, qua [illegible] esse [illegible] quo dicebatur arcentibus. Cribrabant Urbem ingressuri, nec nisi post [illegible] examen, nisi post probabilissima, [illegible] valetudinis argumenta mittebant in Urbem. Urbe pariter nullus permittebatur egredi, nisi se ostenta, aut à Civitatis officio, aut à Commendantis auditore, in scripto facultas dimitteret. Præter humana hæc, in proxima et velut insidiens Urbi malum remedia, Alitum etiam, à Catholica Urbe invocabant præsidium, potissimum vero Divorum Ignatii, Aloysii, Jacobi, Anastasiæ Martyrum (quorum Sacris Ecclesia Nostra [illegible] lipsanis) Rosalis ex repentini aliquoties [illegible] hostis, sollenniter magnoque populi [illegible], implorata suppetias, [illegible] olim beneficii, experientia efficaci, pietatis ejusmodi consultore. Nec irritis [illegible] suspiriis, dilatione mali; (nec enim digni fueramus, qui plene malo solveremus.) [illegible] coram indigentibus preces compensante. Dum vero supplicii mora, Nostra in Superos pietas rependitur, plectri acceleratione, Hæreticorum scelestæ Nobis insultans impietas. Præsidiarii Gothorum cohortes, densis sternuntur morbis, frequentibus, conjunctur mortibus, miti in Orthodoxo fato, ut impius suæ Pietatis derisoribus, æquius insultarent superstites, melioribusque ludibria multarent ludibriis. Volebant tamen miseri dici, cum essent Gothi, hinc severissimis, determinato etiam in transgressores poenæ cujuspiam supplicio, vetant sanatis evulgari funera, Civibus prohibitionem non laudantibus tantum, sed etiam liberalius extendentibus, quod facile prævidererent, ejusmodi rumoribus omnino repellendos ab Urbe, [illegible] Annonam, ligna, cæteraque [illegible] sibi suppeditarent subsidia, luem in populo desiderium formidine mortis repressura. Hac rerum tempestate Scientiarium minime refrixit ardor. Nam sex [illegible] Patribus, nimirum Adamo Malczewski, Alberto Dobielewski, Georgio Kreichel, Jacobo Rokosowski, Stanislao Urbani, Stephano Pakowski Philgicæ Theses [illegible] propugnatæ. Universa Logica Drammata à Rhetoribus, et Humanistis, qua publica, qua privata exhibita. Longe ii diu nobis licuit esse tam disertos. Cum enim tam præsentissimis Gothorum exitiis, aris Orthodoxi Urbis inquilini, contra subita mortis damna præmuniri viderent, in Orthodoxos etiam, lenta quin nec violenta, vel ideo ambigua, ejaculatur identidem mortes contagio. Exiguo extinctorum numero, longe major pestem grassari Posnaniæ, circumquaque percrebuit rumor, quo territus Parentum amor, adeo celer, suos è Scholis revocavit Filios, ut plenissima nuper Musarum domicilia, [illegible] Civium inhabitaret proles; tenebat enim adhuc istos incertulo mali multis paucorum illorum funus à contagionis opinione, [illegible] dicantibus. Abeuntibus tamen, qui vellent prohibuit perspicacissimo sane consilio R. P. Rector abitum dissuasisse, ne Nostra persuasione [illegible], vel dubiis periculis, profectus incrementa mererentur, longe major Nostræ persuasionis infamia, ex vitæ illorum dispendio, quam fama ex brevis culturæ laboribus. Intra parvum itaque tempus dilapsi; pars discipulorum maxima et nobilissima, diminuto dissentium numero, tanto magis auxere laborum Professoralium gloriam, quo difficilius, et molestius est in paucos Magisterium. Fremebant in nos Gothi, quasi ultronea Studiosorum dimissione, loquacissimo sane nuncio, Posnaniæ pestem proclamassemus, inducta edicta refractarii, sed facile se ipsum diruit, nullo suffulta documento objectio. Non potuere dimisimus, [illegible], ut dilaberentur [illegible], sed abeuntes, suo uti jure permisimus.

Annus 1709

Sub Adm: R. P. Generali Michaële Angelo Tamburino.

R. P. Provinciali Adriano Miaskowski.

R. P. Rectore Martino Rakowski.

Mors Stanisl. Baranski Theol. anni Imi.

Prima Januarii ultima fuit Stanislao Baranski Theologo Imi anni dies. Suspicabamur contagioso extinctum veneno, sed quia tantum suspicabamur, visum est certiora è medicorum sensu potuisse, ut vel affirmantibus periculum, securitati Nostræ prospiceremus, vel negantibus, tuti officiis Nostris fungeremur. Tantum tamen abfuit, ut è Medicorum sensu lucis nobis aliquid in dubio affulsisset, ut potius Novæ et densiores, mentem tenebræ invaderent, ancipiti illorum sensu, Nostram perplexitatem adaugente. Quo igitur fluctuantem et huc illucque pro sensuum diversitate, mobile direxissemus animum, securiora in ambiguis visum est elegisse. Ergo adhibentur omnia, quæ certitudo mali [illegible] adhibenda prudentissima sane electione, crisi potius et censura alicujus, ex cautelæ excessu [illegible]

irreparabilis damni ex audacia gloria. Cadaver privatim, profundum effossa tellure tumulatur. Coadjutorum unus Vespillionis munere perfungit, perfunctus a communi consortio segregatur, Scholastici, cum suis Professoribus, Magistri in villam Siekirki expediuntur, uno duntaxat in visitationem inferiorum Scholarum relicto, qui labore suo exprobraturus nobis, timidam officiorum intermissionem confutaret, Gothorumque qui tunc rerum potiebantur in Urbe avaritiam retundere, si hi forsitan fugam nostram tanquam publicum contagionis in Urbem invectae nuncium, severissimis suis prohibitionibus adversantem, tributo aliquo punitam voluisset. Latuimus hic, donec sopita ob non innovatum, ullius funere malum suspicio domum nos revocaret. Reduxitque pro tempore intra spatii tridui [illegible] nostros socios, sed et Scholarum vigor, cum suis una redit Professoribus, damnis ex intensione Professoralis solertiae pensatis ut discentium profectus dubitare cogeret, num aliquando quas separaverat, Scholasticorum series exercitiorum cessasset. Quadragesimalis in templo nostro pietas, usitato promota studio Professore Rhetorices pro sacris rostris Dei parentis Historiam proclamante. Imminientes Numinis redivivi feriae, non imparem annis superioribus, Nostrorum Numerum, in Apostolicos labores evocarant. A quibus dum domum redimus, illam reperimus famam, quae partam amplissimis Missionis fructibus, gaudiorum laetitiam funestaret. Spargitur contagiosa suburbium

Pestis iterum saevit.

S. Adalberti violentius populari lues occultamque hactenus et incedentem saevitiem suam (eam enim hic die illa passim mussitabatur) in continuatis et crebris gradum multiplicans funeribus promosisse. Inde Valisiorum erupserat malum, tandem afflavit et Urbem ordinans exitiis in suburbio [illegible]; tum in Urbem crudele. Patens periculum persuasit se ipso efficaciter ut fugeretur. Ergo qui invitis olim, tot exercituum molimibus urbe pellebantur Sveci, paucis horum ad speciem custodiae conservandam relictis, Urbe excedere, cives dilabi, Religiosi claustris prodire, dispergi; Urbs nuper populosissima subito horrida solitudine squallere, paucissimis incolarum manentibus, ut aut vanam emporiti famam animi, aut fortunarum suarum indemnitatem, per tanta dispendia lucrarentur. Commune Nostris fere factum nobis erat similia agendi Consilium. Determinatos in excedendum ab Urbe, morabantque adhuc duorum qui Anni Theologorum imminientes Magni actus, quatuor enim longe ante ejusmodi excusarunt solennitatem continuo Posnanis a pestilentia periculo suffragio eorum certi post incertam defensionis examinis electionem. Urgebat abitum crescens in dies, intra Urbem contagio, tardabat gressum, affligendi laboris Theologici metus, si hic publico illo sui specimine actu magno frustrarentur. Accessit et a 3tii Anni Theologis tolerandi [illegible] obex qui praemittendum sacris ordinibus examen, ante abitum e Collegio absolvi desiderabant. Invenit tamen modos, quibus obices dirumperet, ingeniosa migrandi necessitas. Theologi 3tii Anni, intra unius forte diei angustias, aliquot semper olim dierum negotium, suum compegerunt examen, illucque ad Illustrissimum Suffraganeum [illegible] (quo se tum ille quam contagionis urgente discrimine receperat) expediti, sacros ab eodem in Siekirki invitato Sacerdotii honores susceperunt. Simili et [illegible], a Theologis qui Anni obstaculum, actuum magnorum acceleratione, unusque immediata, citra interstitiorum moram, post alium successione submotum est. Eusto gemino hoc aggere, itineri accingi jubemur, pars in Villam

Nostri migrant è Collegio.

Siekirki (his se Collegii Praeses adjunxerat) pars in villam Jezioriki, pars in Villam Dębina (divisione sustentationis onus Procuratoribus alleviatura expedimur) pars in Collegio relinquimur. Pater Nicolaus Drewcz cum Joanne Dunski Temporali Adjutore ob illud quod sanctè usque importunus, repetitis apud Superiores precibus, suas extorserat ci-

lus pestiferorum obsequium destinatur, a communi consortio segregatur, in lapidea Collegio vicinia collocatur. Libet hic illud, in quod ejus nostra (periculi fuga inciderat periculum (periculi potius suspicionem dixerim) recensere. Civium Posnaniensium quispiam, impetrato apud procuratorem in Villa asylo, brevi morbo enecta, et brevis morbi et recentis sui Posnania adventus argumento persuasit, (ut facile credulus timor est) se contagione sublatum expirasse. Visum provide malum (si quod fuit) in suis statim initiis praefocandum. Pater igitur, qui moribundo adstiterat, Coadjutor, cui illa quodpiam nuper, e rebus Posnaniae, sua opera emendatum reddiderat, a communi consortio sejungitur, proles et familia defuncti casa, in liberam campi auram pelluntur, casa cum cadavere, et relicta supellectile exuritur, hoc est, malum, dum adhuc in scintilla foret, toto incendio exstinguitur. Reputaret tamen deinceps, suspicacem sensum nostrum superstes proles et familia, omnique defuncti conviventium

Suspicioni pestis, obseriaque à nostris.

salus, docuitque in fuisse contagione sublatum, at non exustae casae induxit poenitudinem, cum gloriosum videbatur damnum, talibus illam publicae securitati flammis immolari. Dum sic vitam, a lue tutamur, fortunas nostras, Praedonum Regni Svecorum aggreditur malevolentia. Supremus Praesidii Gothici Gubernator Thure Horn, urbe et ipse cum militia sua excedens, grande ab apotheca nostra expendi mandat pharmacorum cathalogum, in armandam militis, intra stationis [illegible] valetudinem. Mandato praesto ingratam apothecae opponimus, cui cum illud dicimus, etiam reputatorum oraculis dissentitur haeretici judicium unum vel alterum suorum, qui apothecam, apothecasque [illegible], revideat jubeamus assignari, certo cogendam in consentiendum Nobis, eidem Galeni nostri egestate, vel rebelle sentiatis etiam Inspectavimus itaque oculato illos visuos apothecae testes. Scrutari officinam, singulas pixides annuas [illegible], hoc est exigui e domesticis herbis proventus amputum scrutari; nihil praeter quae obstructis et reditibus Collegii visus, apothecae in infirmos obsequium, apothecariique in [illegible], tum cum quali quali lucro expendenda pharmaca studium, dum vel

Oppressio Nostrorum à Sveis.

si haberent homines, quod exquisitissimis exactionibus exhausti; in [illegible] remedia erogarent vel nollent [illegible] ipsam intra tot miserias posse. Quid igitur agat, heterodoxa in nos malevolentia, (profecto enim non necessitas, sed haeretici odium, tantum in nos tributi indixerat) pharmaca in pecuniis mutat pensum, dumque medicamina non valemus, nummos jubemur persolvere, sex tymphorum millia exiguntur, pretium coemendorum (ut ille aiebat) in militis remedia, contra pestilentiae venena medicaminum, in re vero, crumenas suae [illegible], ad avaritiae satietatem infartas complementum, adjectis, ni intra praefixum brevissimi temporis spatium, jussa impleamus fortissimis militaris executionis minis. Defertur tristis ad Praesidem Collegii Siekiricio Nuncius, ab iis qui intra Collegium remanserant, Scholasticorum unum Praeses expedit ad Hornium tunc Skorzecii agentem, qui inopem vel judicio suorum revisorum Apothecam, a tam gravi censu postulat absolvi. Sordo fabula narrata est, avaritia hominis, ditescendi libidine, et vel maxime malevolentissimo in Societas animo, supra omne rationum robur praevalente. Rebus hac arte infectis, ipsemet Skorzecium abit Praeses Collegii, tanto exaggeratius, suam expositurus inopiam, quanto magis illa sibi perspecta est. Sed nec repetitis preces, durum hominis emollierunt pectus.

Dū redit divertit ad collegiū, ubi jā importunissimos reperit hospites 50 milites, supplicii ñ exsoluti hucusq; sex millium Tymphorū pendi et calcar quas primū exsolvendi. Superant omne facundiæ vim calorū illorū insolentiæ, et ausq. Ut Adm Patrē Rectorē venisse advertērunt, provolarunt illico, ad Tricliniumq; Collegij tunc suū et suarū insolentiarum receptaculū deduxerunt. Aliquot illi horis intra densissimū tabaci fumum consulto etiā a nōnullis sibi prope nares exsufflatū intra distortissimos clamores, intra fœdissimas spurcissimorū faucium blasphemias detentus e patientissimus Prǣses, donec inde aliquot aureos a Collegii huc Rectore, apud ipsū illius præfectū redimeret. Permissus itaq; ad suū abire cubiculū, milite uno stipatus, qui etiā ante cubiculi fores excubaret. Ingens excrevit impensa, qua cohors illa nebulonū alebatur, utpote quā n necessitate sed cupiditate sed luxu sed nostri odio sed summā quam primū extorquendi studio quotidiana annona definiret. Quamcumq; imperata sibi orexis sitisq; ad scitha, cibi et potus seu specie seu quantitate determinaverat implendi fuerat necessitas, ut fere ultra mille florenos intra triduum helluonū illorū turba abliguriverat. Quid enī ausq; quod insolentiæ illi reliquisset intentatū qui se eo gratiores eo suo officiali obsequentiores credebant quo in nos crudeliores. Certabant secum licentia quasi optimē majorē ausū majori officialis approbatione accipiendū. Tantis ab insolentiis liberandi Collegium unicus supererat modus impositæ Summæ persolutio, cui qā exhaustū Collegii non sufficiebat ærarium, iterū R. P. Rector supplex Capitaneū Kin, (in quē Horn plenā nobiscū paciscendi devolverat potestatē, ratū habiturus quidquid statuerit) adit, aliquid de summa præfixa remittat, orat. Certè si remedia multis contra contagionis ictus fuerant coemenda, minori in mille circiter hinc usus pretio pēterant comparari, provisis possimū etiā illis, qā gratis, dives medicamentis officina, in herbis et radicibus suppeditat tellus. Post longū utriusq; hinc supplicis egestatis, inde exactricis avaritiæ certamen, decisū tamen ut 4 millia Tymphorum persolveret Collegiū, minimē tn computandis in hanc summā quā in Collegio licentiosa cohors absumpserat, quæve in singulos fere erogata sunt, ut furoris, insolentiarum mediatatis licentiæ diminutionē aliquā (verbo) ut mitiorē tyrannidē emeremus. Penduntur a R. P. Rectore varijs hinc inde industrijs, 4 millia Tymphorū corrogata; mille iterū exigit Kin tanquā plenitudinē imminutæ nobis summæ commodus militaremq; executionē longe priora molestiorem si moremur minatur. Vix istud implacabili huius avaritiæ persolvimus censum, iterū 500 Tymphos (contentationē vocabat) injungit, Tyrannorum more, qui ne crudeles quidē gratis esse volunt, scelestā sane industriā ipsa damna vendente et ex ipsa dirarū serente omiorum messem colligente. At parū fuerat in tenues fortunas nostras sæviisse, in vitā etiā sævitū est. Licentiosa enī cohors illa ex multis peste infectis conflata una secū luem etiā intulit Collegio in aliquosq; nostrū ipsā mortem in aliquos proximū mortis periculū efflavit. Prǣses ipse Collegii ex arcta ad quā necessitabatur cū militia illa communicatione infectū de rationabili suspicans, non Siekiercios post sedatā persolutione summā exactorum avaritiā, sed Dziekrovū petiit, ubi postquā valetudinis suā constantiā nihil se de dispensata in alios Gothica lue participasse edoctus est, ad Siekiercensē comunitatē reversus.

Gloriosa Patris Francisci Gatezki stigmata w sine vulnere nullius ferquam mortis avidū Prō Nicolaū Kreutz reliquerant toto ille ulceribus obsessus qui eximensissimis pestiferorū hauserat morbus 4 Jul: heroicā effudit spiritum. Funus ejus urbē plane totā exanimes reddiderat et comunē confusā lachrimas expresserat universis. Ibant præfico funeri lacerā pauperū caterva, heterodoxorū glom, orthodoxorum manipuli totidemq; condesat pectus quot viva superstitiū pectora cernebant, audita miserabiles plebis ejulationes Germanorū lamenta, peregrinorū ejulatus qui funestū diē illā calamitatum suarū

natalē autumabant. Terris demū in templo nostro infossus Joannē Dunski quē illi individuus pietatis sociarat gloria e terris evocavit. Hauserat ille quoq; periculosissimo Patrū Gatezki et Kreutz obsequio emptum virus nihilq; morti deerat præter mortē cū denique mortis violentia ac divino afflatus spiritu ex infima portū adit campanā quasi ad sui funeris evocando spectaculū vehementiori impellit manu insolitus pulsus omnes fere ad portā compulerat qui viso semivivi fratris cadavere impendentis illum mortis admonebant. Nihil ille de mortis turbatus nuntium unicū dixit morituro quod nec trivialibus negatis mendicis præstate obsequiū mori mihi videor ñ posse nisi pane vivo refectus, quē virgineis Divæ Barbaræ neritus vita integrā exoravi, allata subito a P. Joan: Sulikowski SS Eucharistia omniumq; sociorū gemitibus semivivi fratris muta faucibus, intra horā hostiā illum cœlo reddidit Jul: 12. 15 ejusdē Joan: Ostrowski et Nicolaus Podwysocki Janitor supellectili colligendi et pauperū trivialiū nutriendū suppeditali incolā extincti tumultis quos in dē casū præsago sibi foderant labore penes P: Kreutz insepulti. Crescebat indies contagionis acerbitas assiduis nutrita funeribus, crudelior in oēs sæviebat. Nihil erat terribilius ejulatibus cadaverū multus quod minus timeretur, detraxerat metū usus ipsaq; mortium frequentia modū lacrymis imperabat. Multi quorū tenuior domi supellex alienis manus inferre meruibus, nocturnis infestationibus defunctorū impetere aggressi lapideas vitæ periculis fortunarum nexuerunt discrimina. Multi prǣdonū in ipso rapinarum extincti ardore, multi vespillonū qui nostra quoq; hīo crebrius inspiciebant confessionalia carnificis glande trajecti. Multi quos legitima sanguinis tutos redderet successio fortunæ cumulis et tumultis successere. Accedebat annonæ caritas ñ exigua, nulli jā longo tempore alimentorū commeatus, fumenti copia nulla, incedebant per compita mendicanti pauperum greges, gemituq; lacrymabili liberaliorem civium provocabant. Sed beneficia quoq; ipsa in venena transferant, mortē sæpe qui cibū sumpsit eademq; manū dispensabat edulia cumulabant funera. Massa interea in arcto Præsides nostri manus quamvis exhausta multis gula fuarent horrea penū Collegii pauperū præcepit patere penariā. Augebat quotidie studentiū in templo numeras, nostris interea fame alios omnes universi urbis nervis absolventibus. Prǣsto erat ut omnes nostrorum comuni absumerent incendio medijs enim se se pœnitentibus ulcerosa cadavera peste infecti inferebant, vixq; acta exomologesi animā agebant. Nostris e Collegio nulli aditus præterquā ad templū, nulli exitus præterquā ad sepulchrum. Unicū nostris facessebat negotiū quod ñ æternū desudarent. Limites etiā posuit prōlepti Zelo R. P. Collegii Rector Collegii, timens ne vel ipsa in nostris pietas effrenis esset. Degebat tunc P. Jacobus Krzemykowski 4 anni theologus defunctus quē inter agriculturam adeo robustius excoluerat spiritū ut ñ alia messe quā animarū elegerit Posnaniæ. Præsidis nutu invitatus in portu urbis portæ propinqua sedem fixit, ne vel nova urbi inaberet contagio vel vetus prǣterquā suis superata laboribus elaberet. Inde exire urbē, circūcursare plateas in suburbia penetrare, Germanorū ac Polonos auxiliari periculis stolaq; super indutus purpurea effecerat ut illi quoq; qui peribant non perirent. Ulceribus tandem velut conjuratis in suū exiguū globus ita acriter impetitus, ut evadere præterquā vita refectā ñ potuerit. Auxit patientis molestiā rationis perturbatio, quā eo graviori tolerata est comodo, quod nec gravius tolerares effecit. et P. Betchacki a Augi absolutus laborū et gloriæ.

Nostri in obsequio peste in fectorū mortui 87
P. Nicolaus Kreutz
P. Joannes Dunski
P. Franciscus Gatezki
Joannes Ostrowski
Nicolaus Podwysocki.
5500 Tymf. penduntur Sveciis.
P. Jacobus Krzemykowski.
P. Betchacki.

messe consumavit. Sepultus sub ara majori. Referre hic libet quod calamo et mente in ante
exuderat duorum grammatices puerorum exemplum. Audiverant a suo Professore destinatum esse
nullis nostrorum non prius urbe discedere quam e vivis ex pia laborum molestia afflictionum urbis
si non amoliri funera sallem comite obitu coronare. Voti igitur vinculo sub Patribus adstrin-
gunt obsequia nec mercedem laborum requirunt ullam praeter quam comune periculorum lucra-
tiam. Primo statim die Patri Nicolao Kreutz primus adjungitur et ad quanta aetatis im-
becillitas sufficiebat obsequia avido atque ac pro se se impendit conatu, vitam inte-
gram apostolicis nostrorum devotusque laboribus nisi una cum Patre feralibus in caelum babo-
nibus evolasset. Immatura mors ejus maturum in alio qui tum Seraerici degebat
invenit desiderium. Hic subito vita accinctus integra vero pedibus emensus spatium ...
bium attigit et a P. Jacobo Krzemykowski nostris succendi secum evicta potestate
aequele consodalis palmam assecutus. Invidit omnibus fortunatam moriendi gloriam

Coadjutor spiritualis alias

Jacobus Ora... Tr...szewicz cum hic Germanorum per longas Cathedras Chrysostomus ultimo vitae sub
mense plusquam sexcentos pestiferos (ingens e magnorum ruina) suo tempore funeris
Nec praeterea. Illi inquirendi erant quos absolveret plenis semper poenitentium
circumfusus examinibus, ita felici scrutinio singulorum enodabat conscientias ut
moriendi eruerint timorem qui confitendi locupletissimo virtutum zelo pauperi
quoque Collegii familiae se se impendit quam ut fidelis caelo redderet prima au-
gusti sepulchro et glorum accessit reliquorum. Et jam quievisset Sirenis mali
acerbitas, nisi insciatae quiescendi in Patre Joanne Sulikowski pietas ... dorsum
illam zelo excitasset. Nullum ille nostrorum et si jam jam cum morte luctantem
Sacramentorum praesulis carere suppetiis nullum quem in facundo sanctimoniae elo-
quio longam mortem persita in meliorem fiducia erexisset. Longum jam propria vitae
momenti aliena praeferebat pericula, longum consuetiarum securitati suo pro-
videbat discrimine cum intrasumpto contagionis veneno mentis ac virium fru-
stratus robore unicum quaerebatur quod intra domus parietes in pestiferorum busta
delitesceret. Hoc sibi a Christo Domino exprobratum hoc a Sancto Patre vehe-
mentiori redargutum Strada affirmans (turbatae illum mentis indicium nec Collegio fuerat
spectaculum ignotum) obiit 3 Aug.

Eadem die hora 3 Augusti Hyacinthus Praczynski Coadjutor Temporalis hac peste obiit et sepultus Piotrovi.

Funeribus tantis mors ipsa oppleri visa a die-
bus nostrorum abstinuit extra ... tandem die Augusti Patris Andreae Betchacki Praefecti Collegii Su-
... obitu crudelem pensavit abstinentiam quam triduo ante triste nobis ille ipse
Serzonicios attulerat nuntium orbatum scilicet socius Collegium se unum superstitem
in horas horam praestolari. Respondit exspectatione funestior eventus vix a nobis
ultima instructus absolutione redierat, lecto affixus acerbius omnis religiositatis ob-
servator inter acerbissimos dolores die 10 Aug. exspiravit. Viduum Rec-
tore Collegium modus atque ac Zelotum formidabat rapinas nihilque deerat ad
supremam omnium devastationem praeter impetum devastantium. Quanquam nec irra-
sorum defuere minas quas non criminis magnitudo sed recens mortuorum re-
fundebat memoria. Eadem tunc nobis luteolo quod nunc occasio. Unus supererat

Staliński

adhuc Thomas Staliński anno ... in eodem obsequio felice Proselyto suo adjutore
quem in obsequendo singulis omnibus nostrorum pietate quamvis ... insigni vi-
rium servavit jactura P. Nicodemus vero Sobolewski indefessus laboribus domesticus
senex in medio triclinii 20 Aug. exanimis repertus est sepultus in nostro Templo.

Haec erat anni hujus facies in urbis luctus, hic nostrorum funera quibus
Collegii incolumitatem contra infensissimam haeresim famam ora acerrima ... cavillatio-
num murmura salutem demum desperandi urbis Posnaniensis Societas tutabatur. Nec deerant
praesagi calamitatum eventus qui feracia ... tempora portenderent nam fuerat in praesulis
publico parcarum gestatus saltus sequenti die occubuit. Bernardus Domaszewski publicum
in communi collegium monita quo nostrorum in urbe prosenbebat exactus loco: Moriuntur
omnes ne lapidem adeant, legit: Moriuntur omnes. Idem repetito errore 2do mensis aeternam
intimatum. Fidem fecit eventus: nullibi certiores quam in morbe errores.

Tam frequentia nostrorum funera, ut idem esset adire Collegium quod et
in certam ruere mortem, magnanimum P. Stan: Sadowski non deterruerant animum
quin in manifesta rueret mortis pericula ut pluribus Deo viverent. Hic zelo
ipso contra pestilentis furorem armatus, cum alios prudentissima R. P. Rectoris
avocaret discretio in medios fermè cadaverum irruit cuneos, ut civitati non
minus funeribus saevum immoriendi quam id gravissime ferenti, quod plurimi sine
Christiana ad mortem dispositione penuria sacerdotum morerentur, solatium adferret.

P. Stanislaus Sadowski quanta praestat in obsequio pestiferorum.

Patronum sibi contra periculum pestis selegit B. Stan: Kostkam specialem ut
post cujus singulare patrocinium in desperatis omnibus casibus fuerit expertus
ejusque singulari protectione post Virginem Beatissimam incolumitatem suam se debere
agnoscit. Revixisse sibi plurimi visi cum illum velut de caelo lapsum un-
dique salutarent cum illum praesto haberent qui animabus suis provideret

S. Stanislaus Kostka patronus electus in pa...

abundantissime. Maximo tamen aderat solatio Adjutori nostro qui uni-
cus ex tanta nostrorum clade et veluti quodam exudio superstes, nec co-
piam confessarii habere cordi quo innocentibus etsi vitae noxas elueret, nec sa-
cro festis sallem diebus commodè audire poterat. Jam ergo viribus utcunque col-
lectis atque exomologesi mundari volentibus in templo etiam praebebat aures, sa-
crum etiam dispertiebat epulum, ut simul et moribundis sive in lapideis sive in
plateis prudens et circumspectus Patris non deesset zelus. Si ad decumbentes
evocabatur ibat promptissime. Si ad prandia funebria quae deferuescente malo plu-
rima et opipara pro defunctis pietas superstitum instruebat rogabatur, nunquam
[Dictum viro Apostolico dignissimum.] ivit respondens: Pro bono animarum vestrarum vitam meam libavi, adeoque inficii
ad lectum moribundi, gloriam mihi duco, ad mensam, turpissimum. Ter violen-
tius in obsequio se infectum sensit, 3tia tamen infectio 5 Decembris gravis-
sima fuit. Desperabat vesperi de sacro, die S. Nicolai celebrando, post graven
tamen cum lue luctam quia aliquid de monocerote sumpserat, sopitus aliquantum
mane et celebrare et concionari indulsit. Continuavit proinde obsequia sua
etsi cum molesto infectionis sensu usque ad Jan. Et quia pro festo B. Stan:
Kostka solennitatem quam fieri maxima poterat curaverat, adjuvantibus se unicum
Dominus Andreas ... ad ... tunc Collegiatae ... tam solennizando tam confessiones
excipiendo ita pro S. Francisco Xaverio ideo etiam pro festo Circumcisionis usitatam
solennitatem habere voluit. Videre cum plurimi evidenter morbidi tum ad expi-
andam conscientiam vel a longe confluxissent homines, majori forte attractu in
se veneno jam signa pestiferorum ulcerum sibi apparuerunt, quae intra ... dies
brevi creverunt in ulcera satis periculosa. Contra quae medicamentum suavissimum

Aqua benedicta S. Ignatii, remedium contra ulcera pestifera

et efficacissimum fuit aqua ut vocamus S. Ignatii, tum modicè singulis diebus
hausta tum linteaminibus supra ulcera ponendis inspersa cum his verbis: Crucis Christi
impressio et hujus aquae aspersio sit ulcerum meorum curatio In Nomine Patris et Filii.
Unus ille erat omnia cum et vice Rectorem et Confessarium, Operarium et Concionatorem
ageret, binas singulis diebus Dominicis in Quadragesima dicebat ad populum conciones, unam
de mane in Collegiata alteram in nostro Templo. Et saepius id ipsi contingebat ma-
ximè quando ad aliquas solennitates invitabatur. Praeter innumera lucra anima-
rum illud etiam Collegio beneficium praestitit quod cerevisiam ex Collegio datam in
nostris domibus divendi procuraverit, habuit aliquid molestiae a Braxatoribus sed a
Domino Proconsule Kostrzewski obtinuit tandem ut illos ipsos Braxatores officiose ro-
garet ne nos impedirent circa propinationem saltem in locis nostrae jurisdictionis,
et praecipuè illo tempore quo ipsi Civitatenses cerevisiam ob periculum a Vallibus
extra civitatem propinare non possent. Jam luctuosus erat status Collegii, et
et Villarum non melior ubi circumquaque diffusum malum nulli pepercit Villae, nulli

oppido quod Suis incolis n' vacaverit, nostras quoq villas Piotrovum et Mechli-
num ita afflavit ut ~~per~~ paucos in illis reliquerit homines. Zemsci minor, nã
n' nisi ad 96 idq passim imbecillioris ætatis præter Patres familias 6 abstulit. Similiter in
Gowarzewo clementius sæviit. Siekierki non extra periculum nam undequaque malo cingebant
cæterum vicinas depopulans villas, nihil in illas ausa pestilentia, quasi Collegium Theologicum
pro tunc inibi studijs vacans revereretur. In una domo erat aliqua suspicio, sed succensa peri-
culum extinxit. Agebant hi integro anno cum suis Professoribus Theologi. Reliqui Professores maxime
inferiorum ~~quorum~~ Nam Philosophos, unum beneficia, alterum consanguineæ detinebant aulæ, quorum
loco Cathedram Posnaniæ pestilentia occupavit, ac illos a docendi labore absolvit. Periorcios mi-
si quam binis alia venit dispositio. Nam P. Stanislaus Mrowinski qui hic hic docturus erat Poe-
sim Bidgostiam pro humanioribus designatus. M. Podleski Thorunium ad docendam Syntaxim Car-
simusq Garmulski in locum Thomæ Helinski qui unus in Collegio Posnaniensi omnia erat
Bidgostiam Curator assignatus. RP Ostrowski Sandomiriam pro docenda Theologia Specula-
tiva in locum RP Christophori Wierzbicki qui hoc officium est deprecatus. Sæviente

Miles iterum cum pestiferis, addit pressuras.

peste miles etiam sævire non destitit, imo eo acerbius salubriores expilabat villas quod non tam
audacter infectas (quanquam nec his parcebatur) deprædari auderet. Mox supereminet
in Augusto ad villam Zemsko Vexillum ~~[illegible]~~ Valachorum cum Capitaneo Szmyt et aliquot gregariis
qui ex assignatione Illmi Palatini Kijoviensis hibernam contributionem prætendebant
Sed ex mandato et libertatione MD Swiniarski olim Nostri dilatio facta. Porro Capi-

Presbyter vulneratus

taneus sævit in Villa Duszniki (hoc pœnitendum) ~~Presbytero~~ Presbytero Seculari pro contributione
quam extorquebat vulnera pene ad mortem, alij milites mortem ipsam acceperant inibi
occisi. Tandem ubi fugientes Moschum Sveci cum Generali Krassau in suam Po-

Vexaredimus Aure: is 15.

meraniam redirent: in Villa Piotrow hominibus iam vacua pecora ad acta, ut et his vacua
esset. Comissario Linda RP Rector redimendo vexam 19 aureos nummos numeravit
Datus insuper commeatus ex bonis Siekierki cum quo aliquot Rustici cum equis
ac curribus usque ad Pomeraniam sunt abacti. Et hi tam gravissimi tam pecuniarum

Fugiunt Sveci Moschos.

quam frugum exactores nostra bona depædari desierant. Sevissent maxime in Civitatem
suo in egressu more bestiarum quæ tunc maxime sæviunt cum sint interitura, vel more
mali genij qui in egressu pessimus nisi metu perterriti et fugam non nisi agitantibus
defuisset tempus ad nocendum. Pontem non nisi in fluvio Wartha, ut persequentes

Adjungit se illis Serenissimus Rex Stanislaus.

se occuparent Moschos excusserunt. Non prætereunda hic (nam et in hoste virtus
laudanda) Capitanei Drzewman in nos liberalitas qui in abitu apud nobilem Nostro
Collegio duos boves transcripsit addictus hic semper nobis: etiam filium suum egre-
gium juvenem in scholis nostris erudiendum nostræ concredidit institutioni qui peste
extinctus in nostro cemeterio sepultus. Adjunxit se fugientibus Svecis Sere-
nissimus Rex Stanislaus. Ductus et (ut alij ajunt) catenis vinctus Generalis
Smigielski celebris ille Svecorum in ante ex improviso agressor mox infelix eorum

Rex Augustus redit in Poloniam.

fautor, qui ideo sub militarem acceptus custodiam, quod cum Serenissimo Augusto qui
iterum ~~ad~~ in Poloniam hoc anno in Mense sui Nominis Augusto, redierat animatus potissimum
Pultawiensi victoriâ quam numquam olim auditam Moschus de Sueco obtinuit, ut vix
ipse Rex Carolus cum Mazeppa Duce Cosacorum uxorum pene to in ~~[illegible]~~ Valachiam Benderum
aufugerit captis Generalibus aut occisis pene omnibus etiam Generalissimo Reyszeld et pri-
mo consiliario Piper, quod inquam cum præfato Rege correspondentias habuerit ad illumque
cum sua legione transire voluerit. Deduxit quoque amicos et non officioso tantum
sed et defensivo tam a Nostris stipendiarijs tum a Moschis obsequio Illmus Josephus Potocki
Palatinus Kijoviensis usque ad ipsos limites. Inde Redux ad nostram villa Jeziorki pro

Exercitus Illmi Palatini Kijoviensis depopulatur villas Nostras.

una nocte exercitum totum collocavit tanta villarum depopulatione ut apud subditos nostros
in Jeziorki Piekary, Stupia, Januszewice Zemsko a tanta clade pestis liberavit
nihil fere avenæ, hordei, parum siliginis derelictum: parvitum tamen aulæ quanquam vix
designata ad instantiam Patris Zaleski Theologi Illustrissimi ad illam defendendam rapa-
ces prædabundosque abigere poterant. Nec Prædium Bielawy liberum erat ab incursione

Milites. Nam inibi sunt acceptæ quatuor equæ ex grege equorum optimæ. Item butyrum caseus
gallinæ, galli indici plura rapuisset Miles nisi Frater accurrisset. Acceptæ etiam et Aulæ Jeziorcensi
bini equi laboratissimi. Item plures subditis. Adijt Curator Illustrissimum Palatinum sed hic respondit
si plures habet Antiqua Vra adducat et ego pretium persolvam. In recompensam vero damnorum; appromittome
contributionem hybernalem donativum; quam tamen in Polonia non extorquebat siquidem in Hungaria hy-

In villa Jeziorki Moschorum 1000.

bernavit. Hunc brevi insecuti Stipendiarij Poloni milites per eandem villam Jeziorki sine damno tamen
transierunt. Tandem Moschi erant plus quam mille, qui in una Villa Jeziorki pro prandio substiterunt
ideoque subditis residuum siliginis in pabulum equorum cessit. at ex aula sustentari debuerint. Aulam
vero ipsam Colonellus defendit. In bonis vero Jeziorki omnia pecora alij Moschi Generalis Gieszchow
in Sylvis Mszczonovensibus deprehensa et equos abegerunt, sed in compensam a Nostris militibus emepta
a ~~[illegible]~~ alia mille florenis. Satis iam â transeuntibus deprædata bona Saxones pro hyberna
statione excipere et alere vere sunt coacta. Imo in bonis Jeziorki toto mense Novembre integrum
ferme Vexillum D. Hack Rotmagistri cum suo Stelit vexillifero. Pro singulo milite suppeditari
quolibet die debuerat carnis tantum quantum ~~debeat~~ placuit. Item panis cremati media pars et
partis alias putkwaterki cerevisiæ olla. Pro equo præter fœnum avenæ 4 ollæ. Exposuimus Offi-
cialibus quod fuissemus prægravati, illi in causa peste infectas villas assignabant pro quibus nos onus
sustinere jubebant reliqua autem avaritia officialium id effecit qui ex alijs bonis pecuniariam
accipiebant pensionem. Tandem post multas preces facta est alia repartitio ex qua in bonis Jeziorki
alendi obvenerunt 13 Milites præter duas uxores a primis diebus usque ad 13 Junij.
In bonis Kneszkowice ipse Rotmagister Hack stetit magno nostrorum incommodo, et uniusque
ad mortem P. ~~[illegible]~~ski ad brazatorium se transferre debuerat. Similiter Rotmagister alius
stationem sibi seu illi vocant quateram in Aula nostra Siekierensi elegerat iamque illic in
communi steterat sed ubi uxorem quoque suam illuc introducere volebat obstitit RP Rector
ut fortiter ita efficaciter asserens nostrum esse hic Collegium adeoque nec pede tangere licere
hæc limina, fœmina quæ proinde habitaret, magno proinde furore et comminatione Julicios
abijt sed ipsa Villa Siekierki disportito milite omnia adamussim pendi debuerat. In Aula
vero Dembinensi, gravissima omnium erat expeditio ad custodias Medereum usque ad Generale
Plec. Item Wetomeystam ad Colonellum Tandem Julios ad Rotmagistrum, Stiuonum ad Majorem, Tarnovii
ad Leytmant ubi cuilibet Militi pro una die dari debebat fl. 1 et pro equo secundus frequentissime vero

Contributio gravis.

et plures ex nostris bonis expediebant. Gravius adhuc incubuit malum ubi iussio Serenissimo Rege
Generalissimus pecuniariam assignavit pensionem singulis extradendam mensibus ab uno fumo Im-
periales 5. Quam ut citius extorsissent fortes in bona rigidissimas executiones inducit iussit. In nos
primos factus impetus nam pro ipsis festis Nativitatis Domini quam fortis tam indiscreta data
data ad Aulam Jeziorcensem executio ut ne somnum quidem Patribus pro tunc inibi residentibus de nocte
permiserant. Frustraneæ erant supplicationes huc usque illa stetit quousque Procurator ad rationem 40
non dedit Imperiales, quod et ex bonis Siekierki factum. Consuluit sibi tamen Nobilitas elegit in Comi-
ciolis Mierostawiensibus legatos et ad magnum consilium et ad Serenissimum, ut scilicet illi supplica-
vent, non permitteret a suo milite tam agravari Palatinatus; Promisit omnia Rex non nisi certam
summam ab illis petijt quæ sequenti anno est enumerata.
Inter tot sive pestilentiæ sive Militis pericula Zelus nostrorum non deferbuit; sæpe ad villas quo-
que infectas excurrebant et alonge confessiones excipiebant. Sanctus quoque P. Ignatius tunc afflic-
tis promptissimus cum illi solatia maxime indigerent. Imo tentata ad sui occisionem mulier com-
mendata re ac alijs animæ negotijs S.P. Ignatio ex admonitione confessarij longam tentationem

S. P. Ignatius veneficas abigit.

ac a pluribus annis continuantem ob anxietates conscientiæ, ita vicit et miretur se ac hæc re nec cogita-
re posse amplius. Ldo Admodum RD Zaremba Præpositus Casimiriensis dixit hoc anno bene-
ficium S. Patris Ignatij prope hunc annum sibi contigisse, dum enim veneficæ clam ad cubiculum
eius introissent suffocaturæ dormientem, prohibitæ sunt ab adstante Jesuita pileum quadratum
habente, ut ipsæ vi tormentorum ad alia manifestanda confitebantur. Præpositus hic addictus est
multum S. Patri etiam olim suo, habetque super tectum effigiem eiusdem similem huic apparitioni.

S. Francisci Xaverii favor.

Ope S. Patris et S. Xaverij duo Nobiles conjuges plus quam septennio a se loco et animo
diversi et graviter invicem offensi conciliati sunt. Quædam pœnitens accurrit post ~~Confessi~~ Confessi-
onem in Missione auditam de onere peccatorum in conscientia et multum dolens confessa.
Non pauci pœnitentes metu pestis ut ad mortem vicinam confessi et consilijs expediti. Genera-
lem totius vitæ confessionem plures deposuere. Bonæ Morti accessere 100 Timpfones
a D. Teressia Wardeska et ad liberam dispositionem dati in Junio.

V. P. Druzbicki beneficium.

Non possum praterire, quod ipsemet spectavi et ad aures audivi cum apud M. D. Laurentium Rokossowski Lucovici hospes cum Mag: Rokossowski agerem. Irruerant in Aulam huius Domini ex improviso Poloni contra Suecos inibi agentes, sed inde pulsi incendere cum Suecis Aulam volebant. Commota his ipsa Magnifica, irruit in hipocaustum advertit ad lectum effigiem V. P. Gasparis Druzbicki pendentem quam semper affixam ex devotione in hunc V. Patrem habebat, inde in devotas prorumpunt voces: V. Pater Druzbicki nunc te ostende mihi et meis bonis Patronum, iussitque ter Pater et Ave in honorem eius recitari. Et quae Dei bonitas! Statim Poloni abiere in alios Suecos impetum facturi. Lata postea Dnis cum asseveratione narravit se et alios quoties aliqua afflictio sibi immineret, pallentem vultum V. P. Druzbicki advertere, laetiorem postquam eius intercessione libera a malo evaserit. Et pro tunc verosimile aliquid apparebat. Utinam Polonis non desint saltem Patrocinia Sanctorum, cum quos eligimus protectores graviores ipsis hostibus experiamur. Aluit Collegium hoc anno Personas 40 Sacerdotes 15, Scholasticos 18, Magistros 2, Domesticae rei Adiutores 5. 50 autem alere debuerat, sed aliqui non venerunt aliqui alio missi.

Annus Domini 1710

Adm: R. Patre Michaele Angelo Tamburino Generali
R. P. Adriano Miaskowski Provinciali
R. P. Martino Rakowski ad 5 Junij Rectore, deinde
R. P. Raphaele Taczanowski

Contributio frumentaria.

Quasi infelicitatum circulo praesentes anni nobis currerent, ita vel antiquae hoc anno continuabant vel novae adhuc supervenerunt calamitates. Iterum a Saxonibus frumentaria assignata contributio ex singulo fumo siliginis modij duo foeni pondo. Ex toto illam devehere debuimus partim ad villam Bycyn partim ad Tulce, inde cum magno incommodo Vielunium: et quia aliquot modios avenae in Siekierki non reddiderant subditi data est executio adeoque reddi debuerant. Expedierat R. P. Rector Varsaviam notae et toties probatae activitatis M. Theologum 2di anni, ad Regem ~~Suecorum~~ Serenissimum sed hinc per literas ad Generalem Plec a Comissario Generali parum vel nihil solatij tulit nulla alleviatio in bonis facta. Imo adhuc quasi non ex toto nos afflixissent Saxones, a 6 Polonicis Vexillis

Contributio hyberna ultra 10000 fl.

Deputati supervenerant contributionem hybernam partim detentam, partim in annum 1709 extorsuri. Ex his numeratae sunt pecuniae in universum plus quam 10 milla florenorum ut ex rationibus patet. Hos necdum ex toto contentos reddidimus cum ex fumis Saxones extorquere incipiunt pecuniariam contributionem.

Contributio ex fumis a Saxonibus indicta.

Statutum erat in Comitiolis ut a singulis fumis villarum peste non infectarum 2 ~~...~~ numerarentur Imperiales, a villis vero infectis Tymfones 5 pro uno mense. Et has ad amussim CC. Procuratores enumerare debuerant et quidem ne darent executio peremptorie. ~~Unde debitum a Jeziorensi debitum~~ Incidit

Mors P. Gasparis Smarzewski.

in hunc annum mors pie vita functi 19 Martij P. Gasparis Smarzewski qui plurimum Procuratorem egit bonorum magno cum emolumento Collegiorum ubique restaurabat collapsa, nova insuper addebat aedificia. Grzegorzewicijs Aulam et Jeziercijs eandem aulam et granarium aedificavit. Dembinae Braxatorium, quoad sanctitatem etiam morum vixit ubique ad aedificationem. Accelerasse (licet indirecte) huic Saxones mortem dicere possumus. Cum ille ex incommoda mansione in Braxatorio, ubi cedere a Rotmagistro Haik coactus habitare et insuper ex datis sibi non semel ad iram occasionibus febrim calidam traxit, inde primo ratione deinde vita motus. Imminente Majo atque Militem in Campos Martiales evocante liberandos nos a milite sperabamus et ecce cum assignatione Illustrissimi Adami Sieniawski Generalis Exercituum Ducis venit M. D. Kochin Rotmagister cum suo Vexillo levis armaturae in vim stationis hybernae pabulum pro equis et quietem praetendens ita degeneres nostri milites frigent ut semper glaciale frigus in pectore ferentes aestatem ipsam in hyemem aestivo in hyberna commutent. Exposuit R. P. Rector quod iam stativa hyberna Saxonibus extradidimus et adhuc in bonis nostris subsistunt. Acquiescere videbant rationibus proinde adijt Generalem Plec ut sibi Saxones loco cederent. Sed statutum inibi ut patrimonium Christi veluti Romani Milites vestimenta eiusdem

Pessima Poloni militis licentia.

Christi inter se dividerent cesserunt ergo ex aliquibus villis iterum in nostras Saxones, in quorum locum Poloni successerunt adeoque duplicem militem alere debuimus. In hoc Polonicus gravissimus miles quod sine praescripta mensura et modo, sine ordine omnia rapiebant, maximum damnum in Cerevisia cum etiam supra statem aliqui biberent in ipsis bonis Jeziorki ad 50 dolia Curator extradidit adhuc utcunque modesti erant quousque Rotmagister revera homo discretus Janasewicijs subsistebat sed postquam hic abiit Gedanum, non inita concordia in omnes effrenationes ruebant licentiam adeo ut nec pudori foeminarum parcerent.

R. P. Taczanowski Rector Collegii.

Tantis malis velut ipso nomine medicinam ferens supervenit R. P. Raphael Taczanowski post tot regimina Collegiorum Calissiensis, Lublinensis, Torunensis, Jaroslaviensis ad B. M. V. fasces Collegij huius prehensurus. Tradidit hos eidem 5 Junij R. P. Martinus Rakowski. Prima novi et ipsam charitatem spiranti Praesidi solicitudo ut Communitati quam optime in omnibus provideret ad restaurandam Vestiariam totus incubuit. Secundario tandem ad componendos milites vertit curam cum quibus pro 60 equis per 5 fl. pro uno equo pactum est, ad Rothmagistrum ulterior complanatio dilata et statim 8 m flo polonicalium numerata. His non contenti iterum pro 26 equis exigebant adeoque non comparente Rothmagistro sunt illis 1200 fl additi, dedimus ergo propter sustentationem in specie fl 4200 ultimis Julij a nobis abierunt cum a primis Maj apud nos substiterint Saxones vero 13 Junij ad Castra V. Generalia abierunt.

4200 fl. dant militi.

Gratior longe etiam tot annis in hoc Collegio desiderata ac votis et petita nobis affulsit praesentia R. P. Provincialis quem 27 Junij Siekierzycijs salutavimus Calissio venientem, ubi vix uno moratus die ob subitaneam duorum Scholasticorum Logicorum mortem quorum unus ~~Stanislaus~~ Alexander Boguslawski, sub idem tempus quo communitas ex more Societatis ad pedes ad R. P. Provincialem convenerat mortuus non sine signis pestilentiae.

Alexander Boguslawski mortuus.

Visitato Collegio atque relicta Personarum dispositione iterum ultimis Julij Taczanovium perrexit. Hoc praesente in Julio 6 3tij Anni Theologi Sacris initiati a Perillustri Stephano Wierzbowski.

Adryanki.

Hoc anno ad servandam majis uniformitatem in vestitu ex voluntate Admodum R. Patris Generalis ex materia dicta Sierza, non jam ex panno ut hucusque in hac Provincia moris erat Sotannas tam in hoc Collegio quam alibi induimus. Festum Sancti Patris majori frequentia nostrorum et externorum celebratum Sacram Panegyrim dicente uno ex Patribus Carmelitis antiquae observantiae, a prandijs uno e nostris Theologis quarti anni. Tandem post totius anni et duorum mensium Siekierzycensem habitationem rediit Collegium Posnaniam in pervigilio Assumptae in Caelum Virginis in ipso Festo emisit quatuor votorum P. Joannes Woyciechowski in manibus R. P. Rectoris. Apud P. P. Dominicanos in Festo S. Hyacinthi bini ex nostris Patribus Sacras dixere Panegyres excepti ab ijsdem humanissime prandio et caena.

Prima dies Septembris non aperuit Scholas, propter pestiferae contagionis in Urbe gliscentis periculum, et ad vicina Oppida et pagos latissime se protendentis. Trium hebdomadarum nonnisi spatio Collegium Personas reduces tenuit: quia malum non tam extinctum, quam sopitum, ubi recruduit, iter relegere Siekiercios atque Jeziorcios necesse fuerat. P. Stanislaus Sadowski propter impendendum obsequium antea caeptum afflatis peste, in Collegio mansit, Thomam Halinski Adjutorem strenuum in temporalibus negotiis nactus. In Festo Sanctorum Apostolorum Simonis et Judae, Ordinarij Concionatores exedras conscenderunt, populum ad poenitentiam agendam serius, ad placandam Divinam iram, jam tertio in Civitatem exardescentem promoturi, Sermonibus Festivis et Dominicalibus.

October Mensis, ut toti Palatinatui Calissiensi, ita etiam Bonis Mechlin, Dąbrowa, Luciny Contributionem atque annonam Moschis extradendam injunxerat. et ut damna cumularentur damnis; propinationem Cerevisiae, diutius grassante lue continuatam a braxatoribus Posnaniensibus, dissectis raptisque doliis impeditam effecit.

Procurator noster vapulat à milite Polono.

Josephus Wolski Procurator Pagorum, dum exorbitantias Wydzierzewiciis factas, Nobili Biegański ejusq Asseclis bene potis exaggerat, pro verbis verbera, imò etiam vulnera refert, equum amittit, inventâ solius patientiæ occasione. Diutiùs (quia Sylvæ latibula illico petiit) quisnam esset atq unde percussor, nesciebatur; sed ubi proditus à quodam Judæo, innotuit, obductio in Castro Posnaniensi facta, et post requisitionem ab uno è nostris Syngrapha ad R. P. Rectorem munita subscriptione rei, est delata, in qua satisfactio omnimoda, eaq brevi habitura effectum promittebatur. Verùm hæc dum non præstatur, devolvetur causa ad futura Judicia Castrensia Posnaniensia. Hæc quia sunt tardiora, in Consistorio Gnesnensi, contra violatorem Legum Ecclesiæ lata Excommunicatio.

Etiam Collegio dicta est dies à Nobili Zajączek, ratione (ut ipse asserit) subditi, apud nos commorantis, qui tamen ad ejus hæreditatem non pertinere, rationibus probatur multis et testimonio.

Oppressio villarum à Saxonibus et Polonis.

Saxones diebus Decembris primis, ad stativa hyberna agendo iter, calamitatem unà secum trahebant, et per pagos spargebant nostros. Tandem decimâ tertia, ut alia Spiritualium Bona, ita inundarunt et nostra. Data sunt victualia, et pro equis pabula, partim ab aula, partim à subditis, inopiâ ingenti pressis. Solutus insuper pro Novembri integro et duodecim diebus Decembris in milites singulos (erant autem: centum et septem.) florenus unus, et grossi sex. Dicta pecunia, postquam non tam accepta, quàm extorta est, et viginti dierum spatiô victualia subministrata, vivere cœpit miles de proprio, verùm pro equis pabulum, hoc est ollæ avenæ tres, fœni libræ 12. quotidie debuerunt suppeditari. Ut autem numerosiori agmine mala premerent, imò opprimerent villas, stipendiarius Polonus miles sub Rothmagistro Dño Jozefowicz advenit, habiturus stativa à Duce Exercituum Sieniawski, publico instrumento (ut vocant assignatione) præfixa.

In Residentiam Mederecensem favor et liberalitas Illustrissimi Dñi Joannis Gembicki Castellani Calissiensis 18. Tynfonum millia transfudit in Castro Posnaniensi. Speciale motivum fuerat, ut post Domicilium deductum ad apicem, aperiantur minores Scholæ, Juventutem Grammaticæ artibus imbuendam suscepturæ.

Cum Decembris et anni præsentis exitu, notabiliter cœpit de fervore remittere contagio. ideoq securitate omnimodâ habitâ tempore Festorum Natalis Domini; Nostri ex Pago Siekierki et Jeziorki remearunt feliciter ad Collegium.

Annus Domini 1711.

Adm. R. Patre Michaële Angelo Tamburino Generalî.
R. Patre Adrianô Miaskowski Provincialî.
R. Patre Raphaële Taczanowski Rectore.

Collegium Personas aluit 53. ex quibus Sacerdotes 21. Prælectores 10. nempe Grammatices 3. Humaniorum literarum 2. Philosophiæ 1. Theologiæ Speculativæ 3. Moralis et Canonum 1. Missionarios Mederecenses 2. Scholasticos Theologos 20. Reliquos Domesticæ Rei Adjutores.

Circumcisionis Domini Festum debitâ solennitate, in frequentia populi absolutum. Cecinit Sacrum Perillustris Kierski Decanus Cathedræ Posnaniensis. Hic idem adfuit Mensæ Religiosæ, cum Canonico Gnesnensi et Præposito S. Magdalenæ Wasniewicz, cum Reverdmo Priore Conventûs Coronoviensis. Perillustri Skataski Pocillatore Posnaniensi, alijsq Primariis ex Civitatis Magistratu.

Gravamina Saxonum evolvente se isto mense continuata, qui enim solutionem pecuniariam hybernam dictam variis extorserunt executionibus, juxta voluntatem Senatorum atq Nobilium ad Serenissimum Augustum Gedanum Deputatorum, ut componerent difficultates circa pensionem militi Saxonico debitam. Præfati Nobiles fuêre fons et origo nostrarum oppressionum, nam cum promisissent in Gredensibus Comitiolis summam certam Saxonibus, et hanc differrent prolixiùs; illi pecuniam usibus suis inservituram ex pagis nostris aliorumq Spiritualium emungere non desistebant, nec priùs ad Nobilitatis bona se transtulerunt, nisi acceptis circiter millibus sex, et victualibus pro 20. diebus. Et quia raro calamitas incedit solitaria, sed una est alterius semen, post abscessum Saxonum, occupaverunt exhausta bona Siekiercensia et Jeziorcensia milites è cohorte Tartarica Jozefowicz prædicti. exigentes contra ordinationem expressam Ducis in equos singulos tymfos centum et quinquaginta. Expressi itaq sunt cum copiosis pauperum lacrymis, ter mille, et ducenti tymfones. Miles acceleravit iter ad Castra ultra Leopolim evocatus ab Exercituum Supremo Duce.

Saxonibus 6000 fl. data.

3200 Tymf. dari Tartaris.

Post institutam Renovationem Votorum Juventus ad intermissa studia semiduobus annis ob pestilentiæ sævitiam, apertis Scholis, nec non Oratione, pro more, habitâ; invitabatur. Sed non numerosa aderat, usq ad Quadragesimæ Ferias. partim quia necdum Scholarum Encænia ubiq fama vulgaverat; partim quia in spolium morti cessêre in urbe, atq in oppidis adsitis plurimi. Non revocando eos ad calculum, quos Bellona Palladi rapuit, induxit Castris.

Dominica Quinquagesimæ Illustrissimum ac Reverendissimum Ignatium Gninski Episcopum Camenecensem ad Aras cum Sacro Solenni habuit. Templum selectus implevit Hospes. Devotio consueta nulla est intermissa.

Calamitatum tot, mollimentum, solam consuetudinem inveniebamus; quæ, ne res adversæ vim eandem habeant, quam primus ictus; facile efficit. Nubilo serena non successêre; repetitæ afflictioni, solatia. Vix extulêre pedem cum Jozefowicz Ductore Tartari; iterum venerunt ad Villas Saxones; tum ad stativa, tum ad exigendam contributionem de fumis 170. per 8. Imperiales solidos.

Contributio a fumis per 8 Imperiales.

Dum Civitas à Præsidiario Saxonum milite munitur, etiam Villis Collegii onus impositum: ex quatuor fumis, Rusticum unum statuendi ad laborem quatuor septimanarum, et currum ad advehenda onera providendi.

Siquidem à retroactis annis nulla stativa habebant Poloni milites in Pagis nostris, eò quod sint bona terrestria; supplicatum est Comitiolis Sredensibus, ut instantiam deferrent suam, ad Illustrissimum Ducem Adamum Sieniawski, ut Collegium liberum esset à Stativis ulterioribus. Obtenta est Instantia Nobilitatis, et inter alia puncta Ablegatis commissa, nostrorum postulatum specificatum. Et spoponderat Dux se allaturum levamen in Commissione Radomiensi; si probasset Collegium: se terrestria tenere Bona. Deducta res est evidenter Duci, ab uno è Nostris expedito ad Commissionem cum Juribus et munimentis. et jam inclinatus erat Dux ad præstandam gratiam, quæ petebatur, nisi Illmus Dönhoff Campi Dux Lithvaniæ, homo inimicissimus Societati, totum dissvasione suâ diruisset. Eâdem occasione data citatio est Vexillo Domini Jozefowicz, quod præter assignationem allatam, summam tynfonum 3300 extorsisset. ex Bonis. Negotium hoc jam agitari cœptum in Commissione Radomiensi; sed cum ad ultimatum Decretum devenisse debuerat, limitata Commissio in tempus aliud, relicto opere imperfecto. Ex quo colligitur, quàm meræ ceremoniæ sint illæ Assignationes Exercitûs Ducis, quibus vetantur milites: quidquam ex Bonis, in quibus consistunt hyeme, extorquere. Aliud etenim scribitur, aliud intimatur privatim. et sic Hybernâ contributione, et stativis gravantur Bona.

Negotium apud Illmum Ducem Exercituum de Immunitate Bonorum Terrestrium, à stativis.

Extraditâ hybernâ pensione Saxonibus, (ut supra dictum) supervenerunt Deputati Poloni, è Cohorte Magnifici Dni Zakorowski, acceptum eandem ex assignatione Supremi Ducis, expressa scripto. Opponebat requisitioni seniæ R. P. Rector solutionem præstitam Saxonico militi. Sed illi hac ratione obstante minimè descenderunt ad Pagos ibiq factis aggravationibus, extorserunt, quam prætendebant Contributionem.

Hyberna data Polono militi.

Magistratus Wschowensis et Judæi Lesnenses propter non persolutos census, citati ad Judicia Castrensia Posnaniensia. Magistratus Bannizatus et publicatus. Judæi Lesnenses compositionem amicabilem petierunt.

Mense Junio R. D. Jacobus Koszczarski, per respectum senii sui, resignavit Beneficium Curatum in Stupia; in cujus locum, cum alius Presbyter in promptu non esset; ob summam desolationem Domûs Plebanalis, et aliorum. postulavit Officium Posnaniense Ordinarium, ut Pater Socius Curatoris Pagorum, tantisper haberet curam Animarum, et omnia Sacramenta Parochianis administraret.

In Villa Stupia P. Soc. Curat. Pagorum Curam Animarum Pastorale agit.

Congregatio Provincialis Cracoviæ celebrata 15. Junii, ad hanc R. P. Rector, cum P. Michaële Cyboni, ratione Religiosi Senii pertinente, iverat postpositâ periculorum farragine, facile tunc in itinere occurrente. P. Adamus Ryben Tertiæ Lectionis Professor, Vice Rectoris fungebatur Officio.

Ante abitum immediatè R. P. Rector à Præsidiario Saxonico Milite sæpius urgebatur ad perficiendum murum, partem Meridionalem Collegii complectentem. Intimata fabrica, ut assurgeret, redux Cracoviâ Præses manum admovit artificum; pecuniæ in alios usus erogandæ non parcens.

Divisio SS. Apostolorum, Dispositionem Personarum dum attulit, ire in orbem Polonum Collegiales suo tempore fecit.

P. Franciscus Grabski 4ti anni Theologus die S. Magdalenæ Sacra, Hostiam primam ad Aras Templi Nostri litavit. et impensâ Parentis sui, Illustrissimum ac Rndissimum Suffraganeum, cum Palatinidâ Fratre, Capitaneum Kopanicensem Poninski, Wilczenski Gnesnensem Canonicum, aliosq invitatos ad Religiosam Mensam, unà cum nostrorum Communitate tractavit liberaliter.

Primitiæ P. Grabski.

In Festo D. Fundatoris Ignatij, nihil de devotione consveta est intermissum. Missam Solennem cecinit Illmus Suffraganeus. Oratores Sacros egerunt PP. è S. Dominici Familia, cum contentatione atq plausu. Hi cum præfato Rndissimo Suffraganeo, alijsq paucioribus in Triclinio moderatâ Mensâ sunt excepti.

Primis diebus Augusti Mensis expedita Persona ad Collegia. Professores et Scholastici Siekiercios ad Vacationes, à quibus reduces post Assumptionis Festum, Octiduanam solitudinem sunt ingressi Exercitijs Spiritualibus decurrendam.

Dies Divo Bartholomæo Apostolo Sacer, Illmum et Rndissmum Bartholomæum Michaëlem de Szekarzowice Tarło Episcopum Posnaniensem, ex Congregatione Missionariorum Varsaviæ assumptum, intulit Cathedræ. Auspicatissimum ingressum hunc ante Januam maximam Templi, Lubrassciana Academia breviter est gratulata. Collegium nostrum devotione terminatâ, horâ ferè quartâ pomeridianâ, ante Majus altare, oratione præmissâ Panegyrim obtulit, titulo: Fastigium; insignitam. Eodem die, nullibi audiebatur Concio, nisi in Templo Cathedrali. pro Sacris nostris perorante Perillustri Sierakowski Officiali Gnesnensi Canonico Posnaniensi. Idem silentium tenebat Cathedras alias, sequenti Dominicâ die, quâ ipse Illmus Episcopus, ad populum undiq confluentem, methodicè atq zelosè dixerat, concesseratq Indulgentiam 40. dierum.

Novus Eppus Posnan.

Concionatores silent duabus Dnicis, in ob. Templi Excepto Cathedrali.

Augusti ultima, Scholastici Anni extitit prima; nam in Renovatione Studiorum est Oratio dicta cum allusione ad Stemma Fundatoris Konarscij. Illmus

Præsul cum suo Suffraganeo, alijsq Prælatis Cathedralibus encænia hæc literarum solennissima fecit, dum aures Prolusioni primò, secundò salutationi, tum oculos Templo, Collegio animum dederat, invitatus ad Refectorium.

Serenissimus Alexiewicz hospes Posnaniæ

September, ex Valachia Torunium, inde ad nostram detulit Urbem Petrum Alexiewicz Magnum Ducem Moschoviæ, nunquam in partibus istis hospitem antea visum. Hic jam accinctus viâ in Saxoniam, curiosiùs Templi nostri primam et secundam navim, unà cum Sacellis est contemplatus, nec contentus spectasse semel, in ipsis foribus retraxit gradum, atq relegendo vestigia, avidiùs oculis omnia decurrebat. Advertit perspectivam in plano tholo depictam esse, verum illius apicem opinabatur omnino concavum, nec penicillô efformatum, ad singulare artis encomium.

Sub Securitate Judiciorum Castrensium Sremi agitatorum, compositio facta amicabilis, cum M. Dño Chudzyński Possessore Trzek. ratione concussionis et convulnerationis Twardowicz Oeconomi Wydzierzewicensis, juxta quam debuit in instanti numerare florenos   in compensationem vulnerum. Sed non stetit Compositioni; ideoq in proximo citari debet ad chartam compositionis.

Citantur nostri rustici.

Dñs Zajączek Possessor bonorum Kołaczkowo, citaverat Collegium ratione Laurentij Inquilini Siekiercensis, eò quod esset oriundus ex dicta Villa; quam dum illa seu potiùs Mater ejus emeret ab Illrma Castellana Prementensi, exceptum habuit dictum Rusticum cum Patre et alijs duobus aut tribus Fratribus. Qui proinde translatâ in Possessionem Zajączkorum Villâ per varia vagabatur, et tandem Siekiercios perveniens apud Cmetonem nostrum, famuli, aliàs za Parobka, servitium obivit, per 4. annos. Tandem illius Cmetonis filiam duxit Uxorem. atq sic meruit, ab omnibus Juris peritis in Vagos reputatus. Hoc solum restabat: ut Oeconomus Siekiercensis juraret, illum in bonis nostris annô unô et 6. hebdomadîs mansisse. atq sic Collegio adjudicaretur. Quô intellectô D. Zajączek recessit à lite.

Compositio amicabilis, ratione alterius rustici.

Dñus quoq Chłapowski Possessor Villæ Zadory omnino volebat extradi sibi Laurentium ——— Origine suâ Subditum Collegii. Sed qui duxerat uxorem, relictam Viduam Medii Cmetonis in dicta Villa. Jam illum rapuerat cum curru et duobus equis in agro Sekiercensi; et torque ferreâ constrictum tenuerat, et pro hac violentia citatus fuerat. Sed quia Juris periti non spondebant bonum successum, sed per decretum, Rusticum reddendum autumabant; sic cum Dño Chłapowski conventum est, annuente R. P. Provinciali: ut ille teneret Nostrum Subditum Matthæum Claudum de Mechlin oriundum, qui in Zadory manebat; et Collegium, Laurentium magis necessarium, quia Ministerialem creatum. Hæc compositio nullô scriptô firmata, quia sine Germanis Fratribus æqualiter ad bona Zadory spectantibus, eorumq consensu juridice id fieri non potuit. In vim pecorum et ovium, cæterarumq supellectilium cum uxore ex fundo abductarum, retinuit currum et equos duos cum loris; quorum unus Laurentij proprius fuit, alter demortui Cmetonis Januszevicienis.

Serenissimus Petrus Thorunii.

Rediit Serenissimus Moschoviæ Czarus ex Thermis et Saxonia, plurimorum molestiam secum trahens Torunium, quia alienîs equîs sine personarum delectu acceptis, vectus in itinere.

Indicta sunt victualia propter Moschos Stralsundum obsidentes in Pomerania. et quia Divisio altera cum Generale Baur tendebat ad Stetinum, subsistebatq tempore diuturniorî in suburbijs Posnaniensibus, ideo vastatæ domus, dirutæ ac combustæ;

Moschi damna multa inferunt

Sepimenta horti spectantis ad Collegium, vix non tota tradita foco, arbores non aridæ tantùm, verùm et fructiferæ excisæ, lateritiæ fornacis tectum disjectum, igniq datum, unà cum parte horrei non exigua. reliquum devectum ad Collegium, vix rapinam evasit.

Nec Villæ nostræ absq gravibus damnis. Avena, Hordeum, Fænum ferè integrum in prædam abijt. Seminationi autumnali obex positus ingens; dum Boves atq equi raperentur ad vecturas.

Solennitas S. Kostka. Eppus in ea celebrat. Concionat Canonicus.

Dicata dies B. Stanislao Kostka, Illustrissimum Episcopum solenniter ad Aras litantem S. Hostiam habuit. Concionantem Canonicum Posnaniensem et Directorem Academiæ Robertson audivit. Refectorium Hospites mensâ Religiosâ excepit. A prandiis idem Illustrissimus Antistes cum sibi assistentibus, Orationi in Templo Habitæ ab uno ex Rhetoricæ Auditoribus interfuit.

Actiones Magistrorum, in præsentia Hospitum, successu prospero absolutæ.

Serenissimi Czari Filius Alexius Petrowicz ex Saxonia redux, quòcunq iter acceleraverat, ubiq equos abducendo, homines omnîs statûs inquietabat.

8000. Equorum Moschoviticorum aluntur

Ex Pomerania Suetica pabulo destituta, equorum Moschoviticorum fere millia octo, in Palatinatum hunc sunt deducta. quæ tumultuariè primò per Villas, etiam nostras, sparsa cum 500. militibus, subditos plurimùm afflixerunt. Tandem per dispartitionem locata, de onere detraxerunt parum; Nobilitate in Spiritualium Bona maximam partem præfati gregis devolvente.

Parvi Actus à Theologis Scholasticis S. instituti, oppugnantibus propositas theses varijs Religiosîs.

Ducissa Brunsvicensis Neo-Consors Filii Czari gravia Posnaniæ infert incommoda.

Szarletta Ducissa Brunsvicensis et Luneburgensis, Neo-Consors præfati Filii Czari è Saxonia Torunium ivit. afflictionem addens necdum sopitæ afflictioni in populo, toties subministrante equos, quibus etiam Posnaniam cum multis curribus est ingressa. Constitit dierum duarum spatiô in hac urbe; interea conquirebantur à Moschis equi onera tracturi Torunium. Inventi etiam in nostro Collegio, aliquot, ductiq sunt ad evehendos hospites tantos.

Diem S. Francisco Xaverio Sacram, ornavit præsentiâ Illustrissimi Episcopi Posnaniensis, celebrantis ad Altare Divi, in assistentia Canonicorum aliquot, et Cleri.

Festum Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis, à Congregatione Media, Processione splendidâ, Oratione publicâ, alijsq devotionibûs adornatum. Sed non sine impedimento à supplicationibus 40. horarum in Templo Parochiali.

Nostri, Curati vices supplent Siekiercîis.

Post præfatum Festum Illustrissimus Episcopus Varsaviam movit; in Kostrzyn oppido à Reverendo Dño Waryski informatus, quòd Parochia Siekiercensis careat Curato. Inde sine mora expediit Antistes literas ad Generalem Vicarium suum, ut ex Reverendo Patre Rectore intelligeret: quâ authoritate et valore Sacerdotes nostri Parochialia administrent. Quod cum pervenisset ad notitiam Collegii Præsidis, adiit ultro Illustrissimum Suffraganeum Wierzbowski, ostenditq nostros in defectu Parochi administrare Sacramenta, authoritate factâ ab Ordinaria potestate, pro qua multoties supplicarunt Rectores Collegii Posnaniensis, imò etiam ultro hanc operam expetebant Ordinarij, ne Parochia Siekiercensis careret animarum curâ. Addidit deinde R. P. Rector: se multum desiderare, ut aliquis Parochus ad illam Ecclesiam constitueretur; ceterum, antequam aliquis inveniatur Presbyter, qui pauperis illius Ecclesiæ curam suscipere velit; exquisivit R. P. Rector: placeretne Illrmo Episcopo, et suo Vicario in Spiritualibus, ut Collegium pergat in administratione Sacramentorum, et labore circa animas. Respondit Illrmus Suffraganeus: sibi non tantùm placere, sed etiam obsecrare obnixè: ut Sacerdotes nostri ad illam Ecclesiam à Superioribus deputati vel deputandi, agant tamdiu omnia Parochialia, quamdiu vacabit illud tenue Beneficium.

Annus 1712.

Sub Admodum R. P. Michaële Angelo Tamburino Præposito Generali.
Rndo Patre Adriano Miaskowski Provinciali
Rndo Patre Raphaële Taczanowski Rectore.

Collegium hôc annô alebat Personas 55. è quibus Sacerdotes 22. ex quibus Prælectores 10. nempe Grammatices 3. Humaniorum Literarum 2. Philosophiæ 2. Theologiæ Speculativæ 3. Moralis et Canonum 1. Scholasticos Theologos 25. Reliquos Domesticæ rei Adjutores.

Solennitas Circumcisionis Dni absoluta à Nostris, excusante celebrationem Sacri Illustrissimo Suffraganeo, ob defectum valetudinis. Renovatio Votorum Dominicâ II. post Epiphaniam instructa.

Oppressio Moschovitica, Valachica.

Moschovitico dum gravamur exercitu; ex assignatione Illustrissimi Ducis venit Vexillum Valachicum, hybernalem consistentiam in Collegii bonis habiturum. Hoc, cùm non admitteretur ab exotico milite, recurrerat ad Majorem Jesupow, extendentem regimen ad Moschos subsistentes in pagis nostris, et sic occupavit Stativa. Ut autem calamitas una, esset parens alterius, oneribus tam numerosis, additum onus, Fumalis Contributio in Consilio Varsaviensi decreta, quæ ad millia duo excrescebat. juxta Tariffam anni 1661.

Contributio fumalis ad 2000. fl. excrescens.

Purificatio Beatæ Virginis à Congregatione minima, Processione numerosâ, Oratione, Concionibus &c. celebrata.

Judæi Lesnenses cum Collegio Nostro convenêre ratione censûs pertinentis ad Collegium et Bursam Musicorum; Instrumentum authenticum invenietur inter Jura.

Bacchanalium tempore, nihil de usitata devotione est intermissum; item in Dominicis totius Quadragesimæ; in qua venerunt Saxones, exigentes ex Bonis Spiritualium, nostrisq, unam metretam siliginis à fumo extradendam; vel pro illa Tinfos 8. juxta tariffam maximam, hoc est anni 1661. Durabat executio in parte Jeziorcensi Septimanis 4. tandem post absumpta pabula, damna illata plurima, acceptæ à Saxonibus 110. metretæ siliginis in prædio.

110. metretæ siliginis datæ Saxonibus.

Prædæ in Comitiolis ad Generalia Regni Comitia prævijs, nomine hujus Collegij reddita est Panegyris à P. Professore Rhetorices, Illustrissimo Andreæ Radomicki, non ita pridem ex Palatino Calissiensi, creato Palatino Posnaniensi.

Post Festa Paschatis, indicta contributio ex singulis fumis per tres Imperiales Solidos. juxta tariffam anni 1682.

R. P. Taczanowski Provincialis creatur.

Post Collegij Calissiensis Lublinensis Torunensis, Jaroslaviensis, Domûs 3tiæ Probationis, et Posnaniensis Regimen, R. P. Raphaëli Taczanowski totius Provinciæ sunt delati Fasces, quos ut assumeret, Cracoviam promovit iter. Patrem Stokowski Ministrum Vice Rectorem declaravit in abitu.

Murus latus areæ claudens et ante annos 10 et amplius ædificari captus cùm consensu Magistratus totius, ultimam accepit in Majo manum.

Junius. Diem 8vam Junij festam esse notavimus quia R. P. Adrianum Miaskowski triennio Præsidem Collegij hujus, deinde post Rectoratû Cracoviensem ad S. Petrum et Provincialatum gloriosissimo obitum, accepimus moderatorem venientem Cracoviâ. Sic Magna Nomina Religionis succedunt Magnis.

R. P. Joannes Riccius Missionarius Castrensis Copiarum S. C. M.

P. Joannes Riccius Concionator Germanorum ad Missionem Castrensem abijt in Pomeraniam, mansitq Dersij ad latus Illmi Generalis Geszoff, Præsidiarii milite Cæsareæ Majestatis tunc gubernantis.

Ejusdem mensis decima quarta C. Gregorius Mędrzynski vota Simplicia Coadjutorum Temporalium fecit; cælo nec non Religioni se obligavit his sacris vinculis.

Principes Dolhoruckii salutantur.

Ad structuram Templi Nostri spectandam plurimi de exercitu Saxonico et Moschovitico confluebant quotidie, inter quos erat Princeps Dolhoruki Czareus Generalis. Hic à R. P. Rectore, Personis Collegij, non tantum salutatus in Templo, verùm et ad Collegium est invitatus. Abijt animi grati relinquendo indicia. Pari humanitate susceptus alter Celsmus Princeps Dolhoruki Plenipotentiarius Czareæ Majestatis.

Generalis Replin gravis nostris bonis.

Hospitibus gratis successit molestissimus Generalis Replin, qui per milites suos Bona Collegij visitaverat sæpius, atq ex pagis vecturas extorserat. Dati sunt equi curribus juncti ad victualia deferenda Posnaniâ in Pomeraniam ast à rapaci non vindicati manu, frequentissimis precibus atq instantijs.

Literæ Præsentationis ad Beneficium Stupense datæ à Nostris.

Julius. Præsentis 6tâ ad Beneficium Stupense datæ sunt Literæ Præsentationis à R. P. Rectore, AdmRD. Laurentio Borucki. Interim dum Spiritualis in animabus impeditur jactura, Executio militaris Polona, temporalia vexabat Mechlini Bona.

Recurrente Julij 14tâ in Seraphici Doctoris Bonaventuræ laudes oratio habita à Scholastico Theologo in Templo Patrum Franciscanorum.

Ad R. P. Torunensem Rectorem expedita est Informatio de summa quindecim millium florenorum locata à Collegio Posnaniensi in Tslibowo terræ Dobrzynensis Pago, accepta ex Historia Collegij Nostri sub Anno 1668 tum ex Rationibus, Resignationibus Antiquioribus deficiente memoriâ recentiori. Extradita citatio à R. P. Rectore ad Tribunal Regni præsentibus Tslibowo villæ possessoribus.

Illmus Suffraganeus Posnaniensis Wierzbowski moritur.

Eripuerant fata Nona Maij Illrsmum et Revdsmum Hieronymum Wierzbowski Episcopum Hessensem, Suffraganeum, Præpositum, et Officialem Posnaniensem, Diœcesis singularissimum Decus Pietatis exemplar, amicum Societatis (quadraginta annorum spatio) maximum. Hujus ut labores gravissimos in ordinibus conferendis sacris, alijsq occasionibus gratum recenseret Collegium unus ex Eloquentiæ Auditoribus Orationem Panegyricam dixit, in qua ostendit, nihil unquam incipientem nisi ab Aris, nihil agentem nisi pro Aris, non alibi stantem quam ad Aras Præsulem. Interfuêre Cathedrales Prælati, Magistratus, Posnaniensis Clerus frequentior.

R. P. Krusinski recognoscit Posnaniæ beneficium V. P. Morawski.

Pater Joannes Krusinski Missionarius Persicus venerat ad Beneficium recognoscendum acceptæ valetudinis in letali infirmitate post Invocatam Intercessionem R. P. Joannis Morawski Religiosæ vitæ exactissimæ norma opinione plurimorum etiam sæcularium, viri Probissimi Integerrimi.

Illmus Szaniawski Epps Cujaviensis salutatur.

Accepêre hospitem magnum Collegij ædes Illrmum et Rndsmum D. Constantinum Szaniawski Antistitem Cujaviensem. Hic ab uno de nostris numerosaq Juventute scholarum salutatus in templo, 3tij Anni Theologos 6 ad majores promovit ordines singulari affectu.

Primitiæ Nostrorum in Festo S. Ignatii.

Dies dicata D. Ignatio solennissima extitit. Quinque Theologi Scholastici Nostri primam Hostiam Deo obtulêre ad Aras. Sextus in Templo S. Benedicti Religiosarum. Magnum cecinit Sa-

crum præfatus Præsul, ordinavit Religiosos et seculares Clericos in Subdiaconos, atq̀ Diaconos. Religiosæ adfuêre mensæ in Refectorio Illrsmus Szaniawski. Perillris Arcemberski Præpositus Cathedralis Posnaniensis Reverndsmus Confessarius Serensmi Regis Augusti Illrsmus Ossolinski Regens Cancellariæ Regni, Illrsmus Generalis Hijaw de exercitu Saxonum, Perillris Złatawski Pocillator Posnaniensis Perillris Bliwerniz Commissarius Generalis Regius, Perillris Potocki Vice Colonellus Saxonicus. Mgficq D. Superintendens Zelonicorum, Perillris Chmielowski Canonicus et Secretarius Episcopalis, Perillris Chroscinski Canonicus et Præpositus ad S. Martinum. Admodum Rndus Decanus et Sacellanus Collegiatæ Divæ Magdalenæ. Conclusit Devotionem refertissimam populo, extero milite, citatus Supra Cathedralis Præpositus.

Hospites magni, tractati in Refectorio.

Augustus. Inita est calculatio cù Perillri Bliwerniz Commissario Generali Regio, ratione Contributionis (ut vulgo dicit) Capitalis, ad quam redacti sunt tres imperiales solidi antea enumerati. Præterea solutum est et pro Bonis in Palatinatu Calissiensi positis, nihilominus obligatio mansit faciendæ Nobis restitutionis saltem florenorum mille Polonicorum.

Calculatio ràe Contributionis, facta Commissario Regio.

R. P. Rector visitaverat Illrmum et Rndsmi Sierakowski Præsidem Tribunalis Regni, et Perillrem Hierski Officialem Posnaniense: ab utroq̀ impetravit approbationem ad Confessiones excipiendas in Archidiœsi, et Diœcesi Posnaniensi, Benedictionem simul pro Concionatoribus juxta Tridentini Concilij formam.

Institutæ exequiæ in Templo nostro die 13 præsentis pro Magnifica ac Generosa Dnâ Anna Ossolinska hic tumulata.

Negotium compositum est ratione Censuum detentorum ex villa Nagradowice, cum Vicarijs Cathedralis Ecclesiæ.

In decursu mensis Jeziorcensia Bona vexabant ab Executione Saxonicorum militum dictorum Drabanci, extorquente viginti metretas siliginis novem currus fœni.

Ultima hujus oratio habita à P. Rhetorices, studiorum encœnia celebrans.

September. Oneribus onus accumulatum imposita enim est Contributio nova Collegij pagis, scilicet singulis fumis metretæ siliginis singulæ, prætea fœnum, stramen sectum, et integrum.

Nova Contributio.

Argentea supellex Templi, ante aliquot annos avidæ subtracta manui telluri tradita Siekiercensi effossa est, post laborem hebdomadæ aliquot villanorum.

Hyberna pensio persoluta Polono militi pro Anno 1712 accepta Quietatio.

November. Theses ex Logica Illrsmo Generali et Commendanti Urbis Gaspari Zeydlic dedicatæ, interfuit defensioni cum numeroso comitatu Officialium Saxonicorum.

Theses ex Logica dedicatæ Generali Zeydlic.

Anniversaria dies B. Hostiæ admovit Aris Perillrem Wasniewicz Canonicum Gnesnensem Præpositum Collegiatæ ad Sacrum decantandum solenne. Refectorium tenuit aliquot hospites.

December. Cum Civitate Medzecensi tractatum est circa summam octodecim millium Tynforum Residentiæ illius loci inscriptorum ab Illrsmo Gembicki Castellano Naklensi, sed neq̀ Census neq̀ originalis summa refusa est.

Festum immaculatæ Conceptionis B. V. solita Devotione, Processione splendida oratione dicta est celebratum à Media Congregatione.

Post Pervigilium Nativitatis Dni hora 3tiâ Noctis, intravit Urbem Serenissimus Augustus ex Pomerania redux. Ipsa Natali die, Templo nostro intulit cum Assistentia Officialium tria audivit sacra celebrata in sacello S. Crucis à Perillri et Revrdsmo Arcemberski. Devotione terminata salutatus à Nostro: respondit Illrsmus Andreas Radomicki Palatinus Posnaniensis latino idiomate, protulitq̀ multa in laudem Societatis.

Serenissimus Augustus redit ex Pomerania. Salutatus à nostris et.

Annus hic fatalis erat animalibus, nonsolum enim in Majori Polonia, Prussia, Russia, sed et in alijs Regni Nostri Provincijs vaccæ et boves sublati peste, cum ingenti jactura œconomiæ. In Bonis Siekiercensibus et Jeziorcensibus Divinâ Specialissima gratia pecora servata sunt, cum admiratione vicinitatum.

Pestis in Animalia sævit.

Annus 1713

Sub Generali Admodum R. P. Michaële Angelo Tamburino

Provinciali R. P. Raphaële Taczanowski

Rectore R. P. Adriano Miaskowski.

Collegium Personas hoc anno aluit 55, è quibus Sacerdotes 16 Theologi Scholastici 24, Magistri Scholarum 4 Fratres Coadjutores 11.

Solennissima Societati dies Circumcisionis Domini Devotione obita debitâ.

In Mensis exitu venêre milites ex signis Illrmi Chomentowski Palatini Massoviæ cum assignatione à Supremo Exercituum Duce extradita, pro Consistentia hyemali, steteruntq̀ in Villis paratam requirendo pecuniam. Deliberatum an ex Nostris aliquis non esset expediendus ad Illrsmum Ducem Varsaviam sed quia incertus fuerat favor, longior mora non sanare malum sed augere videbatur, propter quotidianas, easq̀ graves expensas in victualia; avenam fœnum etc. etc. R. P. Rector conventione facta persolvit 4tòr millia et ducentos florenos. Et sic à gravissimo jugo exhaustum populum eliberavit.

Exercitui Illrmi Chomentowski data à Nris 4200 fl.

Februarius. Purificatæ Virginis luce, solita instituta devotio in frequentia populi Confessionibus expiati, synaxi refecti sacrâ. Congregatio minima excitatos ab universa Ecclesia ignes frequentissimis facibus audit in bina Processione, octavam integram concentu Musico decoravit et Oratione.

Illrsmus Generalis Geszoff cum Consorte sua de Familia Ossolinsciorum ex Pomerania redux, in Templo est salutatus à Scholis Nostris, latinâ linguâ et Patriâ.

Tres Bacchanaliorum dies cantatis Missis vesperis, Concionibus, Processione, in Populi magna frequentia, de profanis redditi sacri.

Martius.

Hoc Mense eripuerant fata Humanitatis Scholæ M. ac S. Dnul Franciscum loo=

decki, qui in nostro Templo splendidum funus & tumulum reperit.

Mors Michaëlis Lang.

Ultimâ Martii diem extremum attulit Michaëli Lang Coadjutori Temporali exemplarem agenti vitam, pro Collegiorum bonis atq; emolumentis laboranti strenue, ac indefesse, etiam in ætate declivi.

Aprilis Sabbato magno Processioni habitæ in templo nostro assistebant praecipui ex Collegialibus triumphosq; resurgenti de Sepulchro Numini accumulabant in confluxu non pauco populi.

Majus. Contributio Capitalis est persoluta pro omnibus pagis in Palatinatu Posnaniensi existentibus. Sed dum unum excutitur onus de humeris fatiscentium Subditorum, alterum pressit nonnulla Collegii bona silicet Saxonica executio.

Canonizat. Pii V.

Retulerat in Sanctorum Catalogum Clemens XI Pium Quintum Nobisq; occasionem obtulerat testandi obsequia addictissimo olim Societati nostræ Pontifici. Excurrebat in laudes Neosancti Pater Concionator noster in Ecclesia PP. Dominicanorum tempore matutino, post meridiem eidem Oratio Soluta dicta à Magistro Poëseos.

Exequiæ pro anima Castellani Naklensis.

Currentis 16 in Sacris ædibus nostris celebratæ exequiæ Illmi Dni Stanislai Gembicki Castellani Naklensis Amici Societatis Optimi et Benefactoris singularissimi Residentiæ Mederacensis. Sacrum funebre cecinit Perill. et Rdmus Zbijewski Decanus Posnaniensis. Panegyricus linguâ Vernaculâ editus Illmæ Castellanæ de Domo Poninskiorum relictæ viduæ dedicatus.

Hortus Suburbanus sub tempus Oppugnationis Urbis, vastatus dirutus fossâ circumdatus virgultis septus.

Petri Tarlo Suffraganei Posnan. Salutatio.

Junius. Illmus et Rdssimus Petrus Tarlo Episcopus Claudiopolitanus Suffraganeus Posnaniensis in plenio honoris aditu Collegii totius nomine à Patre Rhetoricæ Scholisque inferioribus Salutatus.

Piotrowo Villa ab annis aliquot desolationi subjecta nunc re œconomica notabiliter aucta, stagnis piscinis expurgatis et pneumatica molâ erecta est impensis Collegii, Solicitudine Præsidis indefessâ.

Cum Judæis Posnaniensibus recognitio Judicium instituta, ex qua Originalis summa major apparuit.

Solennitatem Octavæ Corporis Xti Processione in Templo nostro conclusit Illmus Suffraganeus.

Julius. In Ecclesia Cathedrali præsente Illmo et Rdssmo Capitulo Posnaniensi reddita Panegyris præfato Suffraganeo Sacris applaudens Fastibus. Juventus Scholarum Anniversarium diem Tutelaris Petri gratulata.

Oratio in laudem D. Bonaventuræ dicta ab Auditore Theologiæ in Ecclesia PP. Franciscanorum.

Primitiæ celebratæ ad aras nostras à tribus Patribus 4ti anni Theologiæ, à 4to apud Moniales S. Teresiæ, à 5to apud Moniales D. Benedicti Cassinenses.

In Festo S. Ignatii Concio dicta ante magnum Sacrum cur?

In festo S. Patris Ignatii Concio debuerat dici ante Sacrum Cantatum ex eo quod Perill. Valentinus Arcemberski Præpositus Cathedralis Posnaniensis invitatus ad decantandam Missam voluerit ut P. Concionator noster à se benedictionem postularet si intra Sacrum Concio diceretur, tandem prætensionem invenit Sacer Orator noster apud PP. Reformatos in festo B. Virginis de Portiuncula facturus verba. Interfuit Religiosa mensæ præfatus Rdssmus Arcemberski, Rdssmus Głoskowski Archidiaconus Posn: Rdmus Zarnowski Canonicus Posnan: Perill. Procopius Zakrzewski Vexilli Dapifer et Surrogatus Judex Posnan. Perill. Skarawski Sigillifer Lanciciensis et Notarius Castrensis Posn. Perill. Joannes Miaskowski Judex Surrogatus Toschon cillator Posnan. Perill. Joannes Miaskowski Judex Surrogatus Toschon cum suo Fratre M. D. Zbijewski M. D. Zdrzychowski M. D. Luboreński terminavit devotionem Rdssmus Zarnowski.

Hoc anno Studiosorum numerus ad 638 extendebatur Senatorum, officialium et Nobilitatis flore supra Collegia alia decoratus.

Miro casu tollitur è vivis (Md. Zgrzynski) cum à sanguineis revocaret proposito ingrediendi Societatem.

Augustus. Secundâ hujus tragicum attulit casum Josephus Zgrzynski nobilibus Parentibus natus Juvenis talentorum magnorum auditor Rhetoricæ admissionem ad nostram Religionem à Provinciali Præside in aprili expetiit, unà cum fratre minore natu obtinuit; in Dulci Parentis notitiam ubi hæc venit fama (et consilio unius nobilis hominis levissimi et scandalosi) illico arripuit Posnaniam iter inopinato domum filios admissos duxit varias adhibuit artes ad præconceptum Spiritum depellendum. Minis blanditiæ miscebantur dissuasionibus promissa, spargebantur commenta Religionem nostram odiosam reddentia su…

strabantur equi, bombardæ, alia, quæ Juventutem exhilarare, revocareque possent à proposito. Dum ergo in Villa tertio Fratri ætate minimo plodituro in Campos Sclopetum globis minoribus onerat, dum supra Lodicem sine ferramento inferiori vulgo antaba dicto reponit diligentissime perficit cœpta (in præsentia Matris nobis bene affectæ monita dantis de cauto agendi modo) attrahit fistulam ipso motu exonerat vulnus lethale in pectore accipit illico corruit, et nulla prodita voce sine mora exspirat cum ingenti Parentum luctu lachrimis Continuaque Confessione pœnæ illatæ sibi pro repugnantia Voluntati Divinæ.

Excursus Saxonicus.

Numerosus Exercitus Saxonicus inundavit Majorem Poloniam pecuniam à singulis extorquens summis, inferens damna, iter arripuit in minorem Poloniam, Russiam Volhyniam Lithvaniam relictis legionibus aliquot in nostris Palatinatibus.

R. P. Noskowski Professio.

Assumptionis Beatissimæ die, Professionem Votorum 4. instituit P. Franciscus Noskowski. Gradum Coadjutorum temporalium Laurentius Hiert.

September. Causa Collegii in Judiciis Castrensibus agitata cum Judæis Posnaniensibus objectæ illis Condemnata aliquot processus ulterior Causæ est in suspenso.

October. Vestis argentea comparata S. Francisco Xaverio ex eleemosynis partim nostrorum partim ex Collegii liberalitate apposita tanquam votivum anathema ejusdem imagini in Suchorzensi Templo, ad impetrandam conservationem pecorum, grassante lue in Pecuniis. Et servavit Dominus animalia in nostris Villis excepto pago Nagradowice atq; Dąbrowa, ubi plus quam 40 interiere. Vestita imago præfati Sancti in est sic applicata loco ut transferri in possit ad Collegium volentibus Superioribus.

Tariffa cudebatur pro Mostkis in Palatinatu, à R. P. Rectore exquisita diligentia facta, ne multitudine fumorum, gravarentur imo opprimerentur exhausti Subditi.

Cum in exiguo Collegii commodo prope braxatorium parata piscina minor 4. alias 2 Brynie pro piscibus conservandis.

November. Diem Beato Stanislao dicatam pontificaliter habito Sacro adornavit Illustrissimus Suffraganeus pro nostris Sacris peroravit Ordinarius Concionator Patrum Prædicatorum. Assedit Mensæ in Refectorio memoratus Suffraganeus Perill. Zbijewski Decanus Posnaniensis Perill. Malinowski Canonicus Posnaniensis Admodum Rdus Prior Dominicanorum cum Concionatore. Perillustris Dziatynski qui eadem die tonsuram primam in nostro Templo acceperat et Magnificus ac Generosissimus Dominus Michael Miaskowski.

December. In Sacello Germanico Festum Sanctæ Barbaræ devotione singulari est decoratum concursu Populi Concionibus tribus. Festum S. Francisci Xaverii in hanc diem propter Dominicam primam Adventus ponentem ebrum cum omni Solennitate et indulgentia est translatum.

Immaculata Conceptio Beatæ Virginis à Congregatione media Processione Oratione panegyrica, pietatis officiis obita fervorem affectus testata Sodalitas Quensi Polis numerosis cultum ornamentis exquisite elaboratis altari adjectis.

Ex decreto Tribunalitio Bona, Tulibowo et Slewo, nobis tradita.

Hoc Anno ex Decreto Tribunalitio # ~~Lublino~~ obtento tradita nobis bona judicio Tulibowo et Slewo in Terra Dobrynensi sita. Posteri informationem hæc annotantur. Summa Capitalis in præfatis bonis inscripta est. 15000 florenorum Polonicalium Anno 1688 mense Junio à Perillustri et Rdsmo Ludovico Tulibowski protunc Canonico Plocensi et Judice Deputato ad Tribunal Regni. Inscripta autem hæc occasione quod à Collegio per manus R. P. Doe tunc Rectoris accepit

Petricoviæ Fer: 6 post in vocavit 1753.

numeratam Summam 12000. florenorum collectam ex Summa 10000. florenorum Regrecyana de Curia Civitatis Posnaniensis levata et ex Summa 2000 florenorum quam Collegium rite Censuum retentorum ex propria acceperat. Huic Summae addiderat Perill. Canonicus de propria Summam 2000 florenorum quam inscripsit Collegio Occasione funeris Illustrissimae Castellanae Camenecensis Parentis suae in Templo nostro. Cum Summa 12000. florenorum Census Annuatim solvi debuit cum hac enim obligatione est numerata. Informatio ista desumpta est ex Historia Collegii scripta manu ipsius R. P. Dni Quintex resignatum ex Historia Collegii scripta manu ipsius R. D. Praedecessorum ac etiam rationibus Collegii in quibus Summa Censuales sunt annotata. Sequenti anno in restaurationem acceptorum bonorum dati sunt plus quam mille tynfones et ex Collegio expediti Unus ad rem oeconomicam administrandam, alter Socius Curatoris.

Annus 1771.

Sub Admodum Rdo Pe Nostro Michaele Angelo Tamburino Generali.

Reverendo Pe Raphaele Taczanowski Provinciali.

Reverendo Pe Adriano Miaskowski Rectore.

Januarius 1. Eminentissimo Dni Perillustrem Wasniewicz Canonicum Gnesnensem Praepositum S. Magdalenae ad aras Sacrum Occinentem habuerat. Eundem ad Mensam in Refectorio cum Colonello Artilleriae Saxonicae et Vice Colonello Ober Quartier Magistro in loco Commissarii constituto ac Magnifico ac Spectabili Dno Michaele Miaskowski.

Redditus Anni Circulus onera parabat nobis hic imposuerat nam Saxonico militi partim Collegium partim subditorum inopia persolvit fumalia ratione 7790. Tynfonibus. Moleptis pro farina expendit 1910. tynfones et grossos 15. Legioni Generalis Fleming 300. florenos, Saxonibus pro siligine 600. florenos Polonicales militi Polono 3000 Contributionem hybernalis. Item militi nostro pro Stativis 3400 tynfones Summa excrevit ad 20794. currentis monetae ni revocando ad calculum numerosissima damna a Cohortibus illata transeuntibus, a Saxonicis executionibus frequentioribus. Juramentum a Subditis nostris super damna, depositum in Castro Posnaniensi.

Summa Contributionum in varios milites. 20794. fl.

1. Ex Magnifica Dna Ursula Broniewska inscripta Summa septem millium florenorum in bonis Pudliszki Perill. magnifici Domini Georgii Unrug Subdapiferi Wschovensis et recognita cum Provisionibus decem a Centum. Pro ista Summa et ejus Censibus defuncto Dno Georgio Unrug agebatur causa in Tribunali Petricoviensi peracta executio in bonis Pudliszki. Remissa ab executione ablam Petricoviam sed cum Creditores plurimi ceterent Conducta nec paria Solutioni essent, convenere in Unum arbitrique electus ad taxam bonorum coacti et calculatione debitorum, unicuique de ipsa Summa remittente censibus omissis integris. Agitabatur itaque amicabilis Compositio et de nobis sine nobis agebas clandestine et fuisset actum, nisi amicorum benevolentia compellatione R. P. Rector moneretur, jam enim ad finem concludendae optatissimae sibi concordiae vergebat negotium sed in nostrum Ecclesiaeque nostrae dispendium. Adiit P. Procurator Causarum consessum concordantium jus Collegii ad bona Pudliszki exhibens in quibus dicta Summa inscripta. Urgetur ut Collegium de Summa Originali e templo aliorum Creditorum demittat nulla id ratione fieri posse reponit. Itaque diguntur amici e medio eorum ad P. Rectorem expediuntur sed idem retulere responsum scilicet non posse se id praestare ut alteri aliqua bonis Ecclesiae inferatur. Significatum id Consessui illi et ab aliquibus addictis minis, turbator amicissimae Concordiae P. Procurator Causarum est proclamatus. Dum ergo sic evanuit molestium ad Tribunal Regni cum Heredibus et Successoribus possessores

7000. inscripta a M. Broniewska, super bonis Pudliszki translata in Bona Karez

pensata Judiis et adjudicata etiam nobis per Decretum Intimato praetea Condescensio ad eadem bona Castrorum trium Officialibus a quibus Summae Creditorum sunt combinatae taxata bona divisaque inter illos qui antiquiora exhibuere debita. Nostra Summa millium septem in Bona Karez Perill. magnifici Dni Ludovici Kotlinski Vexilliferi Posnaniensis Vigore Decreti novi in eadem Condescensione formati est translata. Census a multis annis ni percestus intercidit, alia etiam Summa Originalis eaque notabilissima.

Aprilis. Data Citao a Collegio nostro ad Judicia Castrensia Posnaniensia Illmo Dno Adamo Pawlowski, Castellano Biechoviensi, ratione non persolutorum censuum a Summa Tramperzynsciana Talionem quasi reddendo debitor, omisso immediato foro, ad Tribunal Regni nos evocavit una cum P. Martino Trzemperzynski, nullitati reddendo inscriptionem factam Collegio, octoginta 5 millium flor. Polonicalium, utpote (ejus judicio) juri naturali, justitiae nonconvenientem, conservationem Domus diminuentem.

Negotium ratione Summae M. P. Trzemperzynski 85000.

Hoc Mense R. P. Eliseus, natione Belga, ordinis B. MARIAE Virginis de Monte Carmelo obiit, probitate vitae, Scientia Theologica, affectu in Societatem Clarissimus. Ille annorum decursu plurium, omnibus fere Disputationibus, in comitatu Discipulorum intererat, propositas theses oppugnaverat saepius, vir vivacis ingenii, etiam in provecta aetate. Erant per tempus aliquod, aliorum Lectorum Animi, alienati a Scholis Nostris, ille indissolubili concordiae vinculo, tenebat. Auxerunt notabiliter Nostri Sacrificiorum numerum in funere, et ut diei unius Spatio, gratitudo non clauderet, sequenti luce in Templo praefati Ordinis instituta a nostris exequia, Funebre Sacrum a Praefecto Studiorum Cantatio, nobis tulere Suffragia lecta cum aedificatione Religiosorum non exigua.

Nostri Exequias insistunt amico Soc. Carmel. Calc. Belgae.

Majus. M. D. Josephus Zbijewski, et M. D. Michael Miaskowski invitati sunt a R. P. Praeside, ut in causis Colle: convenirent. Perill. M. D. Sigismundi Dzialynski, nostraque jura communicarent, quibus Status Dni provenit. Currentis 9, R. P. Rector in Castro Posnaniensi quietavit ex persolutis censibus ad Annum 1775 includendo S. Joannem Baptistam Illre M. D. Swardowski.

Ejusdem 14 peractum funus, variis artefactis, picturis, trophaeis, concione adornatum, M. Dni Josephi Maj Commilitonis de Sejmis Illmi Castellani Siradiensis Deputati ad Nostra Bona pro Stativis. 16 Ejusdem eductum funus Mcae Dnae Catharinae Pawlowska Parentis unius e Personis Collegii, illius corpus Nostrorum manibus humerisque e illatum Sepulchro.

Junius. Judaeis Senioribus Posnaniensibus dati in censum floreni quingenti a Pllri M. Dna Butakowska in auctionem fundationis pro Anniversario Filii in Templo Nostro tumulati. Accepta ab ipsis est Syngrapha obligatoria. Eadem die Subditi partis Jeziorcensis deposuere juramentum, de damnis, per milites Polonos illatis: factaque est contra eosdem protestatio.

In Octava Corporis Xti concludebat devotionem Perllris et Rssmus Dnus Kaznowski Canonicus, et Judex Surrogatus Posnaniensis.

Ad Comitiola Sredensia datae Supplices literae nomine Collegii, exponentes onera Contributionum variarum per Solutionem geminam, militi Saxonico, et Polono. Summae supra citatae, contra conventionem, factam Varsaviae a Commissariis Serenissimi Regis et Celsissimi Ducis Exercituum Poloniae: implorata Epistola instantialis ad dictum Ducem, nobis nostrisque bonis, reddendum faventiorem Annis Sequentibus. Lectae in consessu Nobilitatis toto, sed quia haec Comitiola, non sunt sortita optatum exitum, spes sunt dilatae.

Die Beati Aloysii in Templo Nostro Illmus et Rdssmus Suffraganeus ad Altare minus celebravit, Ordinemq Subdiaconatus contulit 5ue Nostris, tertii Anni Theologis. Post dies 10 creavit Diaconos in eodem Beati Stanislai Sacello. Finito Sacro à Juventute Scholarum gratulatorias orationes D: Tutelaris Petri accepit.

Julius. Præsentis 6ta cū Judæis Posnaniens facta compositio circa census, quos post calculationem cum R P Rakowski olim Rectore hujg Collegii, et alteram calculationē cum R P Taczanowski debebant Collegio, ex censu redintegrata Summa 15000 à Perillustri Dnā Bułakowska data, à qua avulsa fuerant 3tia millia in fabricam templi and Collegii, receptæ quietationes, aliquæ datæ, et Obligatoriæ acceptæ chartæ à Judæis. Circa reliquos retentos census, conventio facta ut floreni 4204 — 18 exsolvant per Ratas certis anni Festis, pro unaquaq dando florenos 250.

Compositio cum Judæis ratione Censûs.

Decima, Compositū est negotiū à R P Rectore, ratione retentorū censuū ex Villa Piotrowy, qui solvi debent Sacello Gostomiano Sredensi.

Oratio Panegyrica de S: Bonaventura dicta in Ecclesia PP Franciscanorū à primi Anni Theologo.

15. In Templo Nostro primum [illegible], 3 Neo-Presbyteri 4tus apud PP Carmelitas Discalceatos In Festo BV de Monte Carmelo. 5tus Apud Religiosas Virgines S: Teresiæ.

Dicata luce Sancto Ignatio Concionem Panegyricam dixit ad populum Illrsmus ac Revrndsmus Joannes Chrysostomus Gniński Episcopus Camenecensis, eamq subdidit prælo. Excesserat ille Annos 70 ætatis, Dignitatis Abbatialis Wągrovecensis 50, in Cistercio toto Abbas senio primus. Assedit Religiosæ Mensæ cū Illmo Tarło Suffraganeo Posnaniensi: Colonello Artileriæ Saxonicæ, Dapifero, Pocillatore Posnaniensi: Notario Castrensi etc:

6 Festo S. Ignatii concionem dicit Episcopus Camenecen.

In Augusto. Fumalis contributio est persoluta ex bonis Krzyszkowice et Koźle: quietationes acceptæ à Colonello Saxonicæ Artileriæ. Ultima Mensis oratio habita in instauratione studiorum.

In Septembri. Reverendus Pater Rector Romam iter arripuit, electus in Augusto, à Congregatione instituta Cracoviæ, in Provinciæ Procuratorem. Vice Rectoris suscepit munus R P: Adamus Ryben Professor Scholasticæ Theologiæ. Summa trium millium florenorum à M: Dno Mańicki inscripta Bonis dictis Chocicza pro Residentia Mederecensi, levata, unà cūm censu, à Mgfca Dnā Niezychowska Hæredissa. Quietatio facta in Actis Castrensibus Posnaniensibus. Contributio Hyberna Polono militi est persoluta. Illrmus Adamus Pacłowski Castellanus Biechoviensis citavit Collegium ad Tribunal Petricoviense, Contractum initum cū Prē Martino Trzempczynski, satagens annihilare.

In octobri. Justa funebria sunt persoluta in Nostro Templo Magnfcæ Dnæ Hedvigi Chilkowska.

In Novembri. Sredensibus Comitiolis ex limitatione institutis assignatio Illrmi Exercituum Ducis Sieniawski pro 2500 florenis exhibita à Collegio, sed absq effectu ullo. In Pervigilio Festi B: Stanislai Kostcæ per Civitatis Forum instituta Processio à Studiosis numerosa, splendida, triumphalibus curribus adornata. Ipsa die sacrata Divo è Sacris rostris peroravit Ordinarius Ecclesiastes PP Ordinis Minorum de Observantia. In Refectorio excepti prandio Illrmus Kożmiński Castellanus Rogozinensis, Mgnfcq Dnq Regens Posnaniensis et duo PP prædicti Ordinis. Vespertina horâ ad cultum Beati Tutelaris Poloniæ accenderunt ignes triumphales paratos à Civibus, Studiosorum faces eduxere ad forum currus, inventionibus varijs adornatos, numerosâ cinctos assistentiâ. Eodem Mense lis intentata quibusdam Braxatoribus Civitatis pro calumnia appicta Collegio, quod Cerevisiam Civitatensibus proclamabat vendibilem. In favorem Collegij decretum latum, calumnia agnita, deprecatio injuncta publica, tam in loco Judiciorum, quàm in Collegio: Intimatq et carcer triduanus cum mulcta pecuniaria. Illud est singulare quod ex Patronorum numero toto nullus voluerit adversæ partis tueri causam, etsi à Magistratu juberetur.

Palæstræ Juridicæ ergo nos animus!

In Decembri. Devotio ad S: Barbaram in Congregatione Germanorum, Concione Germanica atq Polonica alijsq pietatis Officijs est ampliata: Festum Immaculatæ Conceptionis B: Virginis, à Congregatione Media Processione in templo gemina, oratione Panegyrica honoratum.

Annus 1715.

Sub Generali Admodum R. P. Michaële Angelo Tamburino.

Provinciale Rndô Prê Raphäële Taczanowski.

Rectôre Collegij Rdô Prê Adriano Miaskowski.

Personas computabat hoc anno Collegium 54. De quorum Numero Sacerdotes 17. Prælectores 11. Nempe Scholasticæ Theologiæ 3. Moralis et Canonum unus, Philosophiæ 2, Rhetoricæ unus, Humanitatis unus, Grammaticæ tres. Scholastici Theologi 21 Coadjutores temporales 12.

In Januario. Circumcisionis Domini die solita instituta Devotio. Prosarina contributio reliqua persoluta. Ratione Summæ sex millium florenorum inscriptæ Collegio, à Mgnfcā Dnā Radziminska in Bonis Maniczki hæreditarijs, cūm Mgnfcō Dnō Gliszczyński compositio facta, nec non suspensio processus ulterioris ad Tribunal. Accepti ab eo floreni mille, millia 5 persoluturus est die S: Joanni Baptistæ sacra. In casu non præstitæ satisfactionis et processus juris manet in integro, et floreni mille enumerati, etiam 6tam debiti partem non extinguunt.

Compositio ratione sex millium.

In Februario. Sodalitas Congregationis Minimæ Purificatæ Virgini mancipata, numerosissimis accensis facibus in Processione, fervorem devotionis est testata, Oratione dicta de laudibus ejusdem Virginis, amorem. Eodem die Salutaribus aquis ablutus est, Judæus Abraham, arte Szmuklerz, accepitq nomen Francisci. Patrinos nactus Mgnfcū Dnū Zebinski Regentem Terrestrem Posnaniensem, et Perillrem Mgnfcā Dnā Christina Zegocka Capitaneam Babimostensem. Decima 3tiā currentis ingens turbo damna intulit Bonis Collegij. Contributio ex fumis singulis, decem tinfones exigens, (juxta tarifam maximam) Saxonico militi numerata.

In Martio. Dominica Quinquagesimæ Solennis gratiarum actio pro Decreto Canonizationis Beati Stanislai Kostcæ in Templo Nostro. Sacrum ad Aram Majorem cecinit Illrmus et Rndsmq Drus Tarło Episcopus Claudiopolitanus, Suffraganeus Posnaniensis. Idem in Processione Nostrorum, atq 3ium Congregationum Augusta Sphæra tectū ferebat Numen; devotioni finem imposuit. In Neo-Sancti encomia excurrisse au=

Decretū Canonizationis S. Stanislai Kostkæ.

dit9 mane Ordinarię Concionator Cathedralis de observantia strictiori. Vesperi Professor Logicæ, Panegyrica oratione, ejusdem Sancti applausisse honori. Collucebat altare majus numerosis facibus et lampadibus, S. Ignatij, peristromatis pretiosioribus, inscriptionibus, apparatu splendidè elaborato. Dicata S. Stanislao Ara perspectiva Nova est adornata, quæ confluentis populi oculos trahere, et in depictis splendoribus cognatam familiarum Divo, hoc est Stemmatibus Proceribus Nobilitati placere visa. Facies Templi quadringentis lampadibus ad breve temp9 resplenduit, vehementissimus etenim turbo excitatus subitò ab occidente artificiosam disjecit machinam, confregit lampades, triste Spectaculum attonito, dolentiq populo relinquendo. Eadem violentia venti, unà cum nubibus Processioni publicæ obicem posuit, non ejusmodi tamen, ut die alia, arridente serenitate, in eam plaususq varios non erumperet Juventus Scholarum, lampades novas non accenderet Magistrorum industriâ. Ibant per urbis forum imaginibus Sancti, stemmate, apparatu Scenico, leonibq hydris onerati currus cohorte quasi hungarica cincti facibus, artificiosis ignibus illustrati. Pauperes centum viginti et ampliq liberalius refecti, atq eleemosyna pecuniaria donati à Rndo Pre Rectore Collegij. Octava Solennitatis oratione in laudem Divi et Clementis XI. dicta, ab Auditore Eloquentiæ terminata. Hæc et plurima alia Romam missa per literas, Admodu Rndus Pater Generalis legit, atq laudavit, Sanctissimo communicavit.

Comitiola Sredensia Contribuerunt in Canonizatione S. Stanislai.

Reddito Sanctorum Albo à Clemente XI. Stanislao Kostka, Sredensia Comitiola Contributionem Pupillarem, aliamq Szelęzne dictam, ex urbe Posnaniensi, nec non Wschowensi solitam inferri ærario, assensu communi liberalitate speciali dedicârunt. Solennitatem Canonizationis apparatu majori, pro Divi Gentisq gloria, auctura hac ratione. Epistola gratiarum Assoria Palatinatibus data est Româ ab Admodu Rndo Pre Nostro, aperienda in futuro consessu.

Professio Religiosa Duorum.

P. Ignatius Brzeski Coadjutorum Spiritualium, Matthias Borczewicz Temporalium Votis sunt adstricti Societati.

In Aprili. Contributio Sextariorum de fumis singulis reddita Saxonum Commissario. Funus in templo Nostro Joannis Niezychowski Syntaxici cenotaphio majestuosè structo, atq depicto, inscriptionibus, facibus, lampadibus illustratum, Sacro ab Illmo Suffraganeo Posnaniensi, Orationibus à numerosâ Juventute Scholarum, coram lectissima Nobilitate habitis est adornatum.

In Majo. Apud Synagogam Posnaniensem locati floreni mille ex Bonis Manicki accepti. Polono militi sub signis Illmi Tarnowski Castellani Siradiensis Hyberna pensio persoluta, sed quietatio denegata, efflagitanti sæpius propter illata damna graviora. Ex varijs proventibus collecta Summa duorum millium, data in censum annuum Judæis Lesnensibus, inscriptio in Castro Posnaniensi roborata, persolut9 Collegio census, extradita quietatio, complanatio inita ratione Censuum ulteriorum, restamq recipiendam.

In Junio. Saxonico Commissarioratui siligo reddita ex Bonis Kozle, Krzeszkowice, Siekierki. Conclusit Devotione Corporis Christi Illmus Kierski Nominatus Episcopus Samariensis, Suffraganeus Camenecensis.

Actio cum Rdno Nowicki, rne rustici.

Anno elapso 1713, incepta causa cum Rndo Dno Nicolao Nowicki Vicario Brodensi, ratione eductionis Stanislai Nowak de villa Kozle subditi Nostri, Fratris autem sui Uterini, et cum Consorte sua ac Martino Fratre, eorumq locationis in villa Brodki apud Mgnfcam Dnam Trąmpczyńska

Anno 1714, et nunc currente 1715 continuata. Obtinuit Decretum in Consistorio Posnaniensi, quo sub pœna Excommunicationis dictus Rndus Nowicki adigebatur ad extraditionem, reductionemq eorum in Bona Kozle cum domestica omni supellectili, sed appellavit ad Consistorium Primitiale Gnesnam, ubi post aliquot terminos suspensa causa, usq post festum S. Bartholomei hæret. In eadem causa processum jure cum Dnâ Trąmpczyńska Hæredissa Bonorum Brodki, de ijsdem subditis Stanislao & Martino, apud se detentis. Decreto ultimo præfata Domina adacta extradidit Stanislaum et Consortem ejus, sed pecora peste apud se absumpta interiêre. Nam ex centum quinquaginta ovibus viginti receptæ, boves duo, et vacca. De Marcis 428 quas debuit unà cum subditis solvere, lis adhuc pendet. Iterum ratione subditi Stanislai, data Nobis Citatio ad Tribunal Regni, à Mgnfco Dno Francisco Kaliszkowski, prætendente dominium in eum, qui apud Nos cum Parente subjecta antiquitus, ab infantia crevit, educatq est, mansitq annis triginta septem. Cum plurimis alijs ratione Censuum jure agit Collegium, sed quia causæ necdum sortitæ exitum hic non citantur.

In Julio. Illmo Suffraganeo Posnaniensi gratulatæ sunt Diem Natalem Scholæ, in præsentia totius Capituli seu 23 Canonicorum.

Primam litarunt hostiam Patres ex Nostris 4tuor Die Dominico. Eadem die, sacro est tinctus fonte in Judaismo Berek ex oppido Ciechanowo, nunc Jacobus nomine, pellio arte. Patrini Cives Posnanienses, Dnus Behm, et Dna Bedkowska. Interfuit Cerimonijs Baptismi Generalis Supremus Saxonum Fleming, qui hac ipsa die citatis passibus movit Saxoniam. Apud PP. Franciscanos Conventuales Oratio habita in laudem D. Bonaventuræ à Scholastico, Theologo Imi Anni.

20000 fl. inscripta Collegio a Illri Christina Zegocka.

Præsentis 19, viginti millia, quæ Perillustris Domina Christina Zegocka Capitanea Babimostensis Germana Soror duorum PP. Nostrorum Poninsciorum inscripsit Collegio Posnaniensi salva sua advitalitate recepta à Perillustri Adamo Poninski Capitaneo Babimostensi Eidem in Castro Posnaniensi, de summa, de Censibus, quos recipiebat præfata Capitanea, et de inscriptione data est quietatio, à Rndo Pre Rectore. Vicissim Perillris Dnâ Zegocka quietavit Rndum Prem Præsidem Collegij de Censibus ab eadem Summa per Capitaneum Babimostensem redditis sequenti die, à Rndo Pre Rectore tradita Villa Piotrowo in Possessionem advitalitiam Capitaneæ Babimostensi, cum consensu Rndi Pris Visitatoris. Hic annus Studiosos Sexcentos quinquaginta tres numeravit. Religiosis obtulit quinque, fata totidem eripuêre.

September consueto more Scholas sat numerosas aperuit: Oratio in Renovatione Studiorum habita a Professore Rhetorices: multi ex magnatibus et Nobilitate Auditores adfuere. Causam ratione detentorum Subditorum tandem finivit R. P. Rector cum Dna Trępczynska quietavit (ut ajunt) eandem in Castro Posnaniensi ex processu et prætensionibus.

Hic Mensis perculit dolore Diœcesim nostram: Obiit Lovicij Illmus Ep. Bartholomæus Tarło ex Congregatione Missionariorum assumptus. Vir cleri cultor, minus Regularium. Aliquid moliri cogitaverat, de recipienda Nostris Parochiali Cathedra, ratus stipendiarias huic Officio villas a Nobis possideri: cum agnovit gratuitum esse laborem, manum removit a tabula: inventurus ad recessum non invitos, quibus et templum excellentius, et Oratores haberent Auditorem ab ore, non a parietibus loci dependente. Celebratæ in Cathedra exequiæ his nostri intererant.

Consilium recipiendæ nostris Cathedræ in Collegiata, mutatum.

Non sine fruge Autumnus hic: babtizatus est in Nostro Templo Judæus; et e Lutheranismo ad gremium Ecclesiæ rediit Aulicus Celsissimæ Principis Wisniowiecka Palatinæ Cracov. Quæ etiam in eodem templo publicè a Nostro Salutata.

In Octobri Panegyris reddita Illmo Episcopo Kiioviensi Valentino Arcemberski, dictæ et Orationes ejusdem dignitatis gratulatoriæ, a Studiosis. luculenter gratias egit. Humanitatem tamen Nostram compensavit humanitate, Collegium postera die inviserat.

In Novembri, Solennitas Divi Stanislai Kostka triumphaliter acta: Celebravit ad majorem Aram Illmus Suffraganeus Petrus Tarlo, processio inter ignes artefactos et pyraulicos per forum habita: gemini currus Symbolis insignes, inter Studiosorum catervas ducti. Post labores strenuos datæ Professoribus vacationes serioriis.

In Decembri triumphavit Saxonicum Posnaniæ præsidium ob receptam Suecis Rugiam, sed hæc celebritas a Solis Lutheranorum Ministellis et a Lutheranis acta.

Nobiliore plausu, devotione, et concursu populi festum S. Xaverij celebratum. Itum postea ad Apostolicas Missiones magno numero, et Ovienscijs in Professione Monialis a Nostris concionatum est.

Serenissimus Rex Salutatus à Nris.

31 Decembris Serenissimus Rex Augustus rediit e Saxonia Posnaniam, salutatus 9. Januarij a Collegio per P. Rhetorices.

Annus 1710
Sub Admdm R. P. Michaele Angelo Tamburino Generali
R. P. Reinholdo Gert Visitatore et V. Provinciali
R. P. Joanne Symonski Rectore.

Primam Januarij tum Solita devotio tum adventus R. P. Joannis Symonski consecravit. Renuntiatus hic Sequenti die Collegij Moderator. Magnum afflicti status Solatium. Ad latus Serenissimi Regis magnus Nobilium concursus Posnaniam, et Palatinatum calamitates inundarunt. Epus Wladislaviensis, tribus fere hebdomadis in Collegio hospitatus occupatis aliquot cubiculis; Bona vero nostra tum Moschi a Pomerania reduces tum Saxones insederunt: illis commeatus in dissita loca vectus, his præter onerosam in villis moram contributio pecuniaria extradi debuit ex singulis fumis tymf: 20. Cum vero Generalis Milkaw post expugnatum in Pomerania Stranzuldum rediret in Poloniam, innumeris afflixit damnis præsertim Mechlinum. Addiderant vulnus et aliæ cohortes injuriosius per Palatinatum grassantes. quod malum aliquot duravit menses.

Oppressiones varias à vario milite, passa Bona nostra.

Scholæ in Februario tumultu exarserunt. Physici propter denegatam uni eorum (ut vocant) conditionem, conspiratione facta ad Suburbanam transierunt Academiam. Principalis exclusq. Inquieta ingeniis turba mox et Academiam deseruit.

Mors unius e Lutheranismo conversi plures alios Ecclesiæ peperit. Concionator Germanicus honesto funere quendam tumulavit conversum, charitas tanta accendit ad veram fidem plurimos.

Ad festa Paschalia a 20 Parochis Nostri expetebant, sed ob defectum personarum ad 14 loca duntaxat expediti.

Braxatorium Wydrzierzewiense conflagravit.

Nova clades Collegium perculit, Wydrzierzewicijs braxatorium cum omnibus vasis et braseis conflagravit. Ab altero latere nova emersere in pagis incommoda. Ad Szremum Confœderatæ Legiones locatæ afflixerunt Mechlinum. Quid enim non arrodat miles et vicinus et esuriens. Ex hac occasione dicam in compendio quidquid in Majorica actum ab ijsdem. Facta confœderatio 2 8bris a Statibus Reipublicæ contra Saxones e Patria propulsandos. primo in fœdus abiit Minor Polonia, tandem Russia. In Mareschalcum electus totius Reipublicæ M. D. Stanislaus Leduchowski Succamerarius Cremenecensis. Gubernum et fasces colligati exercitus accepit D. Pu[illegible]rzynski fortunæ suæ incurius dum pecuniæ avarus, brevi enim ab exercitus regimine dejectus, Saxonum compedes tulit, auri Saxonici prius mancipium. Rebus prospere actis in Minori Polonia et passim ubiq. cæsis Saxonibus placuit Illmo Leduchowski ad eandem armorum Societatem nostros Palatinatus invitare, et a jugo exterorum militum liberare. Missus est cum 16 vexillis Polonici Auctoramenti MD Chrisostomus Niemiera Gniazdowski Regimentarius vir amore erga Patriam pietate erga Deum, fortitudine adversus hostes strenuus. Persuasit facile Palatinatui unionem, persuasit utrumq. magno

Confœderatio Reipubl. contra Saxones.

præsentium Victoriarum argumento. Ad Calissium enim Generalem Zeczt Saxonicum magnâ affecit clade; Rybinscianos et Colonellum Prebendowski cecidit Plesoviæ. Colonellum Zeidlic, cum 400 militibus ad Szremum in captivitatem abduxit. Rybinscianos iterum 200 ad Babimost post brevem conflictum in potestatem suam redegit; cæso illorum Vice Colonello; Prebendowius fuga in Prussiam Ducalem vitæ consuluit. Auctus sic et numero militum et fama Gniazdovius, abiit Srodam ad Comitiola, faciles illic invenit ad recte sentiendum animos Nobilium, quia ab alijs timeri potuit, quibus confœderatio non esset cordi

In Comitiolis lecta Admdm Epistola Admdm R. P. Nri qua gratias egit pro Symbola in Canonizationem B. Stanislai collata. Deinde acceptata Confœderatio generalis. Mareschalcus electus M. D. Andreas Skorzewski. Consiliarij ad latus Illmi Leduchowski deputati sunt MM DDni Capitaneus Uschowensis Radzewski, Ca Adamus Poninski Capitaneus Babim: Franciscus Poninski Capit: Kopan: Franciscq Mielzynski Castellanides Sremensis. Indicta contributio vulgo Podtowne simplex juxta Tariffam 1691 et istud premium datum est victorioso militi. Hæc dum aguntur Srodæ, furit contra Collegium Commendans Saxonicus Posnaniæ Gnlis Zeidlic, hic inquam Gnlis, qui ter generosissimo equo debet, quod hucusq vivat. Primo itaq in aream Collegii inducta 3 militum vexilla ut murum tuerentur. Quænam inde incommoda? Missus deinde ad R. P. Rectorem Colonellus nomine Pretorius, acerrimus Poloni Nominis et Religionis Catholicæ hostis; hæc puncta proposuit: 1. Nullis factionibus nos immisceremus, alias extrema passuri. 2. Ut ad manendum vel abeundum Civitate daretq instantanè resolutio; claudi enim sequenti die urbs debuit. Quantus timor! 3. Catalogum Studiosorum Nobilium porrigeremus. 4. ne durum videatur, quod Collegium singulis diebus visitandum foret. Tandem, ut Universales literas Nobilitati injuriosas furioso et meticulosissimo scriptas calamo, Typographia imprimeret. In his universalibus illud consonum menti Saxonicæ, quod in casu obsidendæ Urbis, Studiosa Juventus injuriis exponenda foret et periculis, quale timoris præsidium! Proportionate ad puncta est responsum. Quantum ad 2dum, Impossibilitas objecta tam citò Collegii in pagos evehendi. Missi tamen Inferiorum Scholarum et Philosophiæ Professores, tum Siekierscios tum Dezioreios, et Mechlinum nonnulli. Studiosa Juventus Urbe subitò dilapsa elusis, mendicorum, fœminarum et Rusticorum habitu excubiis. Quod ubi innotuit Commendanti; significari voluit R. P. Rectori, Quandoquidem vestro consilio inquit è cassibus Juventus sese explicuit, respondebitis pro iisdem, excusavimus factum, uti debuimus.

Furor Commendantis Saxonici contra Collegium.

Interim nemo Urbe sine consensu scripto, emitti potuit, nihil victualium invehi, nihil evehi: Viriculati pariter omnes intercludere aditus, excutere viatores. Nostris favor habitus, ire redire potuimus. Post Comitia Gniazdovius perrexit Schovam, etsi expugnavit intra pene mediam horam, in ipso assultu vix tres Poloni periere; Saxones circ: 50 cæsi, alij in vincula abducti; urbs in prædam abiit, quod quia hæretica et Saxonum propugnatrix. Illud Polonæ clementiæ documentum patuit: In Victorem jam Gniazdovium unq Civium bombardam explosit, ictu irrito; adductus instantaneè ad eundem, accepta in spolium bombarda, donatus vita, adhibita etiam custodia, ne quid detrimenti pateretur. Posnaniæ Colonellus Szlitenbach institit apud R. P. Rectorem, ut militi locando illa concederemus cubicula, quæ PP. Bernardinos respiciunt, valuêre preces apud virum aliàs humanum, contentus permissa ad habitandum militibus area familiæ. Proposuit itidem alterum, ut vel ambulacrum vulgò ganek parari curaremus circa murum à Nobis exstructum, vel ut intra Collegium Civitas pararet sepimenta lignea, vulgò Sztakiety. Elegimus, eodem suadente, primum, procuravimus asseres, ambulacrum fabricavimus. facta è communicatio Portæ Vratislav: cum Vallo alteram Collegii partem ambiente. 2dum permitti non potuit, prætenderetur enim jus Civitatis in munitionem intra nos fabrefactam

Nova in Palatinatu revolutio, sed brevior. Venêre legati olim ad Serenissimum Regem missi: Denuntiarunt Comitiis Cosciani celebratis 26 Maij, ea omnia, quæ placare possent æstuantes Nobilitatis animos. Dimissi è Captivitate ad instantiam Palatinatus MM DD, Czarnkowski et Bronikowski. Appromissus favor Regius, cessatio fumalium con

tributionum allata. Conditio tamen addita à parte Regia: Nobilitas nihil hostile moliretur adversus Saxones. Placuêre omnibus fuco illitæ promissiones, aliqui credidêre dictis, et assensere omnes. Igitur rogatus est Gniazdovius à Palatinatibus, sineret transire Posnaniam Generalem; alias hic deleretur forte ad Sremum ab avidissimis pugnæ fœderatis. Quamprimum cum venit in Urbem, contributionem gravissimam etiam Nobis imposuit. Sed delinitus precibus, corruptus muneribus, minus in commeatu accepit, quam jusserat. Post moram aliquot dierum in Suburbiis Posnaniensibus, movit idem Generalis in Prussiam.

Mors dimissi è Soc.

Libet hic infelicem Dni Szczaniecki Casum inserere. Dimissus ille noster, inconsultus ore, audaci manu; nonnulla contra Rempublicam confœderatam injuriose prolocutus: postea Gniazdovio factus obviam, requisitus, curtam enormiter, non ut Nobilis, et legitimus Patriæ filius, Confœderationem lacesseret: irritatus Dnus Szczaniecki contumeliosis licet generice prolatis scommatibus, minores in Gniazdovium bombardas, ut vocant pistolety, bis explodit, læso nonnihil ejus dextro brachio. Gniazdovius in eundem similiter semel bombardam libravit, casso ictu; à circumstantium tamen militum jaculationibus, semianimis cecidit. Accurrit unus Nostrûm opem extremam allaturus, Saucio invenit semianimem, et Sanctum Xaverium invocantem, et à S. Ignatio veniam dimissionis postulantem. Munitus postea Sacramentis 7ma à casu die mortuus. Per eundem Nostrûm deprecatus est Gniazdovium, et Gniazdovius vicissim veniam facti postulavit. Celebrata deinde Comitia ad oppidum Koło, ubi postquam rescivit Gniazdovius à Gnrli Zeidlic extorqueri contributiones in Palatinatu, quas nos ipsi persolvimus, hostilitatem renovavit. Primò cæsus à Valachico vexillo Colonellus Slitenbach extra Suburbium S. Martini. Lethaliter vulneratus Colonellus Pretorius, et in vincula abductus, qui postea itinerum et vulnerum molestiis extinctus est, cadaverque à Gniazdovio humanissimè remissum Posnaniam. Cum Gnli Zaidlic, hi et omnes ferè majoris Ordinis Officiales, animi relaxandi causa, in vicinos progressi erant campos; periissent omnes cum Gnli nisi maluissent infamem fugâ vitam quam generosam mortem. Cæsi deinde à Gniazdovio Obiezna 150 Saxones, totidem Rosciani in Captivitatem abducti. Excurrerant hi, ut Contributiones pecuniarias à Nobilitate extorquerent. Diminuto sic Posnaniæ præsidio, aucti sunt Polonorum animi. 21. Julii venit Gniazdovius cum exercitu, et cinxit urbem. tandem assultu facto horâ post mediam noctem 2dâ eandem vi occupavit 29 Julii. tribus quadrantibus duravit assultus, cæsi ad valla et portas Saxones circiter 120. Poloni vix aliquot periêre. Postea tamen circiter 40 extincti ex vulnerum dolore et incuria. Quot quot intra Collegium reperti, omnes donati vitâ hostes: plurimi ante mortem conversi felices efflarant animas, et Nostrâ ope sepulti. Magnus tunc campus zeli patuit Nostris, moribundis assistere, vulnera fovere, cibum Saucijs et commoditates providere, Urbem à rapinis defendere quantum potuimus, curavimus. Pro triumpho deinde solemnes actæ Deo in Parochiali templo gratiæ, tandem pro occisis militibus exequiæ ibidem celebratæ, invitatis per liberalem à Gniazdovio Eleemosynam omnibus Cœnobiis. Illud præclarum Catholicæ fidei Studium: Locum illum seu potius Lutheranorum templum mandavit vastari Gniazdovius, combustâ per Carnificem in medio foro Ministelli Heterodoxi cathedrâ; succisisque sepimentis, quæ eorundem Lutheranorum cœmeteria ambierant. Hæc à Confœderatis acta in Majori Polonia. Nostra interim Bona illum nacta fuerunt favorem apud Gniazdovium, ut velut Sua, omni onere reddiderit immunia. Per accidens tamen alluvionem passa sunt à tanto militum torrente.

Posnania occupata à Confœderatis.

Gniazdovii zelus contra Acatholicos, affectus, erga Nos.

Redimus ad magis domestica. Ad finem superioris anni agitata est causa Collegii cum Illmo Pawłowski Castellano Biechoviensi ratione 80m à R. Martino Tropczynski inscriptorum. Tribunal Petricoviense favit Castellano adjudicata Nobis non nisi 20m. Hæc ille numerare voluit in crastino S. Joannis Babtistæ, nos acceptare non potuimus, unde banitionem proclamatam incurrimus, quam decretum impingebat. Sed ille vicissim à D. Głębocki fulminatus, simili banitione. Intellecta demum ratione, ob quam causâ cecidimus (hæc sub genericis terminis latuit) intellectâ inquam hac; quasi P. Tropczynski, cum inscriberet summam Collegio, appromiserit Illmo Castellano clancularium aliquod instrumentum, in quo tanta minueretur summa, interim pateretur Castellanus ea nunc magnificè donari, ut constet Societati, quid Tropczynsciorum Domus valeat, non permissurum se tamen tantum, fortunæ abalienari à Familia. Hanc calumniam ubi rescivit R. P. Rector significavit P. Tropczynski Leopoliensis Collegii pro tunc Rectori. Ille querulissimis respondit literis: manifestationem contra calumniam in Castro Leopoliensi fecit, appromisit se juramento refutaturum. Similem et in Castro Posnaniensi super hoc puncto manifestationem Collegium deposuit. Cognitâ re Castellanus delegavit præstantes honore viros, qui Collegio persvaderent ut Tribunalis decreto pareremus. responsum est paratum esse R. P.

Perdidimus causam cum Castellano Biechoviensi.

Rectorem ad acceptandam 20m summam, salvo tamen jure, tum causam prosequendi, tum læsi Honoris Patris Tropczynski vindicandi. à postulato destitit. Data illi citatio ad Tribunal Regni. Hac offensus, filios quos hactenus nostræ institutioni commiserat, in Academiam Suburbanam transtulit. transierunt ejus Consilio in eandem Academiam, et aliqui ex ejus consanguineis.

Ad finem Julij numerata est hybernalis contributio cohorti loricatæ Illmi Excubiarum Præfecti. consistentialis pensio æqualis hybernæ data. Alterum tantum numerâssemus, ni favisset Collegio M. D. Malinski ejusdem cohortis Vexillifer. Deputati tamen, plus justo, Contentationem (cuffocardt) majorem extorserunt.

Festum S. Patris Ignatii summa Nobilium ac militum frequentiâ celebratum. Ad majorem aram operatus Illmus et Rvndssmus Kierski Nominatus Suffraganeus Camenecensis Decanus Cathedralis Posnan. Concionati R. Bernardini. Mensâ Religiosâ accepti præter Celebrantem et Concionatores, M. D. Mareschalcus Confœderationis Skorzewski, M. D. Gniazdowski, et alij non pauci ex amicis.

Sexta Augusti baptizatus est in Nostro Templo Ethnicus ex Provincia Mordua, natione Moschus, professione miles Gniazdovii gregarius. Patrini fuêre M. D. Malinski, et M. D. Gniazdowska.

Sub id tempus translatus est è Collegio Sandomiriam Laurentius Eckiert Coadjutor Temporalis, plurium annorum Apothecarius. Extorsit Romæ dimissionem, et Sandomiriæ consecutus; rediit postea Posnaniam, uxorem è Suburbio Waliszew duxit, importunum suis tentationibus amuletum. Braxatorium de novo intra Collegium à R. P. Rectore exstructum.

Laurentius Eckiert Dimissus.

R. P. Dobrski Professio.

P. Antonius Dobrski ad cunas Beatæ Virginis 8 7bris Professus est 4 Vota Solemnia. Consveta charitas R. P. Rectoris in refectorio solennitatem celebravit.

11 8bris. Beatificatio P. Joannis Francisci Regis maximo apparatu acta. Post celebratum majus sacrum in Templo Divi Alberti per Perillrem R. D. Archidiaconum Posnan. et post concionem illic habitam à Pœnitentiario Cathedrali; instituta inde solennis processio. Imago Neobeati triumphali portata ferculo: cui prœivere tum Scholæ satis numerosæ, tum omnes ferè Religiosi, quibus de Virgine cera candelæ distributæ, nec redditæ. Templum splendido et ingenioso cultu accepit Neobeatum. Majus Altare duo exhibuit trophæa, unum charitati, alterum patientiæ erectum, quæ duæ virtutes in Joanne regnabant. In medio primæ navis prostabat ab una parte ferculum, personam Divi exhibens manipulos cœlo inferentis, surgebat et vinea argenteis dives botris, lemmata labores Apostolicos in agro et vinea Dni explicabant. Ab altera parte, supra elegans pegma repræsentabatur Joannis Persona ex aperto pectore in Genium Cupidinis fulmina jaciens. Adstabant Genij, tum Ecclesiâ Joannem coronantis, tum Galliæ lilium porrigentis, inscriptiones congruæ rem explicabant. In Sacello B. Virginis nova prostabat ara, quam et symbola et hieroglyphica non rudi penicillo exornârunt. Idem præstitum in Sacello S. Crucis, ubi symbola in laudem Divi depicta, etiam Carmen explicuit. Ad majorem aram celebravit Illmus Suffraganeus Posn: Petrus Tarlo. | Conciones habuêre R. D. Aloysius Dunski Præpositus Bucensis mane, à prandiis R. D. Lucas Daiewski Præpositus S. Alberti. Habita et oratio à P. Rhetorices. | Accendit Professorum animos Epistola R. P. Visitatoris et diligentiam promovit cura R. P. Rectoris. Quæ à multis intermissa erant annis et neglecta in Studium sunt revocata. Publice explicatum est extrnis Rubrum. Explicata et Scriptura ab uno è Sæcularibus Clericis, in præsentia hospitum. Habita et resolutio ex Theologia morali ab externo. Habita et exhortatio ad Studiosos per P. Præfectum. Nec sessio domestica cum Professoribus Inferiorum Scholarum intermissa. In Novembri Scholæ tumultu exarserunt. Unus è Physicis Clericus impositam à P. Præfecto pœnam detrectavit, et exclusus est. Condiscipuli furiose exclusionem impedire conati; Auctor tumultûs cum iterum ejiceretur è Scholis, alios ad seditionem concitavit. Deseritur Physica, alii ad fœdus iniquum coguntur, juramento nefasto conspiratur; successerunt et Logici improbæ factioni; sed per præsentiam R. P. Visitatoris res sopita, post magnorum virorum instantias, etiam exclusi clementiam invenêre.

Solennitas Beatificationis B. Joannis Francisci Regis.

Novi tumultus Philosophorum.

Eodem mense propè Posnaniam crudeliter occisus est Subditus Noster Siekierecensis. homicidæ capti, et damnati capite. Disposuit morientes R. P. Socius Procuratoris Siekierecensis.

Festum Beati Stanislai Kostka Solenniter celebratum. Cantavit Primitiale Sacrum R.D. Stephanus Urbanowski, post varias politicæ vitæ ambages, captivitatemq Saxonicam, Clericus Sacerdos. PP. Dominicani Conciones habuêre.

Negotium cum R. Dno Nicolao Nowicki tandem compositum. Abduxerat hic è pago Nostro Subditum Fratrem Suum, reddidit eundem, et ad instantiam R. Dni Mierzewski Cancellarii Capituli Posnaniensis aliorumq Prælatorum, quietatus (ut vocant) ab ulteriore processu omnibusq aliis prætensionibus Juris.

Venit in Decembri Posnaniam R. P. Visitator. Scholarum adfuit lectionibus: resolutionem Canonicam et Casuisticam, item Sacræ Scripturæ explicationem per Externos factas audiit. Concertationibus autem Minorum Scholarum in Januario dignatus est adesse.

Ad plurimas missiones natalis Xti evocatum est Collegium.

Annus 1717

Sub Admdm R. P. Michaele Angelo Tamburino Generali.

R. P. Reinholdo Gert Visitatore et Vice Provinciali.

R. P. Joanne Symoński Rectore.

Calendas Januarij solito more celebravimus. ad majorem aram operatus R. P. Visitator, Concionem habuit R.D. Urbanowski, à prandiis unus nostrum.

Tardè Juventus ad Scholas cœpit confluere, propter impedimenta ingentia à Saxonibus, Moschis, Cosacis. Omnibus Contributiones pecuniariæ, et commeatus in alimentis pendi debuêre, etiam ex Nostris Pagis. Et istud malum jam 3tium durat Mensem.

Resolutio Canonistica hactenus in Scholis non audita, tandem in præsentia R.P. Visitatoris ab uno Studiosorum habita.

Negotium pro Symbolo in Canonizationem B. Kostka.

Decretam à Palatinatu Symbolam pro Canonizatione B. Kostkæ nedum ex integro recepimus. Collector ejusdem M.D. Zebinski Terrestris (ut vocant) Regens, trium mensium proventus retinuit, reddere detrectavit. Jure contra eum egimus in Commissoriis Tribunali, insuper contra Schovenses ejusdem Summæ debitores, obtenta banitio, sed suspensa banitionis publicatio.

Cadente jam veteri Collegio, impetratus est à Magistratu ante aliquot annos fundus pro novi erectione, diruing antiqua Urbis mœnia, et hospitale Collegio imminens, hac addita obligatione, ut novus erigeretur murus Urbem et Collegium ambiens: pro hospitali fundando alibi, 1200 flor. appromissi. Institerunt nunc hospitalis Provisores Summam exigere. pro 1200 acceptârunt 630. florenos, ad tot nonnisi accipiendos convicti variis, à circumstantiis præsertim temporum, rationibus. Redditi non sunt actu, ipso magistratu dissvadente, Provisoribus Hospitalis non fidente.

Judæi Posnan. impetrant defalcationem plurium millium ex imminutione census.

Notabilem decessum in proventu passum est Collegium ab Aprili superioris anni ad id usq temporis. Judæi enim Posnanienses, penes quos multa millia locata merent censum, in mercimoniis per confœderatos milites impediti, solvere debita vix poterant. Post expugnatam verò urbem ubi insolens victoriâ miles merces diripuit, et plateam Judæorum furiosè spoliavit, nihil penè ab iis exigere licuit. Hoc demum mense per oblatum R.P. Visitatori supplicem libellum, impetrârunt plurium millium (ut vocant) defalcationem seu omissionem donativam. Addita iis ulterior gratia, ut ad tempus à R.P. Rectore determinandum, per 4 à cento nonnisi solverent.

Dnica 2dâ ab Epiphania Renovatio votorum instituta. Celebravit R.P. Visitator, et sequenti die movit Calissium. Ante aliquot annos, ad loci Ordinarium, Parochi Collegium detulêre, quod nostri Siekiercenses non tantum Sacramenta administrent, sed et assistant matrimoniis. Offendit res Episcopum: demandata inquisitio Officiali; is hic tricas præscidit, amicq Socîis, pro eadem favorabiliter informavit aversam mentem Præsulis. Ne in posterum quid contingat simile, obtinuit facultatem R.P. Rector à novo Loci Ordinario eadem munia in pagis Siekiercensibus exequendi.

Iterum novi tumultus Pædagogorum occasio.

In Februario caniculares penè dies senserunt Scholæ. Iterum pædagogi furioso tumultu exarserunt, hac de causa: P. Præfectus intimavit Scholis: tales ipso facto exclusos fore è Studiosorum numero, quicunq in tabernis, et popinis quidpiam nefandi perpetrârint, adeoq jus permisit Civitati ut caperent, et forensi subjicerentur judicio, et pœnis. Contigit, ut nonnulli ex Philosophis, quibus unus sese immiscuit Theologus, crudelissimè virgis cæciderint unum è Civibus, Sutorem arte. Capti sunt tres à Civitatensi præsidio, incarcerati per triduum, judicati, pœnam per marcas exsolverunt, et dimissi. Visum fuit Collegio, ne iterum admitterent ad Studia, Philosophos in seditionem hæc nefariorum non admissio, concitavit; sed turbulentæ mentes nonnihil delinitæ. Brevi tamen recruduerunt apostemata. In Martio P. Præfectus Pædagogum M.D.ni Bartowski sexaginta plagis multavit, plures merebatur. Logici et Physici fidelissimo fœdere renovarunt, Scholas deserere, alios impedire, verberibus coërcere, aditus ad Scholas obsidere. Patrocinium rebellibus obtulit Suburbana Academia. Unum è Physicis à PP. Dominicanorum templo redeuntem vix non enecârunt. Egimus pro Securitate Scholarum apud Illrmum Vice loci Ordinarium. Scriptæ literæ ad Illrmum Generalem et Palatinum Posnaniæ; qui eosdem proceres unus è Professoribus Theologiæ adiit, et mandatum retulit, ut Academici caperent, sed non ausa obsequi Civitas sibi metuens. Vulnerati ergo pædagogi Dnus citavit ex iis primos ad Castrense judicium, res needum decisa. Interim summas difficultates congessit, ut ii à nostra juventute obsequiis removerent, qui Academiam frequentabant. Malè persuasa à pessimis delatoribus Nobilitas, precibus nostris resistebat: perspectis tandem pædagogorum facinoribus eosdem alienârunt: duo ne Inspectores alienarent et deserent, ad Academiam filios transtulerunt. Pluribus viris generosior fœmina M.D. Szraniecka filium Poëtam, Philosophicæ conspirationi adhærentem adduxit Scholis, gravissimè castigari in sua præsentia petiit, deprecata nostros, et Studiosos tali ausu scandalizatos, pristinæ jurisdictioni eundem et rigori restituit.

Nobilitatem contra Nos concitârunt.

Martium consecrârunt Scholasticorum 3tii anni, Sacerdotia. Quia in hac Diœcesi messis multa, et operarii pauci, invitamur ad tot missiones sæpius, ut sufficere non possit mittendis operariis Collegium: impetratum est ab A.R.P. Nostro, ut ante Paschatis solemnia nostri Theologi sacris initiarentur ordinibus. Primum celebrarunt Sacrum festo S. Casimiri, dein ad missiones [illegible] nostrorum expediti, nec tamen adhuc omnibus Parochis satisfactum est.

16 ejusdem mensis die incendium plateam corripuit Judaicam et penè totam redegit in cineres.

Contributio circa bona terrestria.

In Tractatu Varsaviensi multa quidem in favorem Spiritualium constituta praesertim Studio et favore MMDD Francisci Poninski Capitanei Kopan: et Franc: Mielzynski Castellani Leng: quos Respublica Commissarios destinaverat. Illud principale: ut bona à Spiritualibus possessa de jure originaliter terrestria hybernalem contributionem non solverent. Annuit constitutioni huic et loci Ordinarius, nihilominus à 13 laneis (à totidem ante pendebamus) coacti sumus solvere summam 995 florenorum et militi deputato à singulis florenis unum grossum, quod facit 33 florenos.

Mensa bona spiritualia specificantur.

Jure Spiritualia Bona possidemus non nisi haec, Stupia, Zemsko, Janiszewice. Dioecesis Commissarius quartum addidit praedium Bielawy, quod nunquam taryffae insertum fuit. Expostulavit RP. Rector cum loci Ordinario, omnem appromisit favorem, ne vel in obolo gravaremur. Acturum se etiam spopondit cum Commissario, cur Bielawy taryffae addiderit. Interim ex 13 laneis pendi contributionem jussit, quod novella constitutio hac vice necdum posset practicari. Revera autem placitum est Episcoporum menti publicae contrarium, ut Constitutionem Regni in ruinam interpretarentur Regularium. Aliquis tamen favor iisdem Spiritualibus Bonis ab eodem tractatu praestitus ad tertiam non nisi partem descendit contributio Hybernalis.

In Aprili multa sustinuimus et hactenus sustinemus à Cosacis et Moschis, qui in Palatinatu dispositi Bona nostra ut locustae devorant.

Notabilis exundatio Vartae intulit damna Mechlinensibus Bonis, minora tamen, quam timeri poterant.

18 ejusdem Mensis solennes actae sunt gratiae in Cathedrali Ecclesia pro finito Tractatu Varsaviensi, et Saxonum evacuatione è Regni visceribus.

Ingenti damno afflixit villas Collegii miles Regius, tandem è Polonia in Saxoniam abiens. Non minus detrimenti à Moschis, et Cosacis è Pomerania reducibus hucusque sustinemus. His non obstantibus, Contributio multiplex pendi debet, Hyberna (ut vocant) et contributio capitalis, constitutione Tractatus Varsaviensis desinita.

Eodem mense accepta facultas à Perillri Officiali Archidioecesis, ut nostris liceret in Archidioecesi Sacra celebrare, confessiones audire.

Invasio Praedii Kaleje.

Majus Bonis Mechlinensibus tragicus extitit. Subditus Capitanei Rogozinensis Zebrzydowski, in villa Kaleie jam 7 annos manserat, nulla requisitione praemissa, expedit ille 10 famulos, qui violentè rusticum abducerent, fit invasio praedii noctu: omnia clamoribus bombardarum explosione implentur, fenestrae excutiuntur, traditio exigitur. Curatori Mechlinensi res defertur, (qui etiam praemonitus à Nobili amico, eo rusticum cum reculis transtulerat) Submittuntur famuli, qui invasionem reprimerent, et eo facto, ut salutati ab Invasoribus bombardarum explosione sed illaesi, ipsimet Oeconomum Capitanei globo plumbeo fataliter prosternerent. In fugam iverunt reliqui, equis tribus relictis, qui in Castro Posnaniensi praesentati sunt, et postea Capitaneo redditi, protestatio facta. Adhuc sub Judice lis est.

Ad finem Maij RP. Rector perrexit Sandomiriam, ubi Congregatio Provinciali facta est.

Sedatis jam Philosophorum tumultibus, ecce novus in Logica turbo. D. Grodzicki postulavit è Rhetoribus à P. Praefecto Inspectorem: interpretati despectum Logici à Schola et obedientia recesserunt; sed tamen operâ P. Praefecti ad frugem revocati.

Duo postulavit Collegium à Magistratu. primum, ut liceret turrim intra aream Collegii vulgo baszta diruere, quae ruinam minabatur. alterum, ut Civitas annueret è suo fundo argillam pro coquendis lateribus effodi: inito consilio et submissis Revisoribus DD Plesniewicz et Kostrzewski utrumque concessum est. Turris ergo diruta, sed denuo altera turris quae portam in aream Collegii facit, tum murus à Collegio extructus coepit restaurari et perfici. Domus quoque pro lotrice extra, et intra hortum pro hortulani usu novae surrexerunt.

Triduanae Collectiones in scholas introducta.

Ex mandato Pris Nostri, et P. Visitatoris Studio usus triduanarum collectionum scholis est introductus, et quidem eo successu Posnaniae, et ea modestiâ, ut pietas summam admirationem pariat. Nonnulli et Parentibus non ausi respondere. E Rhetoribus novem Religiosum amplecti statum decreverunt, in singulos dies singuli specialiora piae opera suo Directori in charta porrigebant, et excuti quotidie verberationes usurpatas. Sanè in fine Confessio Generalis ab omnibus facta, et proposita ulteriori vitae servientia sunt porrecta, quae quidem magnam spirant pietatem. Rhetores à 6ta matutina ad 11mam, à prima ad 7mam Vespertinam piis hisce exercitationibus vacabant. reliquae Scholae mane duas et à prandiis duas impendebant horas.

13. Julii tragaediam exhibuit P. Rhetorices. Praeter Nobilitatem aderat Palatinus, et Suffraganeus Posnan: Capitaneus Babimostensis, tum innumeri ex amicis. In Festo etiam D. Bonaventurae Oratio apud RR. Franciscanos à Theologo primi anni habita.

Capitalis Contributio ab Episcopis indicta.

Dioecesis Commissarius Perl. Rdus Wolinski per epistolam indixit RP Rectori contributionem capitalem, et quidem daret ille à sua Persona 10, à reliquis duos florenos, à musicis item, et Familia. Adiit eundem RP. Rector, exposuit onus istud menti Reipublicae contrarium esse, nec Religiosos posse obligari; praesertim cum Bulla Clem: XI ad hoc Regnum emanata excommunicatione tum dantes, tum imponentes feriat. Minatus est Commissarius executionem in villas destinandam, sed interim resipuit, et adventum Episcopi praestolatur.

Contributio haec Capitalis, omnibus per Regnum Personis Spiritualibus imposita, ut onerosa, sic ignominiosa, aegerrime tolerata est. Inventum fuit, non Ordinum Regni saecularium, in Comitiis Varsaviensibus collectorum; sed privatim Episcopi convenerant, ut Contributio Hybernalis per Remp. tunc ad medietatem contracta, tali modo sarciretur. Aderat Episcoporum Conventui Nuntius Apostolicus, et Romae persuasit, ut ad avertendum bellum Turcicum (de quo nec Poloni, nec Turcae somniabant) onus illud permitteret. Permisit tandem Roma, male informata, quamvis melius informabatur à Clero et Religiosis Ordinibus. Persolvit itaque Collegium, urgente etiam Episcopo, et Roma per Breve Apostolicum annuente. Requisivit et Urbis Magistratus, ut à Famulitio eandem Capitum contributionem penderemus: rejecta haec Urbis praetensio, sed Commissario Dioecesis potius, haec summa dari debuit.

Quam infidelis sit Judaeorum ad fidem Conversio, patuit. Baptizatus in templo nostro Silesius, Michaël Nomine, tribus annis gnavum se famulum Collegio probaverat. expeditus semel atque iterum, in Negotiis Collegii Zielonogoram cum equo, tum pecuniâ à Patre Ministro, et famulis, ad coëmendas res acceptâ, disparuit, et probabilissime ad vomitum rediit.

Julius. Festum S. Patris, unà cum aliis Ordinum Religiosis celebravimus.

Pr

Prior Dominicanorum, cum ministris suæ Religionis duobus Sacrum Magnum; Guardianus Franciscanorum, cum Ordinario Concionatore, dixêre Panegyrem. Aderat et multiplex Clerus: Director Academiæ cum geminis Professoribus confessi sunt, et ad aram, Patris operati. Mensa excepti Dominicani 4. Franciscani 2. è Clero 6. amici.

Augustus. Bona Tulibow, ex Decreto Tribunalis Regni à Nobis Anno 1713. possessa, et per Nostros Procuratores sequenti anno administrata. Visum erat R. P. Visitatori, ut per Sæcularem Oeconomum deinceps administrarentur, quod et factum. Onerosa Moschorum hospitalitas infestavit Bona Zeziorecensia, consumptis fere omnibus hortis, Currus etiam ex mandato Supremi Generalis Szeremetow ad Vecturas rapti sunt, cum autumni damno.

Lapideam D. Heller incendium corripuit, hora noctis octava. Ignem injecerat Minorennis Filius unius è Præsidiariis; præter hanc Lapideam et pericula, longius flamma non processit.

P. Opęchowski Professio 4 Votorum

P. Opęchowski Professionem 4 Votorum fecit 15. præsentis. Dicta oratio à Theologo 4ti anni, et Poëma à Scholastico.

Illmus Christophorus Szembek Eppus Posnanie

Festum dedicatæ Cathedralis Ecclesiæ solennius reddidit Ingressus Episcopi Posnaniensis Christophori Szembek. Magna pompa præibat, magna sequebatur. A Collegio Salutatio per P. Rhetorices in Parochiali Dæ Magdalenæ templo, et Panegyris reddita. Respondit Illustrissimus, et hortatus, ut essemus laborum ejus socii. Visitavit postmodum Collegium, et 4. è Nostris mensæ adhibuit.

Ultima Augusti, Scholas à consueta oratione aperuit. Adfuêre hospites, præter Episcopum, Generalem Majoris Poloniæ, et Palatinum Posnanien. Castellani 7. et innumera Nobilitas. Post finitam Orationem, dedicatus est Liber Adamo Poninski Capitaneo Babimostensi, quem illi inscripsit P. Rhetorices; Titulus Libri: Triumphus Charitatis et Patientiæ, Neo Beatus Joannes Franciscus Regis.

September. Per favorem Patris Nostri extraordinarie duo Scholastici ad Sacerdotium sunt promoti, Ad Cunas Deiparæ, primam obtulerunt hostiam. Festum etiam Nominis Mariæ, baptizatio Judæi auxerat.

Controversia de 3m à Pre Ropelowski levatis, et fabricæ Templi conversis, Cujusnam fuerint? Templi an Collegii? dirempta.

Dubium fuit an summa 3000m levata olim per P. Ropelowski, et in fabricam templi conversa, an inquam fuerit Collegii, num ipsiusmet templi? Ad Collegium pertinuisse censuit R. P. Adrianus Miaskowski, ut Resignatio illius indicat. Ne ergo damnum pateretur Collegium, ex summa Templi 4000m locata in Pamiątkowo, tria millia Collegio per R. P. Bieczynski Provincialem adjudicata sunt. Pro templo militabant aliæ rationes. Proinde mandatum est hujus Causæ examen à R. P. Visitatore Patri Poradowski omnium Summarum Originalium, tam Templi, quam Collegii peritissimo. Porrexit R. P. Rectori et PP. CC. Informationem ejusmodi:

Informatio de 3000 fl. adempti Eccl.

Informatio de summa 3000m in Bonis Pamiątkowo M. D. Przyjemski hærente, illegitime Fabricæ Templi adempta, et Collegio Posnaniensi applicata.

Sciendum est, quod R. P. Adrianus Miaskowski Rector Collegii Posnaniensis Soc. JESU in suis Resignationibus binis, Una Anno 1706. altera anno 1716. factis, summam 3000m in Bonis Pamiątkowo, ex summa 4000 Fabricæ Templi, à tot annis debitam et fructificantem, ademerit, et Collegii summis applicuerit. Fundamentum hujus habuit, ut ipsemet in sua Resignatione ad marginem scribit: Rationes Collegii anni 1695. Ubi post Elenchum Summarum scribit, quod R. P. Bieczynski pro tunc Provincialis, adjudicaverit Collegio summam 3000m in Pamiątkowo in recompensationem 3000m à M. D. Mathia Radomicki, pro tunc Castellanida Calissiensi per R. P. Ropelowski Præfectum Templi levatorum.

Ad hoc ergo Respondeo: Verum est, quod in iisdem Rationibus ita scriptum sit, insuper addo, quod etiam in suis rationibus Fabricæ P. Ropelowski eodem anno 1695. hoc idem paucis mutatis scripsit, sed hoc utrumque erroneè scriptum esse sic demonstro:

R. P. Rokossowski Soc. JESU donaverat Fabricæ Templi pro Sacello S. Francisci

Xaverii, summam 6000m in Bonis Dupin hærentem, hæc summa anno Dni 1692. de dictis bonis levata, ac data M. D. Andreæ Radomicki Castell. Calis. in bona Dupiewiec, ut habetur in Libro Rationum Collegii in elencho summarum anno Dni 1694 et 1695. Percipiebat censum ab hac summa 6000m Fabrica Templi, ut habetur in ejus rationibus anno 1693. mense 8bri et mense Augusto 1694. Item inferius, pluribus in locis, ubique sex millia apud M. D. Andream Radomicki Fabrica Templi scribit, etiam ipse P. Ropelowski, inter debita Fabricæ Templi numerat 6000 apud M. D. Radomicki.

Tandem anno eodem 1694. idem M. Andreas Radomicki, ex hac summa 6000, dedit 3000 M. Mathiæ Radomicki Castellanidæ Calis. fratri suo germano, relictis aliis tribus millibus apud se. Insuper idem M. Mathias Radomicki, eodem ipso tempore concessit alia tria millia apud Collegium, hæc ergo simul juncta efficiunt summam 6000. quam M. Mathias inscripsit Collegio Actis Castr. Posnan. Feria 2da ante Festum Sæ Margarethæ V. M. proxima 1694. Ita habetur in Rationibus Collegii in elencho summarum anno eodem 1694. et anno Dni 1695. Ubi expressè prædicta 6000m R. Di Rokossowski dividuntur, ac medietas eorum una, nimirum 3000 locata scribuntur apud M. Andream Radomicki. Altera medietas, nimirum alia tria millia scribuntur locata apud M. Mathiam Radomicki, simul cum alia separata summa Collegii 3000m flor. Pol. à successoribus Gnosi Niesolowski, et ex magna Lęki levata.

Non nego itaque ego, quod Fabrica templi anno Dni 1695. levavit summam 3000m, à M. Mathia Radomicki, uti habetur in Rationibus Fabricæ Templi, mense Julio, sed levavit summam seu potius medietatem summæ sex millium R. di P. Rokossowski, relictis aliis tribus millibus Collegii.

Ostendatur, quantam habuit summam Collegium apud M. Mathiam Radomicki! [illegible] Nonne tria millia! hæc etiam nunc habet. Fabrica templi habuit tria millia apud eundem, sed quia eadem levavit, nunc nihil habet. Erroneè ergo putatum est quod hæc summa 3000 à M. D. Mathia Radomicki levata fuerit summa Collegii, ac proinde illegitimè in locum ejus summa trium millium in Bonis Pamiątkowo ex summa 4000 Fabricæ Templi adempta ac Collegio adjudicata.

Tota itaque summa 4000. debet servire cum suis Provisionibus Fabricæ Templi. Et si quæ provisiones antea sunt acceptæ, à Collegio debent restitui. Legantur diligenter Rationes Collegii, videlicet in Elencho summarum 1694 et 1695. quod apud M. Andream Radomicki 3000, inter summas Fabricæ sint posita. Item inter easdem summas 3000 apud M. D. Mathiam Radomicki. Insuper inter summas Collegii ponentur simul ibidem iisdem annis 3000 Collegii apud eundem M. D. Mathiam Radomicki.

Nec valet quod hæc summa 6000 simul juncta inscripta sit Collegio, non Fabricæ templi; sic enim omnes summæ etiam Templo, sive Bursæ, sive Collegio servientes inscribuntur.

Hac Informatione bene trutinata, censuit R. P. Rector cum PP. CC. summam memoratam 3m ad Fabricam Templi spectasse; adeoque Templum ad obligationem nullam ex summa in Pamiątkowo hærente teneri, et idcirco summam hanc ex integro Fabricæ templi deberi. Quod Judicium postea R. P. Visitator approbavit, speciali memoriali de sor relicto.

Mors Illmi Adami Kozminski Castellani Rogozinensis

October, Luctuosus hic Collegio et Societati mensis. Obiit Swarzędzi 8va illius magnus noster amicus Ill. Adamus Kozminski Castellanus Rogozinensis. Nullam omiserat Provinciam, qua affectum non exprimeret. Excitavit majorem Poloniam in Comitiolis Sredensibus, ut pensionem Posnaniæ et Wschoviæ unius anni ducillarem Canonizationi Bi Stanislai Kostka dedicaret, et evicit. Dispositus ad æternitatem ab uno è nostris, quam spes est, quod felicem sit consecutus, inter summos fidei pietatis et pœnitentiæ sensus diem claudens ultimum. Swarzędzo Cadaver Calissium uno è nostris comitante evectum est. Tumulatus in Nostro, ibidem Templo. Funeri cum 4 PP. R. P. Rector aderat.

Mineralia Ruda reperta

Reperta sunt ferri Mineralia vulgo Ruda, in Sylvis ad Halcie Spectantibus; Ut possent iisdem frui Perill. Unrug Capitan. Obornicensis, Contractus in annum cum illo initus: appromisit ferri sexagenas tres.

Iterato cecidimus causa in Tribunali cum Illmo Pawlowski

November. Iterum hoc mense feria 4ta post festum SS Omnium Causam Trampczynscianam perdidimus cum Ill. Pawlowski Castellano Biechoviensi. Confirmatum est Decretum anno 1715. latum in favorem Castellani. Quod succubuerimus, primò absentia R. P. Trampczynski (sic censebant Jurisperiti) Romam à Congregatione Provinciali destinati effecit. Deinde supplices Libelli pro Castellano à magnatibus ad Tribunal Petricoviense, missi effecerunt.

Etsi

Etsi multam Trzympczynsciano summe partem Tribunal Collegio ademit, integras tamen curas pro erigendo Collegio R. P. Rector non deposuit. Contractus cum Civitate initus, ut illa fundum pro eruenda ad lateres parandos argilla permitteret, et permisit ad quinquennium adjecta Conditione ut ejusdem urbis huic materiæ fornax restauraretur, et tubilarium ædificetur nostro sumptu sic, ut post triennium possessioni urbis cederent. Habetur Contractus apud Præfectum Durium.

Festum B. Stanislai Kostka singulari apparatu celebratum. Ivere triumphalia pegmata à Magistris exhibita. Prætorii turris, tota arsit lampadibus. Pyraulici ignes noctem serenârunt. R. Szarnowski Archidiaconus Pszevensis, ad majorem aram operatus. Præpositi, Unus S. Martini, alter S. Adalberti dixerunt Sacras Panegyres. mensæ cum aliis adhibiti. Oratio deinde dicta à Rhetore.

Beneficium Salis pro Collegio

Singulari Cura et favore Perill. Capitanei Babimostensis Adami Poninski assignationem pro salis 30 doliis, à distributore salis, D. Lipnicki obtinuimus. Ingrossata est in Castro assignatio, serviet favori Bonorum nostrorum terrestrium.

Cum tribus Turznam Patribus excurrit R. P. Rector. Funus illic celebratum ultimi è Domo Turzyniana Capitanei Powicensis. Avus defuncti fundavit Residentiam Valcensem. Funebrem dixit Laudationem P. Stephanus Poninski.

December. Nicolaus Kinöll Novitius, melior apothecarius arte, quam moribus Societati congruis, dimissus est.

Ad Natalitia Christi festa, multi iverunt missionarii.

Annus 1718.

A. R. P. Michaël Angelus Tamburinus

R. P. Reinholdus Gert Visitator et V. Provincialis.

R. P. Joannes Symonski Rector.

Aluit Collegium Personas 55. ex his Sacerdotes 25. Scholasticos necdum Sacerdotes 14. Magistros 4. Coadjutores 12.

Januarius. Votorum, impletis omnibus ordinationibus, Renovatio habita Dominica 2da post Epiphaniam. Instabilis hyems et infelix admisit sagenam post festum S. Agnetis, at piscatum est successu modico, etsi pro reparatione retium 600. flor. et ultra sint expensi. Animavit alacritatem Professorum Liberalitas R. P. Rectoris quos misit Siekiercios ad vacandum indulgenter.

M. P. Josephus Andrzejewicz Rector Domus Probationis

Februarius. Evocatus est Cracoviam, ad Domus Probationis Regimen R. P. Josephus Andrzejewicz. Egit hic, Studiorum Præfecturam. Quia à desperato vix convaluerat morbo, quo integrum fere decubuit Januarium, ideo singulari R. P. Rectoris expeditus charitate. Ivit curru tecto, et in viæ, ac languoris solatium ab uno è Patribus comitatus. Eodem tempore, crebris postulatus Literis abiit R. P. Rector Glogoviam ad Perill. Butakowska Sigillatricem Posnan. ob aëris inclementiam, ægrè ad terminum exinde pervenit Domum.

Habuit tunc magnos hospites Posnania. Episcopum —— Vladislaviensem et Regni Cancellarium. citatis passibus Dresnam ad Serenissimum properabant. Visitati à R. P. Rectore, iidem Collegium visitârunt, celebrato per Episcopum ad aram S. Crucis sacro, quod et Cancellarius audivit.

Duo nobiles ad mortem damnati, à Nostris dispositi, ad æternitatem abierunt.

Martius. Resolutus in magnam glaciem Varta, pontem diruit, et magnam difficultatem in transportanda Mechlino et Siekierciis Provisione fecissent, auxit incommoda aquarum eluvies, et Navigiorum paucitas. Stante R. P. Rectoris regimine, magna amicitia cum Religiosorum Ordinibus nectimur, præcipue cum P. P. Dominicanis. Ad Sacrum principale invitatus ab iisdem R. P. Rector in festo S. Thomæ Aquinatis. Concionem dixit è Professoribus Theologiæ unus. | Episcopus Posnaniensis per Canonicum Cathedralem Perill. Libonicz, requisivit à R. P. Rectore, ut rusticum redderet, qui villicum à tribus annis Terzekoviciis agebat. Institit et D. Rogalinski Bonorum Episcopalium Tenutarius, appromissa

satisfactio, si liqueret rusticum esse juris prætendentium, quia patuit alienæ ditionis esse rusticus non Pontificiæ; à requisitione molesta cessatum est. Eodem tempore, in eadem materia sæpius fatigabatur Collegium à Nobilibus. Calamitosissimis belli tempestatibus, eorum rustici ad nostras seu ad portum confugerant villas, hic ditiores facti, quo nudi venerant, hæredum acuerunt studia, ut sibi restituerentur, unà cum familiis et omni supellectile. Cum nonnullis, Compositio facta amicabilis, cum aliquibus jure disceptabitur, an reddi debeant à multis neglecti annis, et velut hic nati dum servati.

Lubienum pro festo S. Benedicti duo è nostris invitati ad dicendas Conciones, magnam Religiosi illius Ordinis et benevolentiam experti et charitatem. Festum Annuntiatæ Virginis, maxima Congregatio solenniter celebravit. Conclusit devotionem Ill. Episcopus, in nostro tunc etiam Templo ad seram usque Noctem Sacramentum Confirmationis impertiens.

Aprilis. Ad Paschalia festa, quotquot poterant mitti, missi sunt Operarii, nec tamen omnibus Parochiis satisfactum. Zelus Ill. Episcopi, mentem ejusdem erga nos immutavit, qui aliàs ab ascensu Cathedræ magnam testabatur P. Rectori benevolentiam. Requisivit ille, ut plures operarii in Villas et Oppida, hæresi præsertim infecta, mitterentur, sumptibus nostro et Curribus. Opposuit P. Rector paucitatem personarum, quæ germanico idiomate proximis inservirent, ut tamen aliqua parte satisfieret postulato Præsulis, expediti duo Budzinum oppidum aliàs sterile, provisum est missionariis, et eorum equis à Collegio.

Majus, nihil speciale habet, præter quod cum Magistrorum Dramata concluserunt. Syntaxis et Grammatica, bono successu egit Scenam.

Junius. Festa Pentecostes triduanæ Studiosorum Collectiones, singulari pietate et ædificatione consecrârunt. Aliqui domum tunc à Parentibus evocati, postquam redierunt, easdem sibi tradi expetebant, quorum votis satisfactum est.

Quia superioribus annis Curæ animarum, quam Siekierciis nostri habent objectum est, præsertim quod sine facultate etiam matrimoniis assisterent; obtinuerat P. Rector facultatem in scripto, à loci ordinario, ad functiones ejusmodi ritè obeundas, hæc jam respiraverat, proinde ab Ill. Suffraganeo petitio renovata, qui subscripsit ad triennium.

P. Martinetti ex India redux.

Ex Indiis reducem Missionarium P. Josephum Martinetti Collegium humanissimè habuit, remissus est sumptu nostro et curru Vratislaviam: Commoditatis gratia, additus illi Socius è Patribus unus, qui Germanicam quoque calleret linguam.

Ordinatio Illmi Eppi circa assistentiam Ordinum Religiosorum in Processionibus.

Intimata est P. Rectori Ordinatio Ill. Episcopi, qua statuit, ut omnes Religiosi ordinis ad Processiones obligati, non tantum festo Corporis Christi, ad Cathedralem Ecclesiam descenderent sed etiam peracta per Urbis forum processione, ferculum illuc Eucharisticum reducerent, et nonnisi post Te Deum laudamus decantatum redirent Domum. Ad vitandas Academicorum cum nostra juventute tricas, assistebant nonnisi ad Valiszevum pompæ huic Scholæ nostræ: petiit Ill. Episcopus, ut pari cum Religiosis modo iretur ad Cathedram et rediretur. Opposuit P. Rector satisfactum iri voto Præsulis, si securitas ab Academicis et Prælatorum aulicis, Nostris provideretur studiosis, quod quia appromissum, hic in sententiam itum Episcopi. Per eundem internuntium, significavit Ill. Episcopus mentem suam esse, ut Nostrarum Scholarum Clerici Patribus Nostris sacra cantantibus Diaconi et Subdiaconi assisterent. Olim hæc praxis viguit, sed ob superbiam multorum, longius obsoleverat. Cum Dracesim simul Siekiercensem Ecclesiam Ill. Episcopus visitavit, nemine nostrûm præmonito, aperiri valvas voluit. mox aulæ innotuit; à supervenientibus nostris sciscitatus, quot sacros calices illa ædes haberet! Monstrari Olea sacra petiit, et sacrarium aperiri, quo tamen non ingressus. Inde mox se proripiens postulatus ad aulam divertit, cum prandium recusaret, pauculos pisces gratissime acceptavit, et Gluszynum iit.

Sicut à Nobis, sic nos à Nobilibus profugos recipere Rusticos curavimus. Mechlinum enim intra aliquot dies, octo ejusmodi desertores sunt reducti.

Julius. Ut toto fere anno, Moniales S. Benedicti, specialioribus nostrorum laboribus foventur, sic omnibus Exercitia S. Patris sunt tradita.

Triduana Disputatio.

Professor Metaphysicæ extraordinario ad pompam apparatu per triduum manè et à meridie Theses variis dedicavit Patronis. Primam reddidit Ill. Suffraganeo Petro Tarlo in assistentia octo Canonicorum Cathedralium præsenti. Aliàs variis Scientiarum fautoribus. oppugnarunt (ipsimet rogârant) hactenus res inaudita Pœnitentiarius Cathedralis, et Philosophiæ Professor Academiæ.

Primam Deo hostiam Theologi 3tii anni Dominica 5ta post Pentecosten obtulerunt. Dicta et Oratio ab Uno è Scholasticis in festo S. Bonaventuræ apud P. P. Franciscanos.

Aliquot ante S. Patris Ignatij festum diebus, in frequentia numerosissima Nobilitatis congregatæ ad Judicia S. Joannis, exhibuit solenne Dramma M. Poeseos, Idonas cujusdam Principis Russiæ referens tragœdiam. Apparatus magno pretio Vratislaviæ comparatus Regis oculos, testante Illmo loci Episcopo, cum toto capitulo præsente, merebatur. Missus est postea Petricoviam, inibi exhibitionibus Scholasticis in æmulatione cum Scholis Piis serviturus.

Festum S[ti] Patris nostri, solito cultu celebratum, principale Sacrum habuit Rdss. Mierzeuski Scholasticus Gnesn. Archidiac. Sremens. Egregium dixit Panegyrim Prior Lubinensis Ordinis S[ti] Benedicti. A meridie Exprior ejusdem Ordinis, mensæ cum aliis hospitibus adhibitis.

Augustus nihil speciale refert.

September. Diem ultimum vixit Soror R.P. Martini Trampczynski Rectoris tunc Leopolien. et Collegii nostri Benefactoris: Castellani Biechoviensis (cum quo nobis lis fuit ex est adhuc ratione summæ à memorato pie Rectore Fabricæ Collegii nostri inscriptæ,) Uxor erat. Ad celebrandum funus, sex è nostris Lvoveum perrexerunt. Domi ab omnibus Requiem dictum et Coronæ recitatæ.

Summa 3[m] fabricæ Templi apud Illm. Andream Radomicki locata, Soc anno mense 7bri levata. et anno sequenti alibi locata.

Sicut anteriore anno ita et isto per interpositionem Adami Poninski Dapiferi Posnan. et Capitanei Babimosten. pro Salis 30 doliis, assignationem obtinuimus cum eventu. Templum, Collegii summam trium millium in Bonis Andreæ Radomicki Palatini Posnan. locatam habuit, à 15. annis censu vacuam. Urgeri cœpit ad exsolutionem Palatinus, et Capitalem summam, et Censum à 9. annis medium restituit, sex autem annorum Census omitti debuit tot enim fere annis Palatinus exulaverat à Patria, favore cujus exilii Decretum Tribunalis obtinuit, quo Creditores alii gravabantur, ad non exigendos, stante illa calamitate census, quia vero et nobiscum experiri voluit per strepitum juris, ni acceptassemus conditiones ejusmodi, visum fuit certum pro dubio lucrari.

Recepit et Bursa Musicorum flor. 350. ab Illo Dębski, Castellano Brestensi Cujaviensi. Habuit illa summam Capitalem fl. in Bonis Ludomi (hæreditas erat Brezarum) quæ Bona, quoniam in jus et possessionem venerunt Castellani, solvit hic istud onus, et deinceps ab illo census debet peti.

12[m] Bonis Barcin inhærentia, transfusa in Civitatem Posnan.

October. Illmus Gostawski Castellanus Premeten. improlis inscripserat summam Collegio 12[m] in Bonis Barcin. hæc bona, per jus uxorium pervenerunt in possessionem D. Domaradzki Capitanei Crusvicen. ut hic satisfaceret legato, transfudit hanc summam in Urbem Posnaniam, illi totidem millibus obligatam, Nos acceptavimus.

In Bonis Starez locata est summa 7. millium, quorum 3[m] Collegium, 3. Templum et Unum mille concernit diem anniversariam, Ursulæ Bronieuska Benefactricis; ab hac summa prima vice solvit censum Perill. Szołdrski Vexillifer Posnan.

Duo Academici Professores, ipsimet Juventutem Academicam nostris Scholis commendârunt.

Virtus Aquæ S. Patris.

Hactenus sæpe è nostris Studiosis discoli, Academiam quasi Asylum habuêre nunc Professores Poëseos et Grammaticæ Academici suam juventutem, etiam Rhetores, nostris commendârunt Scholis, et ipsimet induxerunt. || In hac Urbe icon et aqua S[ti] Patris benedicta vim suam exeruit. Nocturni aliqui (puta per malos genios) tumultus infestabant Domum Civis nostri D. Winkler, ut hisce amuletis lustrata est (uti et alia similiter infestata Domus) extemplo vexa illa evanuit. || Suetico imperio adactum erat Collegium, ut in Suburbio Posnan. (vulgo Rybaki) Domum quandam emeret, quæ erat in fundo Jurisdictionis Capitanealis majoris Poloniæ sita, multis molestiis impulsi, præsertim illmi Generalis requisitione sæpius iterata inclinati, ut suo juri cederet, convenire debuimus. ob varias prætensiones imminutum est pretium ejus domunculæ, emeramus 150 Timfonibus, redditi sunt Collegio flor. 200.

November. Festum B[ti] Stanislai Kostka, solenni Processione et triumphalibus Scholarum curribus decoratum. Sacrum principale dixit Ill: Suffraganeus. Baptizatus est et Judæus Posnan. à Rdss[o] Mierzeuski Scholastico Gnesn. Archid. Sremen. Patrini fuêre Ill: Suffraganeus et Capitanea Babimostensis Christina Zegocka. Adhibiti sunt mensæ hospites, et Academiæ Director vir Societati amicus.

Lis inter Siekierski et Czerleino, ratione Sutowa.

Villa deserta olim Sutowo, possessionis nostræ est, olim pertinuit ad præstimonium Czerleiense. Hoc præstimonium concernit Rdss. Raczynski Canonicum Gnesnen., hic requisivit à P. Rectore, ut aliquot agri jugera, sibi restitueret, tanquam spectantia ad illud Beneficium Czerleiense: Factâ diligenti cura, invenimus Resignationem Juridicam Bonorum istorum Sutowo per Vener. Archi-Capitulum Gnesnense in Personam Lucæ Siekierski anno 1552. possessorem olim Bonorum Siekierki. Hoc instrumentum, si jus iterum prætendet Canonicus, monstrari poterit.

Dec.

Facta juridica Inquisitio Invasionis Prædii nostri Kaleje.

December. Quia suasum fuit nobis ne in Causa Invasionis prædii nostri Kaleie factæ Anno 1717 Mense Majo, à famulis Perillis Żebrzydowski Capitanei Rogozinensis jure ageremus cum illo, idq ad evitandam ejus infamiam; et ex altera parte ad amicabilem compositionem satisfaciendumq superstiti Parenti occisi in dicta Invasione Oeconomi sui, pluries invitatus de die in diem differebat, ex Jurisperitorum Consilio, ad consulendum Honesto nostro, nostræq quieti, si quando à quopiam ob occisum Invasorem in Jus vocaremur, visum est, Juridicam impetrare Inquisitionem super facta Invasione, et ex illius occasione Oeconomi fato, quæ etiam de facto facta est Mense hoc, et in occluso Rotulo, servatur in Collegio.

Ex hæresi Calviniana per hunc Annum reducti ad S. Fidem 5. Ex Lutherana 10. Ex Schismate unus. Apostata à Religione, inductus ad reditum. Item Monialis quædam. Alios fructus spirituales Vide in Annuis.

Annus 1719.

Sub A.R.P. Michaele Angelo Tamburino Præposito Generali.
R.P. Reinholdo Gert Visitatore & V. Provinciali.
R.P. Joanne Szymonski Rectore.

Causa cum Illmo Pawłowski per Complanationem finita.

Initio anni hujus causa Collegii nostri ratione 80[m] quæ R. P. Martinus Trampczynski pro fabrica Collegii inscripserat, eaq in Bonis Lwowek apud Adamum Pawłowski Castellanum Biechoviensem hæserant, causa ingens illa, multis annis utroque foro agitata, tandem finita & finaliter per compositionem amicabilem conclusa est. Castellanus 34[m] & 900. enumeravit florenos, minus sperare à Judicio, plus extorquere per amicos, non potuimus. Quietatio facta in Castro Posnan: tam de summa quàm prætensionibus quibusvis, & assecuratio addita de nunquam resuscitanda lite. Complanatio hæc & authoritate & rationibus nixa est. A. R. P. Noster, pro tunc Visitatori Provinciæ R. P. Reinholdo Gert cognitionem causæ commiserat, hic multos Jurisperitos, tum Lublini tum Petricoviæ eosq Societati amicissimos, tum alibi, sæpius fatigavit, requisiti amici, iiq primores Regni, Consultationes in variis Collegiis iteratæ; tandem visum est potius acceptandum esse panem in pace, quàm idem vel minus cum dissidio sperandum, prementibus præcipue rationibus, quarum:

Rationes Complanationis factæ.

1ma est. Causam hanc jam bis in Regni perdideramus Tribunali: anno 1715 fer. 6ta. post festum S. Martini Pontif. et an. 1717. feria 4. post festum Omnium Sanctorum; Etsi vero contingit (rarissimè tamen) ut post binum hujus fori uniforme Decretum aliquando mortua causa reviviscat, id exigunt denovo reperta documenta adversarium perimentia; Nos omnia Majoris Poloniæ Castra excussimus, quidquid convictivum putavimus an: 1717 protulimus, nihilominus faventi parti adversæ Judicio cecidimus, cum nec documenta amplius superessent, deperesse spes, aliquid prudenter tentandi non potuit.

2da Ratio. Contractum fecerat An: 1609 P. Martinus cum Fratre germano Mathia, ut pro sorte, id est medietate bonorum se concernente quocunq titulo Dominus Mathias 40[m] flor. Pol: cum annua provisione à cento per 7. sibi inscriberet, et quidem ita ut 20[m] sibi liberæ forent dispositionis, alia ante 20[m] post fata sua redirent ad legitimos & propinquiores successores; addidit & submissionem in Posnan. Castro inscriptam quâ se obligaverat resignaturum omni ad bona juri; qualis submissio ejusdem valoris est, ac ipsamet resignatio juridica. Providus Sorori suæ D. Mathias, morti proximus, & ejusmodi contractu & submissione ad resignandum securus, Intromissionem per duos Nobiles eidem ad omnia bona permisit, eamq realiter induxit, ac obedientiæ et hæredi, subditos omnes disposuit, quæ intromissio etiam in Castro Posn: à Carolo Rydzinski pro tunc Surrogato Judice subscripta videri potest. Posteriori tempore, post fata scilicet Fratris Mathiæ, P. Martinus Collegio donaverat et inscripserat 80[m] novo contractu inito cum Adamo Pawłowski Marito sororis suæ, quem contractum utpote præjudiciosum juri uxorio, Tribunal cassavit et mulctam Castellano imposuit, standumq esse primæ Fratrum Complanationi censuit. Jam Castellanus in ante 20[m] persolverat, alia adhuc 20[m] ut enumerarentur nobis decreta sunt, in quo aliquis favor fuit Judicum (sed injuria longe major P. Martino utpote legitimo Hæredi) favor inquam, cum fraterna complanatio non nisi censum ad vitæ tempora eidem à 20[m] manente penes Successores summa impertaret. Timorem igitur Jurisperiti habuêre, ne & hoc favore, utpote contumaces, gemino Tribunalis decreto, privaremur; proinde causa resuscitari non potuit.

3tia Ratio. Multum labefactabat causam nostram authoritas Magnatum

militans pro Castellano; praesertim literae Episcopi Posn: Christophori Szembek ad Tribunal datae, cùm de eodem foro lis ageretur. Mediatorem hic agere voluit, ut tandem 40m contentum foret Collegium; ut intellexit non acceptari, suspensionem authoritatis auctumavit & asseruit, nec tantum nobis à Tribunali adjudicatum iri. Intercesserunt pro eodem Castellano Generalis Majoris Poloniae, & alij Majoricae Primores: ut magis comperimus, dum nonnullas literarum post complanationem nobis à Castellano redditas legimus, praecipuè Episcopi illius, qui nec honori Societatis pepercerat. Plus certè inimicum (ut constabat) Spiritualibus Tribunal praestitisset, plus inquam Purpurati & Trabeati intercessionibus, quam nudis nostris precibus.

4ta Ratio. Magnum contra nos odium suis querelis, & lacrymantibus commatis apud Nobilitatem, nobisque ante amicissimos Castellanus concitaverat; passim avari, alienae fortunae appetitores, immisericordes, passim inquam in omni foro conventu, privatim & publicè, in Comitiolis & consessibus dicebamur. Submittebant varij Nobiles, monebant amicabiliter, tam in Comitiolis quàm in Judicio, nocivum fore ulteriore processum, ideirco visum est postponere honestum utili; & quidem honestum certum, utili valde dubio. Complanatio posthac subsecuta, & laudes & affectus Nobilium elicuit.

5ta Ratio. Castellanus, in quibuscunque potuit Castris, collegerat inscriptiones, sive Collegio, sive Templo, sive Bursae Musicorum, sive Congregationi Bonae mortis, sive quocunque & qualicunque titulo ad Collegium pertinentes, sive jus in re, sive jus ad rem haberemus, quae inscriptiones in unum redactae [cum] non mediocrem summam importarent, & si praesentarentur Tribunali (propter quod collectae fuerant) aerarium nostrum ditissimum, oberata Nobilium bona, & detrimenta successorum, explicassent. Unde injuriosa de nobis apprehensio, Benefactorum alienatio & odium apud Terrigenas oriretur.

6ta Ratio. Castellanus protestabatur, si tertiò causa evocaretur se ad Tribunal cum multa prole, Filijs & Filiabus, iterum Judicum pedes gemitibus & lacrymis fatigaturum, ne per nos è Bonis satis jam extenuatis, ad mendicandum panem pelleretur. Certè mutae lacrymae plus valuissent, quàm Causidicorum multiloquia. ‖ Tandem ipse Benefactor Collegii P. Martinus, omnibus intellectis & perpensis, quae a causa 3tio resuscitanda abstrahebant, inclinatus ad amicabilem potius compositionem, in literis ad R.P. Rectorem 7. 7bris 1718. datis, sic animum & votum expressit: Metus (inquit) justus est, ne pars adversa iterum conquirat intercessiones Magnatum, à podobno: Samego królewica Augusta (przy którego Dworze in praesens est Filius Castellani) ad futurum Tribunal Regni: & sic causa quantumvis justissima, iterum atque tertiò succumbet, cum gravi suspicione & damno nostro. Accedit & illud, że teraz na Sejmikach Declamantes wielkie exclamationes tacito Dworu na nowe Fundacye, Inscripcye, quid si stanie na Seymie, adversum nobis! Et iterum in datis 12 8bris anni ejusdem: Si in ista [causa] nullus Iurisperitorum, nullus amicorum suadet resuscitandi negotium. Ergo jam finita bella. Idem planè meum consilium est, maximè, cum nec ego sciam, unde telam hanc ordiri velit P. Procurator. Scripsi multas rationes R. P. Visitatori in praesens perimentes, maximè nunc frementes fere tota Polonia in Comitiolis contra Fundationes & Inscriptiones pro parte Spiritualium factas, ut abrogentur, minuantur & quid ergo nobis faciendum? Et concludit: pinde censeo concludendum, conditionibus quibus, a wostatku iak będzie mogło być. Haec ille.

His itaque perpensis rationibus, R. P. Visitator & R.P. Rector antequam adhuc ad complanationem devenirent, voluit vocare in jus Castellanum saltem volendo famam vindicare P. Martini, quam Castellanus partim privatim partim in protestationibus publicè factis, laceraverat, imponendo P. Martino, quasi ille contractum faciendo de 80m cum Castellano, appromiserit quietationem se illi daturum, de eadem summa, vulgo Reverss, & consequenter subdolè egerit, quod scomma & Calumnia, magnam Societati infamiam impegit. utraque jurare voluit pro sua parte, neuter testimonia habuit judicio inducenda. Unicum superaverat medium, ut Castellanus protestationes ejusmodi eliminaret exactio cum dependentia Capitanei. quod appromisit, & easdem contra se factas eliminari expetivit, & ne amplius contra P. Martinum licentiosius loqueretur. Eliminatio famosarum protestationum necdum facta à Castellano. Requisitus enim P. Martinus hoc in puncto, respondit, dato 17 9bris 1718. Calumnia ab homine isto, non mihi tantum sed universae Societati imposita, ut tali strepitu exactio elimineretur, non videtur mihi. 1. q. jam huic satis provisum per reprotestationem à me factam, & etiam juramento comprobandam. 2. q. ab illo nullo probari potest [scripto] aut aliquo instrumento. 3. q. Tribunal Regni in utroque decreto (quo cecidimus) nullam hujus mentionem facit, posuisset tamen certò id, tanquam fundamentum causae. Unde apparet, quod id sit tanquam palmare mendacium. Haec Pater. Exinde Complanatio, uti supra, plenè & perfectè decisa, ingrossata est, [et] in scripto.



IN Causa Asculana vertente intèr Confratres S. Mariae Assumptae erectae intus Collegium dictae Ciuitatis ex vna, & Patres Societatis Iesu partibus ex altera, de, & supèr praetensa independentia ipsorum Confratrum à dd. Patribus Societatis, supèr asserto dominio, & proprietate Situs, & Mansionum dictae Congregationis, seù Sodalitatis, necnon supèr praetenso dominio Vasorum argenteorum, supellectilium, ceterarumque rerum ad praedictam Congregationem spectantium, rebusque alijs &c.

Sacra Congregatio Eminentissimorum, & Reuerendissimorum S.R.E. Cardinalium negocijs, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praeposita, Partibus ipsis auditis, referente Eminentissimo Gualterio, censuit, decreuit, ac declarauit constare de aggregatione, & sodalitatem non posse possidere, ipsosque Confratres parere debere Praeposito Generali Societatis. Romae 16. Martij 1713.

G. Card. Carpineus.

Loco ✠ Sigilli. *F.A. Nycenus Secr.*

ROMAE, Typis Reu. Cam. Apostolicae 1713.

Fuerat aliquando in Collegio Capella Sodalitati Civium sub Titulo Nati
vitatis Virgineæ destinata, quia tamen locus ille nec satis commodus, imò nec decens
Congregationi habendæ videbatur, pauci Civium eò confluebant. Interim Germa
ni devotionem ad reædificatum OO. Sanctorum Templum extra mœnia Civitatis effe
runt, & suum locum, quem pariter in Collegio habebant, Civibus relinquunt. Acce
dunt illi, majori jam frequentia, etiam primæ notæ, alliciente eos loci honestate.
Cum verò diruto à Suecis Omnium Sanctorum Templo, Germani locum suum repeterent,
Poloni contra obniterent, Causa à Nostris Romam ad A. R. P. Nrum delata, qui non
omnino rectè informatus in favorem Germanorum sententiam tulit. Decreto hoc
offensi Cives, ad Parochialis Ecclesiæ Sacellum, è quo Nostri Conciones audire solent,
non tantum devotionem, sed Sacros quoque apparatus clandestinè transferunt.
Argentea tamen supellex fere tota mansit, quæ etiamnum in Collegio asser
vatur. Hæc ante non paucos annos acta, putabantque ipsa temporis mora offensam
Civitatis sopivisse. Recruduit tamen illa anno superiore mense Majo, quo Magi
stratus Posnaniensis, per duos delegatos Cives juridicè apud P. Rectorem in
stitit, ut quandoquidem illius Congregatio pristino loco mota esset, supellex quoque
argentea eidem loco applicaretur, ubi suæ in B. Virginem pietati servire posset.
Respondit R. P. Rector, frustra à Civitate de nova Congregatione in Templo Paro
chiali erigenda cogitari; privilegiis enim & indulgentiis Congregationi Civi
um concessis, gaudere non potest, quæ à Nostrorum cura non dependet. Ar
gentum quod attinet, hoc extradi non posse, quod non publicis Civitatis, aut Ma
gistratus impensis, sed privata piorum liberalitate comparatum, & appropri
atum sit Congregationi Civium sub Titulo Nativitatis Beatissimæ. Nihilo
minus si Rdus Visitator (qui in dies venturus sperat) contrarium sta
tuerit, factum iri satis eorum requisitioni. Porro visum est R. P. Rectori
mentem ipsius A. R. P. Nri explorare, qui in hæc verba respondit: Quod spectat
ad quæstionem, quam movet Sodalitas Civium indubitatum est, quod quæcunque
illius supellex ad Societatem pertineat, ac proinde nullo jure restitutionem
illius exigere possit. Certè, cùm haud ita pridem, in simili lis Nro Collegio Ascu
lano intentata, eaque ad S. Congregationem delata fuisset, hæc in favorem Soci
etatis sententiam tulit. Quia tamen aliud est, quid jure fieri debeat, & quid
in facto exhibere conveniat, poterit R. Va cedere etiam illam partem supel
lectilis, quæ apud nos remansit, si nimirum aliquid gravioris incommodi, ex
usu juris Nostri timendum esset. Expediet tamen, ad præcavendum omne
præjudicium, præmittere solennem protestationem, quod planè gratuito fi
at illius restitutio, & si fieri potest, etiam literis reversalibus, ut vocant, obtentis,
testetur Sodalitas, se gratuito eam recepisse. Hucusque Roma. Sed necessitas
non compulit, ut restitutio ista fieret; nam ut mense hoc advenit Rdus Visi
tator, innovavit quidem Magistratus postulatum simul declarationem
R. Patris expetendo; sed mitius jam quàm antehac. Nec causam prose
cutus, postquam illi declaratum, in Novo Collegio, quod sequenti æsta
te inchoabitur, Congregationem Civium cum perpetuo Sacello innovandam.
Multum verò ad quietem contulit informatio ab Uno Civium Nobis bene
affecto, data. Hic consilia illorum aperuit, nimirum non cogitare Ma
gistratum de erigenda in alio loco Congregatione, sed potius utensilia nostris
emax argentum, cujus pretium in publicas Civitatis necessitates expen
sum volunt. Reposuit Noster, cui id secreto communicatum fuit, nullo
jure sibi licere res Deo sacras licitari, & Benefactorum intentionem
fraudare. Quod ubi referente eodem Cive, alii intellexerunt, spe suâ de
jecti, rem non urgendam esse arbitrati.

<u>Martiales</u> in Palladis arenam concertantes produxit Scholas. Rhetores
primo Rhetoribus, Syntaxistas deinde Poëtis, Infimistas cum Grammaticis opposu
it, certatum ingeniis, Pallade victorias præmiante. Severiores scientiæ pariter præ
buerunt Theologici laboris specimen; præivit Sacræ Scripturæ explicatione Positiva,
subsequente Juris Canonici enodatione, conclusit Moralis elucidatione Casuum Scientia,
non sine hospitis Auditoris frequentia, instituta.

Elapso biennio Contractus initi cum Judæis Posnaniensibus, quo illis ha
bito respectu, tum depredationis à milite Confœderato post expugnatam Posnaniam
illatæ, tum notabilis conflagrationis quam non multo post passi fuerint. Defalcatio ni-

Magistratus argenteam Congregationis Civium Supellectilem extradi sibi vult.

indulta fuit; reassumpserant à 2da Januarij persolutione census hebdomadarij per 7 à cen-
tum utante; Sed 2da hujus rursus supplicantibus R. P. Visitatori presenti et R. P. Re-
ctori pro defalcatione, de novo sibi indulgenda, varijs ex causis aures prabito, nec defal-
catio negata ad Anni spatium, ut à centum summarum spiritualium per 5 à summa vero 20
Perillust. Mgfca Dna Zegocka Capitanea Babimostensis, per 7. cum haetenus solverent,
per 10 censum extraderent.

Mtia hujus R. P. Visitator visitatione Collegij absoluta, movit Wschovam salu-
taturus Regem, Ceterosque Magnates isthic congregatos; Unde postea Mederecum invisit.

Jakuszewski ad Nostrum Collegium Graudentinum destinatus à R. P. Visitatore
non informato per R. P. Rectorem Graudentinum, qualiter se illic gessisset, subsecuta in-
formatione includi jussus, et praemissa alga maceratione 10 praesentibus Rectoribus depositus ablegatus.

Finem imposuerunt Martio, expediti vario pro more ad Missiones Patres cum Scho-
lasticis quotquot expediri poterant. Porro ultima mensis, sero vespere, submissus ad R. P.
Rectorem unus, ex Clero à Reverendissimo Karnowski Archidiacono cum remonstratione
literarum Illustrissimi Episcopi Posnaniensis requirentis Missionarios Nostros Vitam, Le-
snam, Wschovam, Rudzynum etc: Sed responsum tardiusque hoc intimari, utpote majore
jam Collegialium parte in Missiones alias dilapsa, solumque Domi mansuros tres Conci-
onatores, cum R. P. Rectore, suis muneribus affixos. Sicutque desiderium Illustrissimi ignoscen-
det, illi saltem ex parte fieri satis potuisse, praemonitis mature Praepositis et Parochis,
qui Nostros invitarunt, ut aliunde Cooperarios curassent.

Aprilis. Vetus propugnaculum (alias basta) in area familiae, quod aedi-
ficijs sibi proximis fatalem casum minabatur, proveniendo lapsum ejusdem, dirutum
est, annutu sitrato obtento, ea conditione, ut quam Collegium implendam assum-
psit et implevit, ut in loco diruti propugnaculi murus impensis Collegij exstrueretur,
qui aream familiae à Civitate divideret.

Majus. Sub initio, strenuo labori circa fundamenta novi Collegij dedit
exordia. Et licet omne principium grave, hic gravissimum redderent, erutâ terrâ un-
dequaque copiosissimi in perniciem sumptuum laborumque contentionem erumpentes
fontes. illis tamen os obstructum praegrandibus lapidibus quibus trahendis vix robusti 4
equi aegrè sufficiebant.

Tutelaris Templi D. Stanislai Solennitatem infulata Pompa auxit,
Illustrissimus Episcopus Posnaniensis solennizando, nec Religiosae mensae dedignatus huma-
nitatem, qua cum aliquot Canonicis exceptus.

Mna hujus feralis fuit Semiemetoni in Pago Nostro Luciny, praedatrice flam-
ma non domum tantum, sed cum horreo stabula ejusdem depascente.

2da Professores ad triduanum vacationum otium evocavit Sekierczyn, quibus
reduces Magistri exercitijs Spiritualibus animum excoluerunt, necnon P. P. Procura-
tores, cum aliquot alijs.

Festa Pentecostes et Smae Trinitatis Missionibus in aliquot Parochijs adorna-
ta. Ad desiderium Illustrissimi Episcopi Lesnam pro Festo Corporis Christi expeditus Concio-
nator Germanicus cum altero Patre Polono. Dicta ab utroque Concio duplex in Templo al-
tera, altera in foro, magnaque populi frequentia excepta. Germanice habitam in foro
arrectis auribus non Catholici modo sed Heretici etiam auscultarunt.

S. Antonij luce Illustrissimo Antistiti Nostro per Studiosos gratulatio instituta D. Indigetis.

Et Junium, et Theologicum cursum conclusit, unus ex Clero Theologiae audi-
tor, dicatis exuniversa, Venerabili Capitulo Posnaniensi thesibus, in praesentia Canoni-
corum plurium, quorum etiam unus argumentatus est.

Julius. Festo Visitationis Beatissimae colligendae messi Apostolicae
campum aperuit Nostris ad Missiones Srebrum, Gorkam, Obozam expeditis.

P. Szembek Solennes Exequiae.

Illustrissimus Episcopus accepto nuntio de morte Fratris sui Germani, Patris Nostri
Josephi Schembek, solennes curavit exequias, in Collegiata S. Mariae Magdale-
nae, quibus ipsemet praesens interfuit, invitatis praeter numerosum Clerum Religio-
sis. Sacrum autem uno è Nostris (ita desiderante Antistite) Cantante.

S. Bonaventurae Laudes, utrisque pro Nostris Festo ejus apud P. P. Franciscanos vo-
caliores reddiderunt, mane quidem è sacro suggestu Professor Philosophiae, è Tullia-
na Cathedra à meridie Poeseos Professor.

S. Patris Exercitia multis hoc mense in praxim abierant; ijs enim Moniales
S. Benedicti uno ex Nostris P. P. Directore, tum ex Clero aliqui, Nostrorum etiam Fratrum
nonnulli, demum Theologi 3tij Anni cum alijs ijsdem imbuti, promovendi ad majores or-
dines. Ex quibus Subdiaconatu ab Illustrissimo Suffraganeo, Diaconatu autem et Presbytera-
tu ab Illustrissimo Episcopo initiati, primam Hostiam alij in Festo S. Mariae Magdalenae,
alij postridie die nimirum Dnico, Delitarunt.

Diem S. Annae apud P. P. Bernardinos in Templo sibi contiguo sub titulo ejusdem
erecto, quotannis cum magno populi concursu celebrari solitam, Nostri potissimo

singulari cultu inaugurarunt, bini scilicet binis Sacrum cantando, et alij bini sacra oratio-
ne auditorem pascendo.

In Domestica vero Solennitate S. Patris Nostri Sacrum cecinit Rdmus Stanislaus
Kierski Decanus Cathedralis Posnaniensis. Ecclesiasten egit Rdsmus Mierzewski
Scholasticus Gnesnensis Archidiaconus Sremensis. a prandijs Perillustris Lucas Da-
jewski Canonicus in Summo Posnaniensis S. Adalberti, qui omnes cum alijs 4 Canonicis
et Cleri Posnaniensis praecipuis, necnon et aliquot ex nobilitate Officialibus men-
sae adfuerunt. Auxit Smo Patri gloriam et gaudium unus ex Praedicantibus
Silesiae, Ecclesiae reconciliatus, publica Confessione Fidei in Templo Nostro eadem luce
instituta.

Augustus. Oratores Sacros è Nostris ad augendam portiunculae festivitatem
apud P. P. Franciscanos, Transfigurationis Dominicae Festum ad S. Martinum elicuit. Nec
occasionem importandi in horrea Dei frugibus ad messis tempora, denegavit, tum va-
rijs suggestis Missionibus alibi, tum specialiter Sekiercijs in Festo S. Laurentij
isthic sub vacationum tempus, magno concursu populi celebratis, praemissis die Do-
minico antecedente, Scholasticis in oppida et pagos, Unde cum hi Religioso post laboris
annui certamina à studijs vacant otio, vicina spirituali fructu rura vacarent. Cir-
cumjacentes, qui dictis inibi concionibus et explicata doctrinâ Christianâ S. Laurentij
festivitatem imminentem et indulgentiam illi annexam, commendarent. Quo solerter
gestito, imposito vacationibus fine, ad succedentis Anni operam, sacris collectionibus animos
acuerunt.

Mna Praesentis Perillustris Mgfca Dna Butakowska Pocillatrix Posnaniensis
inscripsit in omnibus bonis suis Collegio Nro pro Missione Wschovensi et Lesnensi
Flor: Pol: $\frac{m}{10}$ in Castro Posnan: alia vero $\frac{m}{10}$. in suis consanguineis suis, dedit in manus R. P.
Rectori, in eundem finem alicubi locanda. Desiderat autem Benefactrix Munificentissima,
ut duo è Nostris ter aut quater in anno, pro majoribus solennitatibus expediantur è
Collegio ad alterutram Civitatem, nemine quamvis invitante, ibique sumptu proprio, cen-
su nimirum ab utraque summa proveniente, commorentur justo tempore in salutem ani-
marum conversionemque haereticorum incumbentes; Residuum autem census, si quod su-
perfuerit, vult ut cedat fabricae Collegij Nostri.

Perillus. Mgfca Dna Butakowska pro missione Wschovensi et Lesnensi dat 10m alia 10m inscribit in Domo suis omnibus.

Insinuata superius sub Anno 1714 inita per Collegium Possessione Bonorum
Tulibow et Slewo in Terra Dobrynensi sitorum, vigore Decreti Tribunalitij cum nobis
asserentis, ratione $\frac{m}{15}$. in praefatis bonis nobis inscriptorum, pleniori informationi op-
portuna inserimus sequentia. Primis tribus Annis à suscepta intromissione, sci-
licet Anno 1714. 1715, duobus Nostris Pagos praedictos inhabitantibus, cum desolata
penitus praedia nec victum suppeditare sufficerent, Collegium non amictum solum sed
victualia etiam debuit providere, nullo toto triennij spatio, percepto possessionis
fructu; Quin imo collatâ symbolâ cum Templo, utpote ad potiorem summae bonis inhae-
rentis partem jus habente, Curatori illorum sumptus, resarciendis praedijs necessarios,
subministrare coactum. Anno vero 1717 Judicio et nutu R. P. Visitatoris, amotis
inde Nostris, tradita sunt in administrationem Oeconomo Externo; tumque primum fructu
aliquo, expensas Collegij et Templi, dotari coeperunt. Caeterum Anno superiore, ad ex-
plorandam redituum proventuumque quantitatem, consultius visum, eidem Oeconomo,
Dno Zoslicki in arendam tradere, pro enumeratis pro arenda annua mille (plures
exigi Anni sterilitate, non temere orsâ, non permittente) tymfonibus. Possessio
ex contractu arendatorio, sumpsit initium in crastino Nativitatis S. Joannis Bapti-
stae, in Anno 1719. Quod vero attinet expensas Collegij et Templi, has ad informandum
plenius utrumque ad calculum revoco. Templum in dicta bona et litem per annos
1714 et 1715 erogavit per modum mutui Flor: 1102. Collegium ijsdem binis annis
Flor: 1622 – 9. Alijs vero duobus subsequentibus nimirum 1716 et 1717 fl: 1030 qui
juncti faciunt fl: 2653 – 9. Conjuncti autem expensis Templi implent fl: 3755 – 9.
Qui autem hos sumptus, refunderent percepta ex dictis bonis per annos 1717. et 1718.
et 1719. (nam superiores, nihil omnino in aerarium intulisse, jam dictum) non excede-
re fl: 2654 gr: 4. Quos inter se partita sunt Collegium et Templum, ita ut Tem-
plo, fl: 810. Collegio vero, utpote majorum expensarum impensatos pagos con-
dio, fl: 1844 g: 4. Debent adhuc Templo ex fructibus eorundem Bonorum perci-
piendis, persolvendi, pro sumptibus erogatis fl: 292. Collegio fl: 809. gr. 5. Qui ubi
residuum mutui extinxerint, reliquum proventuum partiendum erit inter Templum
et Collegium, proportionate ad partem summae Capitalis praefatis pagis inhaerentis, tam
Collegio quam Templo debitae. Porro ex Capitali Suma 15m. | 5m pertinent ad Collegium 10m ad Templum.

Informatio de Statu Bonorum Tulibow et Slewo.

Vide supra Anni 1688 mensem Junium.

Augustus claudendus Palladis aperuit Palaestram, secundum praescriptum
ultima mensis dicta Oratione à Professore Rhetorices, in praesentia Nobilium hospitum
necnon Religiosorum, ipsorum plurimo Lubrzane Academiae Professorum.

September sui exordio notabilem casum attulit. Adolescens ali-
quot annis in obsequio vestiariae artis Sartoriae exercitio commoratus, subindeque

adperficienda aliqua à Nostris adhibitus tanquam domesticus, & non rarò ad cubicula admissus, notaverat in cujusdam cubiculo, ratione Officij probabiliter pecuniam aliqm asservari; die quocirca Dnica mensis autem 9bris prandij tempore effracta fornace in cubiculum P. Praefecti Templi eluctatus, quidquid pecuniae invenerat, & aliqua quedam ex lineis ad Templum spectantia, diripuit; assumptoq in societatem ejusdem artis & farinae puero, Lesnam decontulit, ubi comparatis sibi nefarioq sodali honestis vestibus, cum eodem ulterius perrexit. Verum minoris forte periculi ergo, ubi avelli à se invicem constituerant, unus Grodecii, Lovecii alter substitit, ubi ex auro quod praesentabat, in suspicionem vocatus, examinatus, rem, ut erat, aperuit. Informatus R. P. Rector partem pecuniae vestesq unius recuperavit, sed altero, ignotum à quonam praemonito, pernici fuga elapso. Haec ad cautelam dicta sunto, ne Nostri faciles sint in admittendis pueris ad cubicula, illisq sedere praesumant.

17m in Domo Mgci D. Stan. Golemowski locata.

Gratia hujus. In Domo Mgci Dni Stanislaj Golemowski Karnizewo dicti, simulq in summis habitis & habendis locavimus, summas 17. cujus 10. fl. pertinent ad fundandam Missionem Vschovensem & Lesnensem, 3. ad Bibliothecam. Reliqua 4. ad Fabricam Templi. Inscriptio facta in Castro Posnaniensi.

Extraordinaria sterilitate annum hunc in angustias redigente, ideoq Arratoribus Pagorum frumentum pro seminibus suppeditare Collegio non valentibus, coactum aliunde, magno pretio ex Palatinatu Lenciciensi praesertim, (cui felicior fuit annus) conquirere, expedito illuc hanc ob causam P. Procuratore Domûs.

Conventio cum Pyzdren. Judaeis.

October. Aliquos ex Clero Spiritualibus S. Patris exercitijs imbuit. Cum Judaeis Pyzdrensibus à summa 700 Tynfonum, per annos 9. hucusq nihilominus censu per solvere solitis, conventum ultima hujus, ut pro retentis 300 saltem tynfones penderent, quos etiam per suum Plenipotentem numerarunt.

November. Festum Beati Stanislai consueta solennitate & plausu peractum vidit, Sacrum Cantante Rssmo Wasniewicz Gnesn. & Posnan. Canonico Collegiatae S. Magdalenae Posito, Sacris Orationibus P. P. Dominicanis, Religiosis etiam epulis cum plurimis ex Magistratu exceptis.

10m ex pecunia Fabricae Collegii, mutuo data Collo. Cracov.

December. Et Templo & Collegio Cracoviensi S. Petri anno hoc 26 Julij sacrilega flamma absumptis indolentes P. P. Consultores Provinciae ejusq festinae restaurationi prospicientes censuerunt omni possibili modo, undeunde conquisito, sive mutuo sive subsidio utriq resarciendo, succurrendum. Quocirca postulanti R. P. Rectori loci illius ~~[illegible]~~ data sunt 6ta Praesentis, ad persuasionem R. P. Visitatoris mutuo ex summa fabricae Collegij nostri, 10m fl: in aureis 555. imperiali uno, & uno quadrante. Cujus mutui recipiendi alio non occurrente modo, suggessit R. P. Rector Collegij S. Petri ex censu, quem tum Synagoga Lesnen: tum Posnan: praedicto Collegio debet, per partes recipi posse.

Annus 1720.

A. R. P. Michael Angelus Tamburinus Praepositus Gnlis.

R. P. Stephanus Szaniecki Provincialis.

R. P. Stephanus Poninski Rector renuntiatus 2. Febr.

Perillus. m. d. Adam Poninski summam 20m Fabricae Collii inscriptam numeravit.

Januarius. Perillustris M. D. Adamus Poninski Dapifer Posnan. Capitaneus Babimostens., persoluta anno superiore ~~[illegible]~~ medietate summae 20 millium, à se olim Fabricae Collegij Nostri inscriptae, hoc mense reliquam medietatem numeravit, sicq de integra summa 20m jam extradita, in Castro Posnaniensi 18 praesentis quietatus est, simul et à censu, ex magnis et justis rationibus, judicio Rdus Visitatoris, aliorumq PPm.

Februarius. Magnis faederibus Perillustris Castellanidae Premensis Mielzynski cum Castellanide Naklonsi Zembicka, applaudit Collegium Oratoria Panegyri, sub titulo: Hymenaeus de genu adoratus. Biduana ad Bacchi ferias, in Templo Nostro devotioni, cum Nobilium utriusq sexus, adfuisse vidimus, frequentiam, ut superioribus Annis conferri nequeat.

Inauguratio novi Rectoris, R. P. Stephani Poninski.

22da Praesentis, Fasces Collegij in manus R. P. Stephani Poninski resignavit R. P. Joannes Szymonski, sic faventibus superis eluctatum est Collegium gratiâ producere sub Coronam.

Novo imperio, nova Collegij fortuna augeri capit: Accessit ditioni nostrae Lapidea vicina Scholis, interpositione tum authoritatis, tum munificae manus Illustrissimi Stanislai Dzialynski Palatini Pomeraniae. Intromissio ad eandem Lapideam concessa, susceptaq pacifica possessio. Haec statim à suis sedentibus capit erigi, et in melius instaurari.

Mors Patris Wathier.

110

Annus funeribus in Templo nostro frequentior: Ingressus Patrum Sepulchrum, religiosâ vitâ Junior, Veteranae probitatis P. Henricus Wathier Scholasticus approbatus; exacto cum omni modestia Tyrocinio Missionarius Mederecum designatus. In hoc apostolico labore consummatus in brevi explevit tempora multa. Reliquit singularem innocentiae suae aestimationem, aequanimitatis, quâ graviores constanti animo toleravit morbos, praeconia. Et cum placita esset Deo anima illius, eam in manus tradidit Creatoris 22 Aprilis. Aetatis suae 25 anno, religiosae 9no.

Exequiae Illmi Bronisz Castellani Calissiensis.

In Majo incidit Illustre funus Illmi Bronisz Castellani Calissiensis, cujus exuvijs non modico parentatum apparatu. Panegyrica quoq à Collegio comploratio dicta, et reddita.

Subsecutum deinde 3tium Auditori Rhetoris Vladislai Rokossowski, qui aquis suffocatus, portum aeternitatis maturè attigit.

Annum Scholasticum, numerosae Theologicae et Philosophicae concluserunt Disputationes; emeritoq labori triumphalis imposita Corona.

Quas verò Julius clauserat, September reseravit Palaestras. Ina mensis dicta Oratio in Renovatione Studiorum, ob majorem Auditoris speratum concursum, qui tamen praeter paucos Religiosos, totus ferè constabat ex domesticis.

Innovata gratia circa Salem.

Perillris Dapiferi Posnaniensis Adami Poninski gratia, iterum hoc anno innovata cum effectu tam retentum enim, quam pro hoc anno debitum, ejus interpositione recepimus ex destributione Salem pro pagis nostris: per quod nostrum jus non leviter confirmatum.

Fabrica Collegij notabili aucta incremento; solida, seu parit futurae moli accipiendo fundamenta; quorum difficultatem auxerunt, erumpentes vehementius, ut annis praecedentibus fontes.

Hortus quoq, benigniore ystis Provincijs affulgente pacis fortunâ, refloruit. magnificâ aulâ, à fundamentis erectâ condecoratus. Ita omnia aedificationi fuerunt, super solido Stephani lapidis fundamento.

Festum B. Stanislai Kostka consuetis plausibus celebratum. Operante ad aram Illmo Kaznowski Administratore Episcopatus Posnaniensis. Ab exedris Sacras dixerunt panegyres P. P. Dominicani. Accepti religiosâ mensâ cum compluribus ex Capitulo Reverendissimis. Splendorem diei addiderunt ignes artificiosi, tum nostrorum operâ, tum applaudentis Civitatis, accensi.

December. Festivitates S. Indiarum apostoli, D. Barbarae, et Immaculatae Conceptae B. V. solennes fecit. Panegyribus Sacris, et Profanâ pro Titulari Congregationis dictâ, Hospitum quoq notabili concursu, auctas. Eodem mense ad Apostolicas Missiones itum magno numero.

Annus 1721.

A. R. P. Michaël Angelus Tamburinus Praepositus Genlis.

R. P. Stephanus Szaniecki Provincialis.

R. P. Stephanus Poninski Rector.

Anno initium dedit, consueta nobis devotio, et concursus populi non infrequens.

Cum D. Zaigerek Causa sopita, ratione subditi, à nobis per jura requisiti. Satisfaciendo enim Decreto Castrensi subditum extradidimus.

Martium minus faventem experti sumus Collegio. Praeterquam enim quod Semilnetorum ~~[illegible]~~ cum aliqua casa, ac Caupona Piotrovi funesto igne tacti; etiam R. P. Rector casum ex rheda passus, in pede rotâ attrito laesus est. Ca:

sua hunc, totum Collegium ægrè tulit, sensitq dolorem sui Capitis.

Pro Festo Paschatis plurimæ missiones obitæ; nec tamen plurium requisitioni Parochorum satisfactum, ob defectum mittendorum.

Casualis flamma, corripuit Lapideam cujusdam Senioris, et absumpsit, in vicinis nullô damnô præter metum relictô.

In Majo Salutavimus Hospitem R.P. Provinciæ Præsidem. Non sine applausu Exterorum. Nam PP. Dominicani sub Cornato ejusdem nomine Theses defenderunt, dedicaruntq Theses.

Julius antelapsorum mensium Custos fuerat, nihilq tulit quod non ad Capiti Collegij Coronam fuerit. Magna nobilis populi frequentia Divi Fundatoris Ignatii ornavit solemnes Aras. Unicum deerat, ut illi florem etiam Scholarum aspergeret. Decisset! nisi hic in hoc Collegio ordinarie in mense Julio velit esse extra folia, plusq in fine anni scholastici ingrati erga sanctum scientiarum Parentem animi relinquat, quam oderis.

Par Julio successit Augustus. Hunc augustiorem fecit designatorum adidem Collegium Personarum perinsignissimus adventus. Charissimi Pogrodka sacravit inaugurato ad gradum Coadjutorum temporalium: fovini solemnis ingressus ad suam Cathedram

Ingressus in Cathedram Posnaniensem Illmi Petri Tarło.

Illustrissimi Petri Tarło Episcopi Posnaniensis. Cujus felicissimus in assistente multorum Regni Procerum adventus, etiam à nobis primo in Templo nostro adoratus, dein post Missam solemnem in Cathedrali Ecclesia, panegyri typis excusa salutatus, magni Protulis aures, etiam ad Scholarum prima solemnia divertit. Nam sequenti die, in magno Procerum ac vix non totius Capituli comitatu, Orationi in inauguratione Scholarum dictæ non sine plausu suo adfuit, tum florendum Scholis annum à suis nobis præsagiens, quam magna grati animi argumenta in universam Societatem conferens, et specialiter in Collegium, quod sua hospitalitate humanissime prospedit.

Tardius in confluxu studiosorum September visus. Complere Scholas nisi per Octobrem et Novembrem non potuit. Auctior in numero dicentium fuisset, si illos in Scholarum fide non conspexisset, quibus plus hedera placuit quam laurus. Cum vix primus ad

Studiosi grassatores et rebelles.

ota erudita illuxit mensis, plures grassatorum nocturnorum assecias, rebelles legibus nostris numeravit, quam arti literariæ studiosos. Nec modus jam erat domandi mali assuetam juventutem citra verbera. Quanquam etiam hoc passim viritare effrenatis in omnem licentiam indolem videbatq, ubi correctioni gratâ pro dignitate debetis gravioris insligi debuerant, quod audum timeret ex viena scholis nostris, remittat à scholarum rigoribus Academia, quod nobis pessimos, inter suorum optimos scribi ac referri facile permisit, vix non optaverit. Crium tamen in fomite incendium (quod ex prima flamma timebatq) extinguere, nonnullos à scholis rejicere, alios excludere, alios pœni mitioribus meliori frugi reddere. Cæterum mansit in scintilla incendium, nec diu sub dolore cinere delituit igni qui reliquos succenderet ad extinguendum ingenem scholasticum, qui Theologorum quoq nonnullorum animis impendebat. Proinde

Presbiter Theologiæ studiorum rebellis legibus, sub clementi imperio ad mitem pœnam dictatus, eandem subire noluit. Deliberatum de illo. Et quamvis insolita res primum videbatur contra continuum ad aras decem scholarum fulmina vibrari potuisse, quod sacrorum solemnia, inter quæ exclusus sæpius videbatur eo inflecterent R.P. Præsidem Collegij, quia tamen reus, qui ad consecutionem gratiæ humiliari debuerat, velut à Scholarum velo exceptus, priorem lapsum novo contra authoritatem Præsidis scholarum cumulavit, proinde re Perillustri Officiali exposita ex ejusdem consilio etiam non ex imperio, publicè valedixit scholarum asylum. Hæc pœna ad unum fuerat, timor qui modestiam traderet aliis, per omnes se diffuderat. Eas hinc ut solitaris fama sic exquisitioni diligentiâ et applicationis ad studia fuerunt scholæ nostræ. Non tantum discipuli, qui Collegio Valcii Toruniò Lublino et ex Academia Posnaniensi confluxerant, augustiores videbantur, verum aula quoq; quam singulari R.P. Præsidis Collegij in rem literariam sollicitudo ex lapidea Lyceiana ad ludum dramaticum Reginæ eloquentiæ erexerat, et Mecænatum grandioribus schematibus adornaverat, sese tanta majestate auxerunt, quantam proxime locus permiserat.

Annus 1722.

A R.P. Michael Angelus Tamburinus Præpositus Generalis.

R.P. Stephanus Sramecki Præpositus Provincialis

R.P. Stephanus Sminski Rector Collegii.

Annus præsens hunc nobis maxe à luce consueta devotioni accendit. Tardior fuerat in revocandis ad operam scholarum discipulis. Operosus fuerat in exhibitionibus ludorum, adeo ut dramata concedere in aula non potuerit, quo tempore

Exhibitiones in foro.

feriarum Bacchi Magistrorum in exhibendis 4 novissimis alacritas delecta, ad forum urbis usq efferre debuit. Res quamvis sub Jove pluvio ut actiis eximie sic sereno animo ab omnibus accepta. Sacrum interpretem quem 4 Theologi de ultimis 4, non sine ædificatione concurrentis populi, fecerant, habuerunt. Nec tamen intra urbem tantum hunc zelum conclusimus, quin eundem ad avertendum ab erroribus Lutheri populum, usq Wschovam in nostris Missionarijs, velut ad erigendam novam Christi Coloniam tulerimus.

Missio Wschovensis.

Producit et facilem accessum ad sacra dogmata commodius promulganda faciente Perillustri Præposito Posnaniensi Carolo Sminski, cum fructu non modico conversorum ad fidem, ubi primum hoc anno substitimus. Non modicum nova hac possessio motum convertendi ad fidem veram populi, falsi Ministris incusserat. Id demum ob reverentiam Perillustris Præpositi humaniter apud indigenas haberi. Cujus opera stetit, ut etiam arenâ, (quo commodius circa possessione verba faceremus) ædem cum area, quam PP. Missionarij incolerent, 800 Marcis ex contractu privato cum eodem Perillustri Præposito ad nostra jura transferremus. Quia tamen cives Coloni inter illos nostram demum faximus, quos de exturbandis nobis à nova possessione cogitone, precium suspicari fuerat. Securitat itaq consulentes

mille marcarum pretio aestimatam demum Consistorialibus actis inscripsimus: plus negotij in majori summa Collegio refundenda nobis exturbaturus (si quos in futurum casus tulerit) per jura fruentes. Crescente itaq ex singulari zelo PP. Missionariorum in fructu animarum studio, augeri quoq voluimus in templo nostro cultum erga dolorum Matrem, itaq autherem solemnitati virgineae R. P. Praesidem Collegij religiosis acclamationibus coelo, dein festi prima solemnia, sexta feria ante Palmarum diem in nostras aras induximus, tanto confluenti populi tripudio, ut maioris festivitas Mariani festum dici gaudij diceres. Sic ubi arrisimus luctibus Marianis, coelum etiam non sine solatio nostri laetius affulsit negotijs.

De Limitibus inter Piotrowo et Daszewice.

Enim litem quam cum Dnâ Dzialynska de limitibus inter Piotrowo et Daszewice anno elapso suscepimus, compositione amicabili, per interpositam Illmi Poniński Premetensis Castellani in gratiam nostrorum bonorum, operam, non infelici sorte conclusimus.

Census retenti, restituti tandem.

Non dispari fortuna retentos à multis annis Census, a Dno Gniazdowski, ad praesens bonorum Nadarzyce haerede ad annum praesentem accepimus, pro felici eventu negotij, coelo etiam ex asse obligati. Eadem sorte cum haeredibus bonorum Grabowiec finivimus negotium, haerentem scilicet in praedictis bonis pecuniam ex integro numeratam Collegij aerario inferendo.
Sed hoc ex jure et justo sortis nostrae pretio solvebant. Sui quod tenoribus etiam gratis Fortuna porrigeret. Scilicet binarium millium à Perillustri Dno Zegocka accepit Collegium illumq pro Censu annuo (quem ad vitae tempora sibi Perillustris Benefactrix ex Censeru Collegii pendi quotannis voluit, post vitae tempora in usum suum abire) Judaeis elocavit. Demigram in res nostras etiam ulterius expertisimus Fortunam. Nam Romanas quoq gratias in Jubilaeo per Dioecesim nostram indicto Roma submiserat. Eo occasione illius indulgentias habuimus, quod inter religiosas Ecclesias, etiam Templum nostrum ad Stationes à populo explendas ab Illmo loci Ordinario reclusum fuerit. Magna itaq confluentis alunde

Tempore Jubilaei, noster, concionatus, in Cathedra.

quoq populi frequentia, inchoavimus diem gratiae ipso Divini Spiritus festo, tantum non sine Nominis Societatis honore, quantum non sine aliorum Religiosorum invidia. Enim amoto Ordinario Verbi Divini Praecone Cathedrale Templum ex nostro Collegio P. Concionatorem pro sacris caedris invitavit: et tam benevole à Sacro pulpito accepit in Concionem honori Illustrissimi Episcopi Posnaniensis inscribendam, ex voto Illmi Capituli, typis mandari postulaverit. Non tantum vero à sacris caedris ad aedificationem esse voluimus, curavimus recitare in dies Collegio novas aedes sufficere. Operose scilicet novi Collegij fabricam inchoatam, non segniter molitus sumus, à planta (quam magna pars fundamentorum occupavit) attollere. Sed dispar operi, operariorum numerus fuit, ut profunda demissioni assurgendo, adhuc in humili jacerent Religiosae domus parietes. Caeterum non sine magni molitio laboris notabilibus etiam in profundo succrevit, à planta se porrigens Religiosa domus quod veteri Collegio illum imperare novi Praesidem, sub cujus manu etiam multi lapides ad Religiosum parietem vocat, regulam amarent. Eodem conatu

et augendae gloriae Divinae studio stetit templum in villa nostra, quod dicitur Slupia, tum Collegij impensis, tum Benefactorum nonnullorum gratijs.

Augustus mensis initium suum praesentiâ R. P. Provincialis adornatum habuit. primis enim diebus istius mensis, Praesidem Provinciae Calissio venientem salutavit Collegium Siekierciis magnis vacationibus impendens operam; unde dies illi auctam habuere majestatem. Commoratus per aliquot dies ibidem hospes iste, accepit literas à Perillustri M. D. kierski Castellanida Rogosn. in causa inferius memoranda, quibus per eundem latorem respondit suo more solidissimè, exaggerando facti insolentiam.

Funestus Casus Bartholomaei Lewkowicz Dimissi.

Sub hoc mense collocatur elapso omissa annô ad terrorem multorum perpetrata horrida compunctio Rndi Dni Bartholomaei Lewkowicz pro tunc Clerici secularis, olim verò Societatis Novitii, Philosophi, Magistri, et jam Theologi. Hic instituendo praeparationem ad Confessionem Sacramentalem jam septennio intermissam, stimulis intus agitatus, ex perturbatione furibundus, dolore corporis animi sensum excitaturus, novem vulnera, scisoriô, seu alio acuto ferro, sibi inflixit; quae voluit esse mortalia, sed non fecit: malè persuasus se posse expiare peccata crimine tam immani, et cruciatus conscientiae mederi tot vulneribq. Post factum istud cum decumberet, visitatus ab uno e nostris Patre, inter multa colloquia, interrogatq quid novem inflicta portenderent vulnera? respondit gemebundus interpres: Novem transactos in Religione annos forsitan denotant. Discant itaq desertores Societatis singulos annos in Religione transactos ab illis, in eorum pernitiem conspirare solereq.

Studiosi citantur ad Judicium Castrense.

In hoc mense stinuata crudeliter, in Julio adhuc inchoata causa, cujus summa haec est. Excitatae fuerunt tricae cum Ptli M. D. kierski Castellanida Rogosn. ratione servi illiq Siemigtkowski dicti, qui ut reducentes vagum studiosum ad Scholas exploratores Scholasticos, graviter offendit, captivum liberando vibrato ense, laesis nonnullis, ita pariter a studiosis malè tractatq fuit. Lis itaq intentata Studiosis a supra memorato P. D. Castellanida, citati ad Judicium Castrense Studiosi, condemnati subdolè et iniquè. Exclusi principales tumultûs ad imperium R. P. Praesidis Collegii: quorum unus decumbens ex vulnere accepto, dilapsis ad Lares domesticos studiosis, in Augusto ex hospitio proprio male sanq eductus, jussu actoris ante lapideam in platea praesente eodem, crudeliter vapulavit, et fustibus quidem. Ubi ex vulnere, et plagis tam atrocibus convaluit, ut erat Nobilis Malinowski dictus, quaesivit modum vindicandae injuriae et reperit in authoritate Illmi Potocki Notarii Regni Mareschalci Tribunalis, cujus famulitio se adjunxit. Citavit ad Tribunal Perillustrem kierski: at ille causam per Complanationem composuit, numeratis aliquot centenis florenorum recessit a causa, et e vivis excessit. Vix enim ad propria rediit, evocatus in Domum aeternitatis, defunctus, apud PP. Bernardinos Posnan. sepulchro illatq, cum quo et causa sopita, quietem Scholis et Collegio fecit.

Illmus Potocki vindicat injuriam Studiosi.

Augusti finis more consueto initium fecit Laribus Scholasticis, atria literaria aperuit, inter quae redeuntes literae, praefatione solita sunt salutatae.

Professio qr. votorum R. P. Domaradzki.

September Scholasticae Juventutis sentum nimis confluxum exhibuit, illiq tamen finis, fere medium, quo constant scholae numerum jam recensebat. Lux Sacra Dominô Michaeli Archangelo et Solenni Professione R. P. Josephi Domaradzki splendorem habuit.
October hoc singulare habet, quod isto mense ingenti conatu operariorum, et vigilantia summa, indefessaq cura R. P. Praefecti fabricae fundamenta Collegii ex profundo in conspectum emersêre. Continuatq laboris fervor usq inter autumni frigora, qui nec ad rigores brumae frigescebat; saxa enim mole et numero grandia pro futuro opere, cumulatissimè devecta, quibus accessit ingens copia laterum, quae ad aliquot cubitos in altum, omni fabricae incumbebat.
November non uno classicus titulo. Primus fuit triumphus in Festo Dmni Stanislai kostka, gemina processione, cum triumphali curru in utraq exornatus. Solig Civitatis plausus defuit praecipuè ad Imam pompam, nam in altera Studiosorum cum modestia intonuit liberalitas, et clarus in Divum affectus. Istis

Mors Illmi Petri Tarlo Eppi Posnaniens.

plausibus, non diu post, Varsavia tristis successit nuntius de Supremis fatis Illsmi Petri
Tarlo Episcopi Posnans. inopina mors oppressit bonum Præsulem, non imparatum tamen,
cujus vita omni probitate conspicua, exacta fuit ad mortem præparatio. Magna ba:
sis Ecclesiæ et Reipublicæ Polonæ cum hac Petra desiit. Vidit illum Diœcesis Po:
snaniensis cum magno suo ornamento, et in brevi tempore regiminis, solatiorum ex:
perta sæculum. Non minore sensu doluit et Societas nostra ruinam tantam, cum
qua spes sibi magnæ defecêre. Perennaturi doloris notas impressit paginis, fune:
brem ei sufficiendo panegyrim, cui vivo elogia haud pridem dedicaverat. Continua:
vit post fata etiam in nos bonus Præsul amorem, et per legatum pium quod in ul:
timis tabulis Collegio Posnans dedicavit, fecit hæredem affectus sui Societatem Posn.
quæ licet hucusq vivit promisso dives, spe tamen non inani.

Huic tristi nuntio successit pompa lugubris in eodem mense, qua deductum est
corpus Perill. M. D. Mielzynska Filiæ Illmæ Gebicka Castellanæ Naclensis consortis
verò Perill. Mielzynski Castellanidæ Sremensis. Antecedebat longa Religiosor et Cleri
processio, cereis ardentibus illustrata, sequebatur currum tristi gravem pondere Ma:
gnatum, cum gemebunda Matre et consorte cæterorumq hominum multa frequentia.
illatum templo corpus, quod tum in loco majoris aræ, tum circa majestuosum Sarco:
phagum multis ignibus corruscabat. De suggestu templi unus e nostris Patribq
fere extemporaneus Orator prolixo et optimo peroravit argumento. Die postero pri:
vatim illatum sepulchro corpus celebratis exequiis Solennibq. Funeri dies assignata
feria 3tia post Dominicam Passionis.

December Festo Divi Thomæ Indiarum Apostoli Solennis, cujus festivam lucem præ:
sentia sua serenavit Illsmus Suffraganeus Posnans ad aram Sancti Præsul hic ce:
lebravit, simulq nostros 3tii Anni Theologos aliquot consecravit in Subdiaconos, Re:
ligiososq variis initiavit Ordinibus. Eadem die post Salutationes publicas a ju:
ventute Scholastica dictas ad mensam cum aliis hospitibus invitatus, postero
die Diaconatum tribuit: et quia urgebat abeundi necessitas, idcirco Siekiercii
Presbyteratum accepturi nostri, abeuntem sunt secuti, compotes voti rediere: breviq post
primas immolavêre hostias. Altera mensis hujus
solennitas festo Immaculatæ Conceptæ Virginis vocalis apparuit, qua die Illsmus Ca:
rolus Poninski Præpositq Cathed. Posnans protunc Administrator Episcopatus hujus, sede
vacante, Sacrum Cantatum habuit, in Refectorio perhumaniter tractatq, ad audiendam Pa:
negyrim Virginis Illibatæ ad Templum invitatq, qua finitâ, aure benevola et animo ex:
cepit a Scholastica juventute dictas sibi gratulationes, quibus Neocollato Honori Ad:
ministratoris, Collegium Posnans applaudebat. Mensis triumphos,
conclusere festa Dni Natalitia, quæ plus quam 20. paria nostrorum ad missiones
varias evocavere.

Annus Dni 1723.

A. R. P. Michael Angelus Tamburinus Generalis.
R. P. Stephanus Sczaniecki Præpositus Provincialis.
R. P. Stephanus Poninski Rector Collegii.

Januarius consueta Solennitate Circumcisionis Dni auspicia sua habuit adornata.
multum tamen pompæ attulit magnorum frequentia hospitum, inter quos Amq Illsmq
Rndsmus Carolq Poninski Administrator Episcopatus Posnans celebravit solenniter, in
Refectorio tractatus cum Illsmo Adamo Poninski Castellano Gnesns aliisq tum
Prælatis tum secularibus hospitibus. Februarius in Festo Pu:
rificationis Bsmæ cum solenni devotione Congregationis minimæ enituit. qua die

Professio P. Lgocki.

Professionem Solennem fecit P. Antonius Lgocki et gradum emiserunt Fratres
duo, nempe. C. Rozanski et C. Mot.

Tridui Bacchanaliorum devotionem exornavit liberalitas C. Thomæ Jaskulski

C. Jaskulski Tabernaculum Comparat.

Janitoris protunc, qui de proprio peculio Templo Posnans comparavit tabernaculum
majus expositioni Solenni Venerabilis serviturum, hoc munus pretio dives, quia
1000. fynf. æstimatum; majestate conspicuum, forma et materia rarum, et fere
nulli secundum; tunc primò apparuit publicè, in admirationem omnes traxit, lau:
datum ab omnibus et approbatum. Sic majestuosam devotionem conclusit nu:
merosissima nostra per forum urbis processio, quam exornarant exhibitiones

Exhibitiones in foro.

quatuor Novissimorum cum magno devotionis sensu spectatore populo et
fere totum implente forum. Scenas has Salutares zelosissimæ præcesse:
runt exhortationes Nostrorum, Novissimorum terrorem incutientes, auditæ
cum magna aviditate. Audiebantur nonnulli ex populo varia detestantes vi:
tia, præcipuè ebrietatis, et firmis ad abstinentiam se obfirmare propositis
intuentes præcipuè pateticam inferni exhibitionem. Approbatur hæc San:
cta actio ab omnibus bonis in Civitate, a solis discolis reprobatur, qui indignans
commoditatem sibi adimi ad oblectamenta ampliora.

Funq Perlis Mielzynska.

Ubi in Martio destinata dies adfuit funeris Perlis Mielzynska supra me:
moratæ. Hospites multi, in Palatinatu Principalissimi adfuêre cum Genitrice
mœsta. Igitur feriâ 3tiâ post Dominicam Passionis peractum funus, variis
in Aræ majoris loco figuris lumine disposito, ac circa tumbam in medio. Cele:
bravit Illsmus Rndsmus Administrator supra memoratus, Concionem dixit tam
magno funeri parem et Auditore dignam unus e nostris Patribus, Orationes quoq
habitæ geminæ. unam a corpore dixit Perlis Alexander Poninski Venator Wschovens
ab Hospitibus Perlis Gurowski. Postero die in templo nostro,
honoris recenter collati dictæ gratulationes Illsmo Szoldrski Palatino Calissns
et Illsmo Adamo Poninski Castellano Gnezns; respondit uterq non invenustè Pri:
mus quidem Latino Stylo longiore, secundus Polonico compendioso.

Mors R. P. Wygrozowski

Inter majoris Hebdomadæ luctus novus emersit Collegio dolenti tunc fata pia
R. P. Francisci Wygrozowski S. J. Hic Pater multorum annorum in Societate
virtutibus suo majoribus plenus, mitissimus aliàs, tumore interno suffocatus. Post
varios labores in Societate cum gloria exantlatos, Operarius a multis annis Se:
niorciis et Socius Procuratoris, separatus a Consortio, veluti novus hoc seculo Ere:
mita vixit. In qua solitudine Exercitiis intentus Spiritualibus, variis morborum affli:
ctus doloribus, quos eo vultu et animo tulit, quo cæteri optimam Sanitatem. Origo
magnarum continuarumq in Sanitate varietatum, seu potius lenti cujusdam Mar:
tyrii geminum obsequium peste infectis Ravæ et Samboriæ exhibitum. Derivata
ab hoc Sancto servitio virulentia diu, usq ad extrema fata in membris illius
dominata, tortorem egit continuum intra viscera Patris, Salutis et boni Proximoru
amantissimi. Obiit feria 4ta majoris Hebdomadæ nempe 24. Martii munitus
omnibus Sacramentis, et ritè dispositus. Eo tempore quo orbis Christianus Pati:
enti Domino pro Salute Universi, singulare gemituum persolvit tributum, inferri
meruit Sepulchro Patrum. Festa Paschalia adeo
copiosum aperuêre missionum campum, ut vix aliqui cum Præside Collegii fuerint
residui ingenti labori tolerando. Feriâ 2da post Dominicam in Albis cele:
bratum Annuntiationis Bsmæ festum, omnes fere Operarios in Missionibus
tenuit ad continuandos labores. Ubi verò iidem Domi comparuere, consuetas
Societatis Exequias R. P. Wygrozowski nuper defuncto Collegium persolvit invita:
tis Religiosis aliis ad ferendum suffragium Animæ.

Aprilis resumpto labore circa fabricam Collegii nobilis exhit. Anticipato
tempore operarii adfuêre, et notabili operâ continuavêre laborem: sed impedivit
conatum conspiratio omnium Artis murariæ peritorum, orta ex mutatione taxæ ab
urbe constituta, ad quam observandam invitati sumus et nos, quapropter amise:
ramus Operarios, qui ut redirent, supplices ingeminabant preces, non est ta:
men cessatum ab opere.

Majus toti Collegio Professorali, sub triduanæ Vacationis tempus, imo
etiam omnibus Personis, exhibuit in horto erectum ædificium, majori ex parte re:
quisitis ornatum: commoditas ibi cum decore Religioso habitare videtur non in:
venustè; Authorisq sui gratias loquuntur et impensas.

Philadelphica Conspiratio Religiosorum contra nos.

Philadelphica Conspiratio Religiosorum Ordinum contra nos, ex occasione
drammatis Petricoviæ apud nos exhibiti, orta Cracoviæ, huc propagata est

verum illam soli PP. Franciscani acceptarunt, respuentibus hucusq religiosis, Fldq.
hoc nulli infundatum justæ Offensioni. Præcipue hac in parte emicuit PP. Dominica:
norum in nos benevolentia, quorum Præses Provincialis in adventu suo Posnaniam
per P. ViceRectorem in absentia R.P. Rectoris, salutatus, prohibuit, ne sui Religiosi
immisceant se Philadelphico Conventui: persistunt illi cum cæteris Religiosis in Con:
junctione nobiscum, præter supradictos Patres. Supra fœdus istud reflexiones aliquas,
in suo manuscripto sparsit in publicum R.P. Provincialis noster, evidenter et solidè
indicando levitatem Philadelphicæ conspirationis.

Exercitiis S. Patris exculti tum seculares tum Spirituales. Inter Spirituales
Imus tenet Prlis Rndsmus Iwanski Canonicus et Cancellarius Cathel. Posn. Inter
Seculares Prlis M.D. Sokolnicki. Quæ plura obsequia animarum exercuit
hoc Collegium Cœlestis Catalogus et Annuæ Collegii hujus recensent.

Ultimis Maii evocavit Congregatio Provinciæ R.P. Præsidem nostrum Sandomiriam, quo
abiit, rediitq incolumis. Mense Junio Summa trium millium numerata
est, cujus unum mille destinatum est pro Collegii necessitatibus, duo pro lamina ænea
ad tegendum templum designata: levata hæc millia sunt ex bonis Zorawia, persoluta
a M.D. Radziminska 1723. 26 Junii. Porro hanc summam nobis inscripserat M.
D. Hedvigis Chylkowska Anno Dni 1722.

Synagoga Posnaniensis adhuc Anno isto, et mense præfato beneficium experta Collegi:
um, accepit enim millia decem in exsolutionem Onerum MM. DD. Chylinski et Bro:
nikowski. Processio Solennis ex Parochiali Templo

Introductio S. Joannis Nepomuceni.

ad Cathedrale per Prælatos illius Canonicosq instituta, seu potius Nc. Beati Joannis
Nepomuceni Imaginis Solennis introductio, ad quam augendam Illsmus Administra:
tor protunc Episcopatus Carolus Poninski invitavit Scholas nostras. Annuit Colle:
gium adeoq omnes Scholæ singulariter ordinatæ cum vexillis etiam Rhetorica et Poë:
sis (quæ sua signa hoc anno de novo non parvo pretio comparavêre) deduxerunt
Pompam usq ad Cathedrale Templum, singulis Scholis Tympanis, et universi gene:
ris Musica applaudentibus.

R.P. Szaniecki Rector Collegii Salutatur.

Augustus mensis quietem attulit Studiis. Personis ex Collegio abeuntibus valedixit;
venientes Salutavit inter quas præcipuum veneratus hospitem, in Supremos fasces Collegii
Successorem R.P. Stephanum Szaniecki, Ex Præpositum Provincialem in Polonia. Auspica:
tus hic regimen Clari Collegii Luce Divinis Laurentii flammis insignita, accepit vero ab
Antecessore R.P. Stephano Poninski: desi nominis diadema Culmini imposuit, cum
Coronam deposuit Collegiorum Caput. Sub auspiciis igitur Novi Præsidis Augusti ultima
dies facta est, Scientiarum prima, celebrata oratione haberi Solita in initiis Studiorum
quam audivit Posnaniensis Themis, cum Præside utroq ac nobilitate numerosa cæterisq
hospitibus.

R.P. Trampczynski Præpositus Provincialis.

Septembris ferias adventu Suo serenavit Novus Provinciæ Oriens R.P. Martinus Tramp:
czynski nuper renuntiatus Præpositus Provincialis p. Poloniam. Visitavit ex alto Phœbus hic
clari Collegii Cœlum et fecit suo conspectu illustrius. Salutarunt hospitem Scholæ, ac fascium
auspicia plausibus eruditis celebrarunt. Fecit ejusdem ArchiPræsidis Conspe:
ctus augustiorem Solennem alias Divinissimi Michaelis festivitatem, cujus Statua brevi resplen:
duit heroica Cruce auro ac lapidibus coruscante, ac Nomine Jesu affabrè facto, spirea, cui li:
beralitas et affectus moderni Præsidis Collegii pretium Cumulavit.

Festum Divinissimi Ducis Sanctæ Francisci Borgiæ erat initium devotionis Scholasticæ ju:
ventutis cujus Auctor erat R.P. Præses Collegii, nempe ut Singulis nostrorum Sanctorum fe:
stis Singulæ Scholæ accedant Divinum Eucharistiæ epulum.

Dies B. Stanislai ostea Novembris ferias illustravit splendore Suo et triumphales fecit pom:
pâ in Templo et foro usitata. Exornavit diem hanc Concione panegirica R.P. Malczewski
Guardianus Reformatorum, q ad mensam cum cæteris numerosis hospitibus invitatus,
vires quas impendit labori, religiosè liberali refecit epulo.

Mors Lewkowicz Dimissi.

Hoc nifallor aut immediate Sequenti mense contigit funesta mors Lewkowicz
quem ante annos aliquot eandem sibi intentabat (ut narratum supra) hic vero
anno actus quadam perturbatione assientiæ et fere desperatione ex Contignatione Secunda Ses:
præcipitavit saltu, decussis igitur pedibus manibusq ac toto Corpore quassato letali

decubuit

15

decubuit et die tertia exspiravit prius tamen ægerrime licet inductus ad pœnitentiam, jam enim
desperabundus certo sese damnandum affirmabat. Operarii nostri industria persuasit fiduciam
Dei. Casus hic infortunatus magis quam fortuitus deserentes religionem perecellat est necesse.

Sodalium Congregationis mediæ fervor Decembris rigores accendit flammis Mariadis
q festum Tutelare Suæ Congregationis apparatu pulchro celebrarunt. Divinissimi etiam
Xaverii in Ara nova cultus Singularior apparuit Diem ejus pompa Sacram Numerosus
Concursus hominum Pœnitentium Cumulavit, laudes promulgante de Exedra templi Perillustri R.
Dno Bulakowski Præposito Philippensium nobis addictissimo.

Festa Nativitatis Christi ad promulgandum natalem Divinum evocarunt copiose nostros
Missionarios in varias Diœcesis partes, qui Zelo et laboribus Apostolicis coronidem
anno imposuerunt.

Annus Dni 1724.

A.R.P. Michael Angelus Tamburinus Præpositus Generalis
R.P. Martinus Trompczynski Præpositus Provincialis.
R.P. Stephanus Szaniecki Rector Collegii,

Sui exordio, Sanctissimi Nominis JESU cultus, devotione in templo nostro n exi:
gua pulcher, annus iste apparuit.

Funus Illmæ Palatinæ Posnan. Pompa

Februarius Purificatæ Virginis facibus accensis et splendida exemplari
devotione minimæ Congregationis perspicuus apparuit. Nisi illius ferias funus Illsmæ Fran:
ciscæ de Czarnkowskis Radomicka Palatinæ Posnan. perturbasset.
Hæc lugubris Singulari apparatu in nostro celebrata templo Summum Sacrificium litante
Illsmo Reverendissimo Dukowski Abbate Landensi circa cujus ornatum Solennem orta
contentio a Perillustri Capitulo negante illi Pontificalium usum, turbas hasce R.P.
Præses Collegii interpositione sua composuit et obtinuit licentiam Pontificalium
pro Abbate. Concionem funebrem dixit P. Ryben, Post funebres magnorum viro:
rum condolentias reddita a Collegio funebris Panegyris Illsmo Palatino supplici

Eleemosyna nobis data.

q respondit Collegio eleemosina 100 imperialium.

Mors P. Domaszewski.

Dies 11. Februarii fatalis fuit (si piorum mortes non nefas et fatorum
vocabulo nominare) Patri Francisco Domaszewski Scholastico Anni Theo:
logo. Diu decubuit infirmus Semper in cœlum erectissimus firmissimq probitate, Mul:
ti cum eo decubuere afflicti morbo convaluere universi ille Solus occubuit victima
factus pro fratribus. Vixit Franciscus hic et fuit Seraphinus ignem febrium
calidarum in Corpore æstum Divinum in animo Sentiebat, exstinctus primo altero
in perpetuam adsitus lucem. Intumuit ante mortem tympanitide Semper humilitate mi:
tissimus. Ut fertur ex labore circa studium continuo contraxit viscerum corruptelam
integerrimus vita, virtutum Studiosus. Non immoratus tantummodo scientiæ Theologicæ
Rd immortuus, Conclusurus illam abiit ad palæstram altiorem. Sepulchro PP. illatus in
Posnaniensi quiescit tumulo. indefessus quo ad vixit Societatis religiosus. Annos Vitæ
28 Religionis 11 recensuit et virtutes innumeras.

Conclusus Mensis hic triduo Bachanaliorum cum Singulari concursu nobilitis
nunquam alias hic visso. Perquendam e nostris persuasum e Magnalibus ut dies
istos Posnaniæ ducant cum devotionis et hilaritatis honestæ usu, quod implevêre
multi ex utroq laudandi.

Martii dies Imos Funeralia Sacra postremos Maximæ Congregationis illustravit
pietas qua Tutelare festum Annuntiationis B.V. Sodales Cœtus istius ad exem:
plum minoribus exornarunt, addita Singulari in templo pompa Cultissime efformata.

Tristes Aprilis ferias anniversaria die Dolorum Matris Divinæ recreavit
Solennitas Singularis constans vesperis duplicibus, Concione gemina Sacro
Cantato magno, quæ insueta nova devotio ad novam pietatem in Dolentem Regi:
nam excitavit universos ~~tas~~

Paschatis festa numerosos Missionarios nostros in varias expedivêre Pa:
recias, ita ut vix aliq retineri poterant PP. in Collegio, ob urgentissimas Paro:
chorum preces, a suis Parochianis ad postulatum istud Stimulatorum q nostros
impensissime desiderant ad excipiendas Confessiones suas

Missiones h anno toto expeditæ numero inter quas n pauc
tes Cumplenaria indulgentia non exiguum fecêre emolumentum, in cordibus

et vita fidelium. Animæ loquentur copiosius.

Plausus amplior extitit solennitte augusta Dinsmi Cracoviensis Antistitis Stanislai Poloniæ Tutelaris et Posnaniensis Templi Patroni Titularis.

Introductio ad PP. Reformatos B. Andreæ de Comitibus.

Triumphum vidit Junius apud PP. Reformatos, q brevi d solenni pompa celebrarunt introductionem imaginis Neo-Beati Andreæ de Comitibus. Invitatæ scholæ in assisteam adfuerunt, cum plausu non exiguo. Concione diem primam exornavit P. Bielinski Philiae Professor, quam ad vota PP. Reformatorum in lucem dedit publicam per typum Capitulo Posnaniensi dedicatam

Idem mensis factus et plausu celebris qm fecit Collegiu Perilli Magfico Dno Radojewski Neo-Judici Surrogato, qui post suam promulgatione publice in stuba in conspectu numeroso Nobilittis gratulatus R. P. Rector prolixo et gravi sermone, scholæ deinde plausus recitarunt suos, respondit Prssis Oratione ligata. Extemporaneus Poëta factus, laureâ Themidis et Apollinis n'indignus. Hoc ipso tempore publice in stuba facta p Patronos primores deprecatio Rdi P. Rectoris et P. Præfecti nomine studiosi olim, postea Cancelaristæ, qui id circo quod hns sub cura Nobiles Studiosos, cancellariam ausus fuerit fregntare sine consensu. hoc quia contra juramentu præstare solitum ab Inspectoribus fuit, id circo perjurii reus, citatus fuit ad spirituale consistorium, primum durior factus demu mitier ubi vidit causam admissam, esse in consideratione, et se positum in discrimine, Palestram Castrensem Jurisperitorum pro se ut intercederet sollicitavit, quod h præstitit ut supra dictum eo illo ipso ad plantas utriusq Præsidis Collegii et Scholarum se inclinante obtenuitq veniam cum nostra victoria.

Quidam Studiosus deprecat. RP. Rectore et P. Præfectu Scholarum.

Julius mensis recensuit multos q valedixere Scholis ituri non ad otia d ad labores pios in religionibus variis. Recensentur omnes numero 20 Ex qbus 5. Cracoviam prexere ad tyrocinium Religionis nrd.

Rabinus baptizatus.

Hoc mense fidei accessit p versnem suam Ecclesia et saluti p baptisma Judæus in nostro templo baptizatus ætatis provectæ, celebris Rabinus, in multis locis h munere administrato, et eruditione singulari in hæbraico idiomate &c.

Julii dies ultima et studiorum, solennis festo S. P. Ignatii, quod Panegyri sacra R. P. Madalinski Prior Dominicanæ familia in conventu Posnan. et Lector Theologiæ P. Bakerkowicz nobis addictissimus exornarunt iidem ad prandium invitati, quod cum gustu et benevolentiæ documentis sumpsit ad mensas nostras Illsmus Generalis Majoris Poloniæ, cum aliis magnatibus et multis Prælatis Nobilibusq.

Illmus Joannes Tarlo Epus Posn. in ingressu Cathedræ salutatur.

Augustus mensis majestatem habuit Posnaniæ ab ingressu solenni in suam Cathedram Illsmi loci ordinarii Joannis Tarlo cui applaudit Collegiu nostrum Panegyri eidem Illsmo dedicata, quam cum plausu magno reddidit Pater Theologiæ Professor. Mensis hic non conclusit dies suos præfatione dies solita quæ ad sextam Septembris protracta ex voluntate Illsmi Episcopi q distractus negotiis, quia adesse non potuit postulavit differri ad diem Dominicum, quo die invitatq a R. P. Rectore ad prandium, cum Prælatis illud sumpsit, et in comitatu Magnatu ac nobilium adfuit orationi: ante consensum Cathedræ, salutatus a P. Rhetorices, respondet p Cancellarium Per Illsm Chelmicki facundum extemporaneo d culto stylo.

In h mense Romanæ gratiæ promulgatæ in Diœcesi Posnan. in qua indictum et pactum duarum hebdomadarum Jubileum. Inchoavit illud Illsmus loci ordinarius in templo Cathedrali, invitavitq P. Concionatorem Collegiatæ Ordinarium ad habendam Concionem in auspiciis Jubilæi. Obstitere P. P. Reformati, parum religiosa contentione d victi volentte Præsulis et modestia nostri Concionatoris. Nostrum templum inter alia visitantibus assignatum, recensuit multa millia confitentiu et sacram mensam accedentium: aliquot integri dies audiendis confessionibus insumi debebant.

Fontem Baptismalem accepit h mense Judæus versus in nostro templo Sacramento Baptismatis initiatus fidei Christianæ.

Festa

Festa Dnsmi Michaelis dies singulari solennitte peracta, cu Sacro cantato Vesperis utrisq concentu musico in primis solennittib usitato.

A PP. S. Francisci Religiosis de observantia, invitatæ scholæ pro introductione duorum Neo-Beator. Ord. sui adfuerunt processioni cum pompa sibi ab annis duobus hic usitata, explicatis vexillis, plausu tympanor. tubarumq adhibito. Devotionem tridui istius nostri concionibus Ima die et ultima in conclusione, invitati, celebrarunt et laudes duorum prædicarunt

Salutavit Collegium R.P. Architrosidem Provinciæ cum Scholarum applausu; similem applausum Palæstra RP. Socius Maximilianus Wyzyk die Tutelaris sui Stanislai Kostka recepit. Festum B. S. Kostcæ solenne extitit sacris Panegyricis PP. Bernardinorum Lectoris et Concionatoris Ordinarii, Hospitibq ad mensam invitatis, ac plausibus consuetis, curruum triumphalium, Processionis pompâ, ignium etiam artificialium splendore. Congregationis mediæ devotio et Majestas, singularius exornavit suum Tutelare Festum. Pro sua dignitate et solennitatis, concionatus R.P. Stephanus Poninski. Pater Congregationis simulq Professor Rhetorices suis impensis erexit Palatium structurâ, artificiô, elegantiâ, picturâ, et ignibus pompaticum, hinc inde succollantibus Elephantibus geminas paris majestatis Turres: quod verè dignum Reginâ Cæli et terræ Palatium Altaris locò fuerat. Ex adverso exstructum Pegma, ingeniô, inventione, et ornatu singulare. 4. Columnis Emblematibus et Symbolis exornatæ ad parem Palatio Majestatem eminebant, cu vertice desuper illis impendente eleganter confecto et adaptato: quibus intermedia statua alabastro consimilis Bsmæ immaculatæ Conceptæ stabat. Ex exedra infra theatrum locata peroravit laudes Virginis, ejus Orator. Hæc pompa unâ devotio suo die finem accepit; sed vix non parem solennitate, ipsi Festo. Sacru enim alludente choro (quod singulis quoq Octavæ diebus fiebat) celebratum ad præfatam Aram, Imago ad Congregationem processionaliter cum candelis et facibus deducta, ibiq ad Sodales instituta exhortatio a P. Logices. Festa Nativitatis Christi vacuum Personis fecère Collegium propter urgentissimas preces Parochorum nostros ad missiones expetentium.

Annus Dni 1725.

A. R.P. Michael Angelus Tamburini Præp. Generalis.
R.P. Martinus Trzempczynski Præp. Provinc.
R.P. Stephanus Trzaniecki Rector.

Januarii 1ma dies non postrema solennitate et frequentia est conclusa Invitatus ad celebrandum Sacrum Rndsmus Kaznowski excusavit. Præstitit hoc officium Rndsmus Wasniewicz Can. Gnez. et Posn. Præp. S. Magdalenæ. Concionati R.R.P.P. Carmelitæ Calceati Lectores, excepti sunt humaniter ad mensam cum solennizante, ac Perllis M.D. Vexillifer Posnaniensis. Postridie invitati et tractati iidem duo P.P. Carmelitæ illi; quorum cura est Sacelli in platea Judæorum siti. Brevi post Rndus Prior Lubiensis Benedictinor pariter tractatq in Refectorio cum humanitate Religiosa

Feria 3tia bachanaliorum ad mensam nostram tractatus in prandio et in cœna Rndsmus Wasniewicz, idem conclusit devotionem nostram in assistentiâ Cleri Parochialis. Exhortationes dictæ 4. in foro urbis cum cœtu flagellantium. 22da Februarii R.P. Rector Illsmum Matthiam Radomicki Generalem Majoris Poloniæ quietavit de summa 8. millium et processu accepit 4500.

Martii B. Virginis Dolorosæ solenni triumpho classicus, quem Concio et Vesperæ duplices auxere. D. Thomæ Aquinatis elogia sacra apud PP. Dominicanos promulgavit R.P. Hannemberg Theologiæ Professor

Theologi nostri Ami Anni in suni, pro more antiquo et pietate in Principem Theologorum D. Thomam, suo apparatu, Sacri quotidiana celebratione, concentu Musicorum, Hospitis Succamerarii Inouladislaviensis et aliorum, hujus Festi ce: lebrarunt Solennem suam, futuris daturi exemplum Annis Sacrosancte obeun: dum imitatione, et pari certamine. Festa Paschatis multos Missionari os nostros, ad messem Salutis Operarios evocavere, cogebantur nonnulli 3bus y 2bus Parochiis inservire ob multitudinem Parochorum exoptantium no: stros ad laborem in Vinea Domini, et paucitatem Operariorum.

Judices Salutati.

Ad auspicia Officii sui Salutati in Aprili Judices Terrestres in Templo nostro, gra: tè excepti applausus. Respondit nobis et Juventuti P. M. D. Judex prolixa et cul: ta satis dictione. Eosdem Majales inter Ferias Hospites in Refectorio R. P. Collegii Præses tractavit Religiosa Humanitate, aderat cum illis M. D. Kaminski Advocatq Causarum M. D. Kosielski Regens, M. D. Tadowicz Advo: catq noster et M. Zaremba Murgrabiq. 7ma die Junii invitatq R. P. Rector a P. M. D. ~~[illegible]~~ Rozdrażewski Posnsi ad oppidum Swarzędz pro Celebranda Processione intra Octavam Corporis Christi. celebravit illam solenniter in Concursu magno implente plateas Oppidi Acatholici, nostri assistebant aliquot, tam Reformati et Seculares: Conciones dictæ ad altaria tum Germanicæ tum Polonicæ. In Tem plo verò nostro conclusit Octavam Corporis Xi Rndsmus Czapski Canonicq Po: snaniensis, eodem die prandio refectus liberali. 15. die mensis ejus ce:

Exequiæ pro M. D. Radzewska.

lebravit nostrum Templum exequias M. Dnæ Radzewska defunctæ, Matris Illsmi Succamerarii Posnsis. cantavit Sacrum R. P. Rector Collegii nostri. In funere quoq piè defunctæ Virginis Szczytnicka apud P. P. Franciscanos idem præstitit obsequium R. P. Rector. In festo S. Antonii infra Octavam et in Octava Concionati nostri post aliquot Annorum differentias propter Fila: delphicam a nobis aversionem. Illi quoq vicissim invitati ad oppugnandas The ologicas Philosophicasq Theses in nostris Scholis. celebrarunt hos actus cum præ fatiunculis Unionem et amicitiæ fœdus indicantibus. Aderant quoq Prandio Guardianus et Lector post Octavam Thaumaturgi Tutelaris. Templi facies cœpta est exornari hoc anno sumptu et industria R. P. Rectoris Collegii

Turbo ingens Posnaniæ.

et ex adverso geminæ Turres. Quæ vix assurgere cœperant en turbo ingens 2o Junii excitatus, qui præter et inter insolitas tempestates, rarissimq, licet me: diæ horæ vix spatium circa 1mam Vespertinam, implevit, tamen non tantum

Turres Posnanienses desiciunt.

lapideis, domibus, tectis, fenestris Hortis, Sylvis, innumera incussit damna: E templo P. P. Dominicanorum tecto penitus dejecto, fornice excusso, Organis, sca mnis contritis, et sepulchris obrutis desolationem fecit Abominationis. Nostro quoq Collegio et Templo vix aliquot millibus reparabilem in Sartis tectis attulit ruinam. Verum illa Solida et unica Urbis imo Palatinatus decora scilicet Turres Curialem, Parochialem, et Cathedrales è suis murariis fun: damentis excussit, contrivit et solo æquavit. Illsmi quoq Thesaurarii Regni Palatium in Suburbio recens extructum suam a fundamento ruinam huic debet aereæ potestati. Inter furias tempestatis hujus nonnulli Nostrorum Votum emiserunt, 7. feriarum Sextarum jejunium cum omni a cibo et potu abstinentia ad Venerblem Franciscum de Hieronymis, statimq impetus mitescere cœpit. Is fuerat turbo, et violentiæ aquarum profluvium, tonitrui fragor, fulminum terror, fulgurum frequentia, ut unius diei similis tempestas ante diem Judicii sufficere possit æquando toti orbi, et diruendo.

averso prius est Collegii sumptibus altare D.D. Tutelaribus quod [illegible] Festis erigitur ante hoc est 1727 mense Junio.

In festo D. Bonaventuræ habuit noster Orationem apud P. P. Franciscanos ægrè id ferente Academia, nec suam dignante Præsentiam, quod illorum Cathedr 2bus annis sub tempus aversionis Filadelficarum illis Oratoribus Vocalem oc: cupaverimus. Julius primas Nostrorum 5. hostias obtulit Deo, duo eorum die S. Magdalenæ Sacro in templo Parochiali celebrarunt Sacrum magnum cantatum, Processio instituta cum Venbli Sacramento, ibat in illa 1mo longq ordo Civium deinde Clerq numerosq, tandem nostri subsecuti agmine prolixo: placuit summe urbi ea devotio, dictumq a multis nun quam se vidisse in Parochiali Ecclesia tam pulchram processionis Seriem.

Festum Divinissimi Ignatii exornavit Sacro celebrato Illsmus Carolus Tesz? Poninski Præp. Cath. Posnsis protunc Nominatus Suffraganeus. Panegy: rim Sacram altissimam dixit Rndsmus Chełmicki Cantor Posnnsis

S. Ignatii.

In vesperis Rndus D. Lucas Dabeński Notarius, Præp. S. Adalberti lau: des Divi celebravit. R. P. Rector prandio excepit eodem die Capitulum Posnnse; 12. Canonici adfuere, cum Secularibus aliquot. Expediti ad Novitiatum hoc anno 4. Juvenes Marszewski Moraczewski Jabłonski Krepnicki. Alias etiam Religiones nnulli Studiosorum ingressi.

Captivi ad nos fugiunt.

Contigit hoc anno ad nostrum Templum primò, dein ad Collegium fuga Captivorum Cingarorum, qui sub Custodia Urbis detinebantur, occupaban: turq circa expurgandum forum et publicas plateas Urbis, ex quo opere re: moto Custode, apertis compedibus fuga elapsi, Templum nostrum festini in: volarunt, excitatus inde strepitus, dein terror, post tumultus in Juventute Scholastica tunc Sacro Studiosorum audiendo intenta. Requisivit Civitas per suum advocatum tanquam publici accusatos Latrocinii. sed repulsam accepit. Igitur aggressa illos dolo per eorum familiares: sub specie fugæ eos eduxit ex: tra muros Collegii et captivavit sine ulla violentia fundi Religiosi. In festo S. Hyacinthi invitati nostri a P. P. Dominicanis ad Conciones et R. P. Rector Collegii ad celebrandum Sacrum, præstitit id, ad prandium invitatq quoq vesperas habuit et Processionem. In festo Dedicationis Templi apud San: ctimoniales S. Claræ idem solennem obtulit hostiam idem R. P. Præses Col: legii. Simile quid præstitit die festo S. Philippi Nerii apud P. P. Philippenses.

Varii Hospites Salutati.

In eodem mense Salutatq a P. Rhetorices Professore Illsmus Palatinq Kiio: viæ Hospes in Majorica. In Septembri pariter Illsmo Antistiti Posnnsi Hospiti in urbe et nostro Templo dicta est Salutatio a P. Rhetorices Profes: sore Nti Rdsmus Chełmicki. Miserat Illsmus Antistes ad Theolo: gorum nostrorum depromendum sensum et judicium super Inquisitiones factas in bonis Kurnik, utrum forent sufficientia in eis contenta documenta, pro: barentq veras Sagas, petiitq ut istum sensum Scripto exprimerent, sed cer: tis de causis id non præstitum, sed oretenus responsum. Paraverat Salutationes Celsmæ Wiśniowiecka Juventus, sed eas impensis precibq recusavit. Sumpsit tamen Juventus Scholastica initium suæ facun: diæ a plausibus R. P. Archi Præsidi Provinciæ dictis quem Collegium ac: cepit Hospitem 16 8bris, qua die incœpit Visitationem Collegii. Hoc anno Nostri ad Missiones extraordinarias invitati a Parochis excurre: bant. In ipsa quoq Urbe in Solennitatibus uti S. Teresiæ, Angelorum Custodum etc concionati invitantibus ad id, illorum locorum Administratoribq Spiritualibus. S. Benedicti Monialium Cathedra singulis hujus Historiæ annis, prætermissa, nunc semel pro semper compensat, testando illud anno: Dis an sibi ducens gloriæ, quod Magistros Ami Anni Theologos in Festo habeat, velitq pro semper esse Ordinarios: illorumq Spiritu suum vivere Auditorem.

Variæ Summæ Vindicatæ.

Anno hoc Summæ steriles a multis annis, tandem vindicatæ, ut fructum adferant in alium translatæ locum 1ma 3m ab Illsmo Generali Majoris Poloniæ Matthia Radomicki. 2da 4m. ex Konopnica in Palatinatu Lublinensi levata. Uraq hæc summa locata, nempe 5.m in villa Ruski prope Szamotulios apud M. Dnam Mariannam Szczaniecka. 2m apud M. D. Raphaelem Taczanowski in Villa Małkow prope Wartam in Palatinatu Calissiensi.

Initio Novembris Finem visitationis Collegii viderunt cum a: beunte hinc Archi Præside Provinciæ. Ulteriores vero ejus: dem mensis fetiæ, Solennem pompam Festi B. Stanislai

Festum S. Kostkæ.

Festum S. Stanislai Kostka Spectarunt quam audit Primitiis Sacerdotalibus P. Josephus Kowalski NeoMysta cujus germanus frater R. P. Kowalski Reformatus Lector Philosophiæ in Conventu Calissiensi hoc consulto invitatus, Panegyrim Sacram mane dixit. Hospitum frequentiam non solum Ædes nostra Sacra habuit verum et triclinium refecit non paucos. Sumpsere videlicet prandium Nostrum plures Canonici cum moderno Perillustri Suffraganeo Carolo Poninski. Adfuit et Perillustris Garczynski Vexillifer Vschovensis Pocillator Posn: Mat: Korminski et alii NeoMystæ Consanguinei. Processio una in pervigilio festi altera in Octava ejusdem Solenniter instituta.

Festum S. Xaverii.

Nec Dumfrui Indiarum Apostoli humili majestate claruit sua festiva, quam celebrante ad summam Aram Perillustri Rdmo Wasniewicz duo Patres Divi Francisci Conventuales nempe mane R. P. Mro Ludovicus Miske amicissimus Nobis Regens studii Theologici a prandiis ordinarius ferventissimis concionibus perspicuam effecere verum etiam illustrarunt copiose ignes artificiosi in facie templi accensi. Ubi Zonam Xaverianam candidissimo igne ardentem fidei ac in aera erumpentes flammæ serenarunt. Triclinium vero præter Rdmum Wasniewicz et D. Philippi Commendantem multos primores civitatis refecit.

Solennitas B. V. I. Conceptæ Congreg: mediæ tutelaris apparatu non vili absoluta, præter hortum Aræ loco exhibitum multos pietatis flores in suis numeravit Sodalibus.

Successere tandem Festa natalitia D. N. J. X. hæc missionarios nostros ad labores Apostolicos copiosissime evocarunt. quod in multis festivitatibus per annum contigit usque ad defatigationem Nostrorum. Et invaluisset hæc Parochorum ad missiones importuna evocatio Nostrorum ni obstitisset Romana et Archi-Præsidis Provinciæ Animadversio.

Annus Xti 1726.

Adm. R. P. Michaël Angelus Tamburinus Generalis
R. P. Martinus Trampczynski Præpos: Prov:
R. P. Stephanus Szaniecki Rector.

Anni auspicia et Nominis Sanctissimi elogia promulgarunt de Sacro Suggestu In magno Sacro P. R. D. Franciscus Leszczyc Dobrzycki Canonicus Cathedr: In Vesperis A. R. D. Laurentius Swinarski Theologus Anni 3tii Clericus optimæ spei. Eosdem religiosa porticis refecit in triclinio cum cæteris ex Nobilitate hospitibus.

Festum B. V. Purificatæ minimæ Congregationis devotio non parum solenne fecit adhibito apparatu non modico.

Tridinum Bachanaliorum consecrata pietas et frequentia audit.

Festa Paschalia vacuum fere Collegium Personis effecerunt ob copiam missionum nec omnibus potuit satisfieri nisi unus sacerdos noster binas parochias in curam accepisset. quod in aliquot locis contigerit factum.

Plausus Illmi Radomicki Generalis Majoris Poloniæ.

Hoc Anno nempe 13 Junii ingressus est in munus Generalis Majoris Poloniæ Illmus Joannes Radomicki Palatinus Inovladislaviensis cum pompa tanto actu digna et officii majestate. Festatum est Collegium quoque nostrum pro in ingressu modulo suarum virium benevolentiæ. Ante invitavit Illmus Posnaniæ Generalem Sequente die ingressum solennem, ad templum suum Erexit triumphalem arcum in facie templi ante templum equestrem juventutem coram Illmo collocavit sane non contemnenda. Post sacrum ante Illmum et alios multos proceres lectum reddita est Panegyris a Collegio Illmo Generali cujus 300 exempla distributa et nondum satisfactum fuit votis postulantium. Successit dedicationi panegyrica juventus Scholastica lectissima laudes et gratulationem honoris Illmo dictura. Quibus finitis plausibus Juventus equos conscendit ac deductura Illmum in Arcem Posnaniensem quod et præstitit. finitisque Judiciis ad lapidearum antecessit contentus summe hac scena magnatem.

Nostrorum exspectatio.

A prandiis invitatus Illmus iterum ad templum Nostrum accepit dedicatas sibi magnifice theses defendentes in magna hospitum frequentia P. M. Dno Andrea Moszczynski Succamerariida Inovladislaviensi: acceptavit et hoc officium gratissime Illmus imo præposuit Thesibus P. P. Dominicanorum, qui P. P. urgentissime instabant ut prius ab illis susciperet. Sed omnimode excusavit asserens deberi Scholis P. P. Socitis Jesu primatum quia sunt publicæ. Invitavit die hac R. P. Præsidem Collegii cum aliquot personis. Sequente die habuit ingressum suum pariter solennem Illma consors. Generalis salutata orationibus in Nro

Conspiratio in nos PP. Dominicanorum.

Templo. Quod etiam plausus honori Illustrissimo non tantum voce verum et prælo expressêre. Accepit utrumq gratissimè. Hacq die ad mensam Suam aliquot Nostros professorem cum P. Scholarum Præside et lectissima juventute splendidè refecit. Adfuêre ibi pariter et Primarii S. Dominici Religiosi, hi quia primi non adhibiti fuerunt mensæ etiam Nostris apud Illmum instantibus. Ab hoc convivio Nobis infensissimi abiêre, Patres illi ad philadelphicam Conspirationem. Auxêre istis genuinis offensam tituli etiam negatæ icones in Solenni thesium dedicatione iisdem Patribus quod non contemptus verum defectus in tanta hospitum copia causavit. Sopita attamen hæc turba affectu Superioris cont. et prudentia.

Mors Venceslai Podleskii.

Idem mensis post plausus præfatos funestus apparuit Morte C. Venceslai Podleski Theologi Scholastici Anni primi. Hic optimus et exdexteritatis magnæ religiosus Morbo vehementi dissenteriæ afflictus vix non intra triduum occubuit. Die Bonaventuræ Divinissimo Sacro abiit e vita dicturus erat Orationem Panegyricam in laudem præfati Doctoris Sancti pro eadem tumbam ingressus fecit ultimam periodum. Annos Undecim in Religione vixit si tempus spectemus, si labores et virtutes spectemus recentuit innumeros. Ad omnia aptissimus unum implevit necessarium. Ex Theologia ad beatam promotus visionem. Karsare auditus non semel prædictum sibi a parente fuisse fata ante religiosum Sacerdotium eò quod ex familia commuta se fuisse genitor dicit ipse qui Divum Stanislaum Antistitem cum Audace Boleslao trucidârunt, quibus ea est irrogata cælitus pœna, ne sacras immolare hostias ad aras cuiquam liceret eorum, qui Sacerdoti tanto cruentas irrogarunt necem, Dicta eventus probavit.

Festum S.P. Ignatii Illmus Epus salutatur à Professore Rhetorices.

Domini Ignatii Dies Augusta extitit Illmi Loci Ordinarii conspectu qui in Templo a P. Professore Logices salutatus est Sacrum privatum ad Aram Divi peregit Epus vero Suffraganeus Illmus Carolus Lobzie Pominski pontificale Sacrum habuit dicente pro rostris Sacris Panegyricum cultissimum AR. Rdo Michaële Butakowski Præposito Congregationis S. Philippi Nerii in Vesperis vero A.R.D. Casimiro Sosnowicz Præposito Gorcensi Decano Costrzinensi. Ab Aris ad mensam invitati ambo Antistites cum Prælatis et Canonicis ac Nobilitate.

Jubilæum magnum.

Successit tandem Jubilæum magnum duobus mensibus in hac Diœcesi celebratum cum ingenti Nostrorum labore propter ingentem populi et Nobilitatis frequentiam in Nostro templo quod per dispositionem Illmi Loci Ordinarii Joannis Tarlo inter quatuor Ecclesias visitationi destinatum. Recensent Annuæ laborum Senem Satis hic dicere quod per totos duos menses asylum fuerit pænitentium Nostrum templum.

Ultima augusti mensis dedit initium Scientiis celebratum solita præfatione in præsentia multorum magnatum.

September gratiarum actione pro Decreto Canonisationis B. Aloysii Gonzaga celebris extitit. Nostri duo Sacras Panegyres dixerunt tertius Legatum poeticam ante vesperas in templo publicè.

Funus Illstris Zegocka Capitanea Babimost.

November non parum funestus apparuit die enim 5. ejus mensis illata est tumulo inter Solennes exequias Perillustris Christina de Poniec Zegocka Capitanea Babimostensis Benefactrix Singularis Templi et Collegii. Hæc totam Religionem Nostram complectebatur benevolentia singulari in Domum Nostram munifica et in personas singulares non parum liberalis.

Mors Francisci Herman.

Anno hoc Die 11 8bris obiit omnibus Sacramentis munitus Franciscus Herman Scholasticus Anni 2di Theologus Ætatis Anno Religionis Dum vixit viva in eo spirabat modestia, morum compositio pulcherrimam affabilitatis Religiosæ imaginem in eo depingebat. Gravitas innata addebant pondus humilitati profundissimæ. Verbo, nemo melius germanam in se virtutem exhibuit.

Villa, dicta Zemsko in favillas redacta.

Anno hoc adumbravit sortes nostras conflagratio, inter cæteras melioris villæ dictæ Zemsko. Evibratum fulmen unam domum ferit ex qua repente dilatatus ardor produxit flammam ad alias arserunt itaq omnia, et in favillam redacta cum aedificiis praediola, eorum maximè qui et melius alii habebant et plus obsequii præstabant Nobis Cmetones enim fuerant. Debuit hæc strages multis impensis reparari et huiusq nondum perfecte rediit ad integritatem.

Indictum est brevi Jubilæum magnum per augustum et Septembrem celebratum, hoc ingens spacium laboris Nostræ Religionis operariis attulit tum in audiendis Confessionibus tum in dicenda quotidiè catechesi. maximè id audit operas nostras, quod in serie templorum quæ visitationibus designatorum, etiam nostrum fuit templum, ad quod veluti ad asylum quoddam confugiebant numerosissimi pænitentes. Sæpissime integris diebus cogebantur ac

in pare Confessionalia Sacerdotes. Fructum ejus annuum referunt luculenter. Unius duntaxat hominis ejusq sacerdotis improba sub hoc tempus pietas ad Christum Crucifixum memoratum qui diu supplex ante Aram Divini Xaverii in qua effigies Crucifixi argentea fuerat abstulit hanc et confractis pedibus manibusq ac ore contuso detulit ad aurifabrum aquo innotuit nobis non tantum damnum verum etiam persona sacrilegii hujus rea. Comprehensus itaq ab Instigatore Spirituali mysta hic punitus graviter in Cathedrali templo consecutus indulgentiam gravi poena.

Crux Argentea ab altari S. Francisci Xaverii Sacrilegi accepta.

Solennis gratiarum actio pro Decreto Canonisationis B. Aloysii Gonzaga instituta duo Nostri Sacras Panegyres dixerunt Ethus [illegible] afrandiis in templo.

Gratiarum actio pro Decreto Canonizationis S. Aloysii et Kostka.

Conversio ~~magni~~ nobilis viri magna affinitate insignis Mdni Chlebowski Acatholici hucusq publice in assistentia aliorum Nobilium facta in templo Nostro affluente juventute scholastica Civibus numerosis, [illegible].

Divi Michaelis Solennitas facies templi jam totaliter magno sumptu exornata Urbi spectandam exhibuit cum magna spectantium approbatione.

~~Die 11: Octobris obiit omnibus Sacramentis munitus Franciscus Herman Scholasticus Anni 2di Theologus Annorum aetatis Religionis. Dum vixit viva in eo spirabat modestia morum compositio pulcherrimam affabilitatis Religiosa imaginem in eo depingebat. Gravitas innata addebat pondus humilitati profundissima. Verbo nemo melius germanum ipse virtutem exhibuit.~~

Videatur id ipsum in parte superiori paginae ejusdem.

Die 3ta Nobris illata est tumulo Prnobilis Dna Christina de Ponin Zegocka Babinio Stensis Capitanea. Benefactrix singularis templi et Collegii. Hoc totam Religionem Nram complectebatur benevolentia singulari, non contenta affectu effectu etiam praesenta illas Primo 20m numerarii in fabricam Collegii. Deinde omnem supellectilem nostram praeter alia donavit beneficia. Praesertim prope 30 quam in Lapideam Rybska dictam jam pene collapsam impendit.

Beneficia in nos collata a Dna Zegocka.

Mensis November hospitem Collegio Nostro dedit R.P. Praesidem Provinciae cum quo novus culmini Domus Nostrae advenit Rector secundam a summo Pere luminare exortus est Claro Collegio Posnaniensi. Quia 22 Novembris R.P. Joannes Witkowski immediate Secretarius Praesidis Provinciae, accepit fasces a R.P. Stephano Scranecki. Novus Rector inter auspicia regiminis brevi Praesidi Provinciae valedixit hinc abeunti ipse Rectoris officium cum Rectoris titulo suscepit in se gratiis pro sceptro usus et fascibus.

R.P. Witkowski fit Rector Collegii.

Praesenti adhuc R.P. Provinciali supplex fuit per suos delegatos Civitas Posn. ut sua potestati argentum Congreg: Civium olim Nostrorum cura extraderetur totaliter, sed accepto responso quo nec nobis liceat extradere nec illi postulare supellectilem Congregationis quam potius tenerentur frequentare ubi locus fuerit pro illa expeditus, recessit a postulato. Exhibitus quoq fuerat ei decretum Romanum in simili Causa Asculana emanatum A.o 1713 16 martii Romae.

Iterum Cives petunt sibi extradi Argenteam suae olim Congregationis supellectilem.

Item alia Nostra bona conflagrarunt Mechlin dicta licet ex causa dissimili priori incendio tamen vix non aequali damno, verum et haec R.P. Rectoris Providentia et Solertia Curatoris Pagorum Chodakowski non sine gravibus expensis ad pristinum revocantur Statum.

Conflagratio villae Mechlin.

Fine huius Anno imposuere consuetae missiones nostrorum ad festo Natalitia Xti Dni per diversas Parochias.

Annus Dni 1727.

A.R.P. Michael Angelus Tamburinus Praepos: Generalis

R.P. Martinus Trampczynski Praepositus Provinc:

R.P. Joannes Witkowski Rector

Vix solenne auspicium Anni fecimus, 2da Dies Januarii tristi mors Nostri accidit Collegio. Obiit enim hac die Sacramentis omnibus munitus P. Fabianus Koztowski aetatis Anno 35 Religionis 15 Scholasticus approbatus. In Germanico Sacello Concionatorem hic egit protinus quando ex Sacris Rostris vocatus ad Sepulchrum latus. Facundissimus in exedris, chironi usu sermonis diutiq ante sua destitutus fata. Finivit vitam hic quam laudabiliter egit in Societate. Animam Creatori reddidit qui tot animas Professor Eloquentiae tandem Ecclesiastes Zelosus reccavit sermonis facundia et morum venustate.

P. Fabiani Koztowski.

Quadragesima quoq personas imminuit. Dimissus enim sub ejus tempus Mathias Przybyszewski Coadjutor temporalis Curator Pagorum in Gełiorki inclusus ante dimissionem post multos vitae annos in religione actos et post non pauca facinora et peccata ~~obiit~~ clamantia abiit, infamis.

Mathias Przybyszewski Dimissus.

Aprilis operarios pro festis Paschalibus in vineas Dni ex Nostro Collegio non paucos expedivit.

Unus in Egyptum mundi abiit P. Josephus Kowalski ipse factus sui faber fortunae. Exonerata inutili pondere religio ac etiam ob mores non satis compositos gravi, refert numini optimo gratias immortales, quod sua providentia eum a nobis removerit postulante removeri, qui iam non ad leges nostra instituta

P. Josephus Kowalski Dimissus.

[Margin: Mors R.P. Ryben]

(a pridem merebatur. Qui cum ita turpiter descens
sanitê desiit vivere 15 Aprilis P. Adamus Ryben sacramen
tis munitus Anno Aetatis 67 Religionis 40 Professus 4.
votorum. Ultimum diem obiit Solennem, quia feriam 3tiam Paschatis habuit extremam vitae. Mater Patrum tumulo 2da feria post
Dom. in Albis ducente pompam funeris Illmo Suffraganeo Posnan. Episcopatus Carolo Lodzia Poninski in assistentia praeter nostros
Praelatorum Canonicorum Religiosorum et Primorum Urbis, quos etiam tot
piis cum eruditione Concionibus Glaboriburg per Annos prope 20 ipsius operarii
illustrata facies audivit numerosas circa tumbam deposuit. Pater
hic post Quadriennium Tullianae eruditionis biennio Philosophiae
pro Externis, et Nostris triennium. Octennium Theologicae pro
Nostris: Praeses Superiorum per Septennium, semper in omni cursu
indefessus extitit operarius. Apostolus Metropolis majoris
Urbi huic imo toti Provinciae lacrimas elicuit. Deplorabant
tutorem Pupilli Patrem egeni Miseri Consolatorem. Infirmi Angelum Custodem Nocte dieque vigilem. Poenitentes Confessarium
indefessum: Omnes cujusque Status Consiliarium indefessum et inter
fluctus Conscientiae ac Scopulos difficultatum prudentem Palynurum. Quem labor Apostolicus, Conciones Zelosae Ecclesiasten acceptissimum in summis funeribus et solennitatibus Sedulitas ad tribunal
operarium fervens indefessum.

Communis hoc Anno in Polonia Calamitas Silicet pabuli defectus et pecoribus ob hyemis prolixitatem et aeris intemperantiam afflixit bona Nostra, et quod gravius est penuria frumentorum subditos nostros vix non coegit fame interire, Dei
Providentia Provisoris Succurrit expenso in frumentum pecunio.

[Margin: Aqua benedicta Sub nomine S. Ignatii.]

Devotio S. Ignatio Conciliavit in urbe hac reverentiam
Aqua ejus lustralis efficax infirmi periculose decumbentis sanatio.

Hoc Anno Tectum templi solide reparatum et sumptu
Praefecti fabricae templi.

Lapidea Janua Scholis contigua a medio sui novo muro
reparata

R.P. Rector Abiit cum aliis duobus Patribus Cracoviam
pro Congregatione inibi celebranda et rediit faventibus superis cum solatio nostro incolumis

[Margin: Festum S.P. Ignatii.]

Conclusit mensem Julium dies S. Patri nostro Sacer, cujus pompam
auxit Illmi Suffraganei Posnaniensis Caroli Lodzia Poninski praesentia: hic
Pontificaliter Sacrum Cantatum celebravit; plurimi ex Canonicis Cathedralibus

ad minora altaria suas litarunt Deo hostias: Panegyrim de mane dixit Prlis
Dajewski Notarius Officii Posnaniensis; a prandiis Rndus D. Swiecimski. Festo
assumptionis Bmae assumpti ad gradum duo ex Fratribus Coadjutoribus, C. Jaskolski et
C. Galewski, qui augendo hujus solennitatis majorem apparatum, et Templi supellectilem de proprio compararunt novam casulam, satis elegantem et sumptuosam.

[Margin: Gradus duorum Fratrum.]

Mensis September posuit initium Studiis; Renovatio Studiorum 1ma Septembris solenniter celebrata, Oratio habita in Corona Primorum hujus Palatinatus Nobilium, terrestrium Officialium, et Senatorum, Cleri, Religiosorumque Ordinum.

[Margin: Introductio Neo-Sanctorum ad RR.PP. Bernardinos.]

Exordium Octobris solenne fecit introductio Neosanctorum Joannis de Perusio,
Jacobi de Marchio, Francisci Sosani, Petri de Saxo Ferrato Ordinis Minorum.
Isti Neo-Sancti in Templo nostro die 2da Octobris posuerunt initium suorum
plausuum: hora circiter 8va Sacrum cantatum ab uno e nostris, Concio dicta ab
Ordinario Templi, quibus peractis movit processio in assistentia Nostrorum:
ipse Rndus P. Rector cum altero e Patribus veteranis unam imaginem, alteram
duo PP. Isti Anni detulêre usque ad Templum PPum Bernardinorum. Praecessit
longo Ordine trium Classium P. Infimae mediae et supremae Classis Juventus
sub suis vexillis, et hoc unicè auxit pompam.

[Margin: Introductio SS. Aloysii et Stanislai Kostka.]

Idem mensis celeberrimus fuit Solennitate Sanctorum Stanislai Kostka, et
Aloysii Gonzagae Neo-Canonizatorum, quorum introductio a die 19 Octobris, ad
26. ejusdem celebrata, hoc tenore. Duos in ante dies Templum nostrum etiam matutinae devotioni non patuit ob continuum in illo laborem futurae serviturum pompae, quod ipsum Civitatis sustentabat animos et curiosam exspectationem. Ut vero ipsa dies Festa illuxit, quam multi avida curiositate plurimi applausu, omnes pietate in Neo Sanctos praestolabantur, et Templi janua primo mane reserata patuit,
exspectans jam populus Basilicam implevit. Illud singularius auxit plausum Neo Sanctorum quod ipsi Solennitati ipsum Caelum applauserit: aëris enim tempestatem, pluviis
ventisque ad aliquot in ante dies tempus obnoxium, ultra omnium spem, non tamen
vota, secuta Coeli malacia, et plane sine nube dies. Hora ergo 8va datum est initium Solennitati. In Templo Cathedrali post Tympanorum, tubarum, omnisque generis Musicorum vocalem Echo coepit Sacrum cantatum celebrante Prlstri Canonico Cathedrali: Sacram verò panegyrim in Honorem Neo Sanctorum et D. Cantii Cujus
festivitatem Academia Posnaniensis eodem die ibidem celebravit) ad frequentem
et nobilissimum populum dignam tanto Auditore dixit Prlis Notarius Illmi Posnaniensis Officii. Post decantatum Sacrum eo cursu et pompa instituta processio. Ampla
Juventus Scholastica, Infimae, mediae, et supremae Classis, sub suis elegantibus vexillis numerosissimo praeivit ordine. Sequebatur Congregatio media Nobilissima
sub titulo Immaculatae Conceptae Virginis et Congregatio maxima sub titulo Annunciatae, utraque et numerosa, et de virgine cera instructa candelis. Succedebant Religiosi Ordines quotquot visuntur Posnaniae: Nostri induti superpelliceis claudebant agmen
Religiosum. Tandem Magistratus Posnaniensis, Canonici Collegiatae D. Magdalenae,
Canonici in Summo, Illmus Episcopus loci Ordinarius cum suo Illmo Capitulo
et reliquo Clero etiam de longe confluente auxere pompam processionis. Musica
in aliquot distributa choros alternatim et incessanter suo concentu per totum tractum Processionis applaudebat. Icon S. Aloysii cum suo ferculo ad majestatem
comparato deferebatur a variis Religiosorum ordinum praesertim PPum Bernardinorum Primariis Personis. Iconem vero S. Stanislai Kostka ibidem cum suo ferculo
magnificentissimo ab ipso Cathedrali Templo ad templum nostrum suis humeris detortarunt aliquot Canonici Cathedrales. Hujus Processionis non interruptus ordo, ita se

in longum extendit, ut suburbia, plateas, urbis forum, totamq, quanta est, illaq longissima, distantiam impleverit. Jam ad vestibulum Templi Nostri initium Processionis steterat, et nondum finis a Cathedrali se expedit. Sed coactum subsistere ante Templi faciem suo ordine Studiosorum agmen, quod eam multitudinem jam invenerit in Templo ut sibi locus deesset. Sub tempus Processionis circum circa Civitatem numerosa tormenta reboabant. Praesidiarius verò miles in foro Civitatis satis numerosq et ordinatus cum Divorum effigies praeterirent concordi et resono intonabat applausu bombardarum. Subiit Templum tam suo, quàm Sodalium et Cleri igne ardens haec Processionis Majestas, sed magna ex parte confertam populi sequentis multitudinem angustissima licet Basilica capere non potuit. Icones cum suis ferculis in theatris ad id eleganter et magnificè comparatis repositae. Post absolutam processionem cecinit Pontificaliter Sacrum Illmus et Rndsmus Joannes Tarlo Episcopus Posnan. Concionem dixit Rdus Franciscus Byszewski Canonicus Cathedralis, quam et typo impressit. A prandiis panegyrim Oratoriam unus e Societate dixit: panegyrim verò sacram Rdus Świcirajski Praepositus Ceradensis. Templi ex se Majestuosi superadditam de novo Magnificentiam nemo credet, nisi qui viderat. 1mo. Majus altare de novo arte pictoria et inventione stetit, eo magis aestimandum ~~quod~~ peremptoriè intra unam et alteram diem. 2do a latere dextro Pegma in honorem S. Stanislai Kostkae ad majestatem et elegantiam compositum prominebat. Ex eadem parte sinistra triumphantis Poloniae trophaea in applausum S. Stanislai erecta fuerant, ex hujus Sancti patrocinio sub Patriae praestito inventa et elaborata: 1mo triumphabat Polonia de Morte, morbis, et peste, 2do triumphabat Polonia de Marte Turcico, Scythico etc. 3tio. triumphabat Polonia de Alcinoo et Hora. 4to triumphabat Polonia ex Vulcano. 5to. triumphabat ex Neptuno. 6to triumphabat de Tempore. Haec 6. trophaea per ~~sex~~ disposita choros fuerant cum symbolis, inscriptionibus etc. A latere dextro Pegma in Honorem S. Aloysii exstructum satis Augustum, Caelestem ejus gloriam et in triumphante Ecclesiâ per suas virtutes triumphatorem exprimebat. Ab eodem latere dextro ibidem trophaea virtutum 6. in applausum triumphantis in gloriâ Caelesti S. Ludovici ex adverso stabant erecta. 1mum erat contemptus Honoris 2dum Contemptus Fortunae. 3tium trophaeum Mortificationis. 4tum. Amoris Dei. 5tum Innocentiae. 6tum gloriae Gonzagana in Caelo. Opera quoq et inventione nostrorum satis magnifica surrexêre duo Altaria Neo Sanctis, in quorum erectione ingens et exquisitq labor privatq et admirationem rapiebat et merebatur laudem. Per totam Octavam de Mane celebrabant Illmi Capituli Canonici Cathedrales: concionati e Religiosis ordinibq PP. Jubilati, Lectores variorum Ordinum. A prandiis hora circiter 4ta fiebant supplicationes magno concursu populi; quibus peractis incepit feriâ 2da Dramma in theatro ad Pegma S. Kostkae ad id exstructo continuatumq ultra horam; quod dramma eodem tempore singulis per totam Octavam diebus celebrabatur. Unus dies exhibebat triumphos S. Kostkae, alter dies S. Aloysii. Hos triumphos quotidiana per totam Octavam Illmi Episcopi Posnan. cum suo Illmo Capitulo in dies praesentia, ultro se ad id offerentis, Nobilitatis Cleri, Civium, et caetera ingens multitudo et auxit et decoravit. Ipsa die 8va conclusit Solennitatem Illmus Episcopus cum Te Deum laudamq, assistentibus Infima Media et Maxima Congregationibus, reboantibus tormentis. Artificiales ignes sedanoq conduci 1ma die Solennitatis et die Octavae numerosi et elegantes illustrarunt urbem, et in longam noctem prolongatis hic applausus conclusit Solennitatem.

Eodem mense accessit Templo recens erectum a P. Fabrica Templi pro tunc P. Stephano Szraniecki Altare Sanctorum Patronorum: Dismae, Cajetani, Nepomuceni, Nicolai, Laurentii etc.

Mense Novembri deaurata est Cathedra Concionatoria sumptibus Templi.

Exequiae pro Illmo Czarnkowski

Infra Octavam immaculatè Conceptae Virginis exequias solennes Illustrissimi Czarnkowski de hac familia ultimi in praesentia Consortis ejus Illmi Generalis et reliquorum Hospitum in Templo nostro habuimus: Corpus pie defuncti illatum sepulchro Patrum suorum.

December plurimos e nostris evocavit ad solitas missiones, et labores Apostolicos.

Annus Dni 1728.

A. R. P. Michael Angelus Tamburinus Praepos. Generalis
R. P. Joannes Juszkiewicz Praepos. Provincialis
R. P. Joannes Witkowski Rector.

Initium Solennitatas solita dedit Novo Anno: ad quam devotionem omnes Nostri ex suis Missionibus usitatâ praxi convenerant, praeterquam ex Missione Zbąszynensi; Magister enim Theologus maligna febri correptus, coactus subsistere, ad se, et nos rediit primis usq Quadragesimae. Singularis Cura et amor erga Societatem hoc in puncto enituit Perillustris Parczynski Vexilliferi Vschovensis illorum bonorum Haeredis, qui tanto tempore utrumq e Nostris unum Patrem 3ii Anni, alterum Socium ejus infirmum, et aluit et omni non pepercit sumptui impensisq in Doctorem et medicamenta, donec Sanitati restituerentur infirmus.

Gradus C. Osmanski

In Februario die S. Mathiae sacra, Gradum fecit C. Osmanski Apothecarius. Triduum Bacchanaliorum confluxu Civitatis et Nobilitatis celebratum: exhortationes a CC. Theologis per forum Urbis, post conclusionem feria 3tia peractam, dictae.

Duorum musicorum discordia Unius Mors.

In Martio contigit casus funestus. Duo ex Bursa musicae, Dotkowski et Grocki in una popina mutuis vicissim lacessiti a se contumeliis, verbis, et verberibus, praesertim Grocki a fortiore Dotkowski repetitis affectus ictibus sed incruentis: cum in profundam noctem redirent ad Bursam, unus illorum, scilicet Grocki repertus exanimis ad gradus Bursae, postridie, absq ullo tamen evidenti signo illatae sibi ab alio per vim mortis. Dotkowski requirebatur a Civitate tanquam homicida probabilis ad inquisitiones, caeterum subterfugit ad Collegium insidiantium manus, suam innocentiam visus probare, quod horâ circiter anticipaverit suo decubitu adventum defuncti Grocki.

Idem mensis evocavit e nostris plurimos paucis in Collegio relictis ad missiones Paschales. Post Festa reduces nostri salutarunt R. P. Provincialem non multo post, Hospitem.

Tumultus Studiosorum in Collegium.

In Junio Tragicam Scenam exhibuerunt studiosi Superiorum Scholarum, seditioso tumultu aggressi Collegium, et despoticè refractarij jurisdictioni Scholarum. Res ita contigit P. Professor Philosophiae insolentem quorundam et crebram à scholis absentiam satis modestè infra condignum corripuerat; efferatq hac correptione, durae cervicis unq, adscitis ejusdem farinae aliqs assectis, constituit Scholas non frequentare, imò et alios seditiosis minis à scholis arcere. Monitq primo quidem paternè à Patre Praefecto Scholarum, deindè cum nihil proficeret mitior admonitio (: post illam enim palam refractarietatem prodidit accinctâ frameâ) mandato authoritativo per Clericum studiosum severiq monitq ut seditione omissa, ad scholasticam rediret disciplinam. Sed haec omnia in vanum abierunt. Conclusum itaq per consultationem à R. P. Rectore institutam, ut primipilq seditionis ex scholis excluderetq tanquam refractariq et perjurus. Utpote contra juramentum, quo se communiter obligant Inspectores, nullas seditiones concitare, aut seditiosis adhaerere, praestitum, seditiosq. Ut autem quoquo meliori modo omnia procederent, et amoverent occasiones tricarum, quas subindè Nobiles plus aequo Inspectoribq faventes, et eorum excessibus contra scholasticos rigores manutenendis addicti concitare solent, Praemoniti sunt Parentes eorum, quos sub sua cura praedictq insolentis licentiae author habuit; ut et rationes sui muneris, et filios ab eodem reciperent. His providè praemissis successit solita praxi exclusio 11 Junij horis matutinis Scholarum Valvis affixa; qua in rabiem actq exclusq, cum sui similibq adijt hospitium alteriq Inspectoris interminatione ducentorum fustium eundem à scholis retrahere conatq. Nec hic stitit freneticiq impetq. Faverunt excluso Theologi, ac Philosophi; itaq post pomeridianas scholas omnes adeunt Collegium, P. Praefectum evocant, tum exclusq factq tanto patrocinio audacior, verbis barbaris Patrem Praefectum afficit unàq alij nonnulli, exprobrando injustam exclusionem, et quod sine eorum consensu excludi non debuerat

R. Præfectus ubi tam effrænem licentiam advertit, abiit ad suum cubiculum, relictis intra aream Collegij seditiosis, qui R.P. Rectorem exspectabant (aberat enim Domo) hic ubi rediit advertitque adeò insolentes licentiosos ausus, jussit fores Collegij obserari, tum excluso imperavit ut frameam poneret, respondit is insolenter audax, potius se vitam velle ponere quam frameam; et hoc dicto: stultâ audaciâ, et rusticâ ferociâ evaginare cœpit gladium in R.P. Rectorem, sed à circumstantibus nostris impeditus, et arreptus est ad Superiorem Collegij partem, post remissus ad Heraditissam hoc flagitantem. Alijs item liberè missis detenti sunt tres principaliores, quorum unus inaudita hactenus insolentia inclamavit: Bijmy Jezuitow Mci PP. Bracia, et animati hac voce aliqui prosilierunt, sed repressi à nostris. Unus ex illis tribus post Spirituales reflexiones liberè missus eadem die, duo honestè in cubiculo detenti per noctem, qui etiam postero die immunes ab omni pœna manumissi sunt. Allicere hac clementia debuerat ad omnem modestiam reliquos, nisi efferatas et malè sanas mentes reperisset, quæ etiam gratijs magis efferantur. Itaque inito fœdere armati incessêre, scholas et ipsi frequentare detrectarunt, et alios cohibere voluerunt plateas Civitatis armati obsidentes, ut aditus intercluderent. Ausu hoc fideliores territi, accinxerunt et illi propter suam securitatem frameas, ne inermes aliquam paterentur confusionem. Criminis enim à seditiosis arguebantur, quod cum insanientibus non insanirent. Hac de causa intempesta nocte scilicet circà horam undecimam unus è seditiosis collecta insolenti manu imò etiam in comitatu habens P.D. Bielinski Subdapiferidæ Posnan. suæ curæ commissum, armatus tum frameis tum bombardis voluit invadere Hospitium unius è rectè sentientibus. Sed à Patrefamilias repressus, fenestras inconcinnis clamoribus, et verbis contumeliosis pulsavit, quibus ad duellum provocabat eundem Inspectorem, ut sub hac specie in paratas insidias pertraheret. Sed responsum accepit Studiosorum non esse de nocte grassari, de die responsurum se. Egimus pro securitate Scholarum apud Serenissimum tunc Vschovæ commorantem. petitaque ex consilio Collegij et impetrata Commissio ad comprimendos seditiosos. Tum quia percrebuerat seditiosos apud aulam Regiam velle quærere patrocinium, adeoque judicatum est expedire ut prævenirentur. Tum quia instantes vacationes periculum faciebant cædium, ac aliorum excessuum à furiosis illis patrandorum quos commissio regia aut plenè coërcere, aut saltem (quod evenit) deterrere à nefandis ausibus posset. Quia tamen commissio hæc propter consultam unius maximè è Commissarijs moram in recenti crimine agitata non est, ideò satis judicatum est si citationes sigillis Commissariorum firmatæ, et manu cujusque propria subscriptæ portis affigerentur, quo facto sopita est seditio Studiosorum. (qui (ut talium est indoles.) magis servili timore, quam honestate reguntur. Successerunt tandem Vacationes, quæ studiosos è scholis ad domesticos lares dimiserunt, seditiosi verò plenè eradicati sunt in Septembri.

Ingressus Illmi Generalis novi.

Augustus celebris fuit solenni ingressu Illmi Joannis Georgij Przebendowski Thesaurarij Regni, Generalis Majoris Poloniæ, ad fundandam Jurisdictionem suam. Venit in partem plausuum et nostrum Collegium; invitavit ad Templum Illmum Generalem, cui in Corona lectissimorum Hospitum dicata est Panegyris et Theses Thlgcæ.

September initium Scholarum aperuit post solitam Orationem in Renovatione Studiorum ultimâ Augusti habitam. Conclusum est totum negotium cum rebellibus studiosis; omnes non sine aliqua difficultate, et altercationibus cum Nobilitate manutenente Pædagogos, à scholis remoti. Et sic evanuit turba, et reddita Scholis tranquillitas.

Summa 7. millium Levata.

Hoc mense Levata summa Septem millium ex Pamiętkowo inscripta olim Collegio ab Illmo Przyiemski. Quia verò hujus summæ 3m: pertinebant ad Residentiam Medecensem, quæ aliundè fuit obligata ad pendendum censum annuum Residentiæ Vschovensi. Ideo ex consensu R.P. Provincialis ad tollendum hoc onus Residentiæ, destinata et defacto reddita eadem 3.m: Missioni Vschovensi. Jam verò 4.m quæ sunt fabricæ Templi; elocata in censum, qui ex voluntate A.R.P.N. et R.P. Provincialis destinatus est fabricæ Collegij promovendæ, in vim debitorum eidem fabricæ Collegij à fabrica Templi olim contractorum.

In Octobri Illmum Balthazarem Wilxycki Episcopum Eucarpiensem, Suffraganeum Posnan. in suo ingressu et consecratione, in Templo Cathedrali; panegyri dicata, ac unus è nostris tum Scholarum eloquenti ore salutavimus.

Funus Illmi Radomicki.

In Novembri Templum Nostrum parentavit pijs manibus Illmi Joannis Radomicki, Palatini Junivladislaviensis Generalis Majoris Poloniæ, Tribunalis Regni Mareschalci, tot titulis ornatæ mortis victimæ! Singulari pompa funus istud celebratum, tum Templum mœstis ignibus, tum candelarum ex Virgine cera, tum lampadum oleo olivarum ardentium conspicuum, Sarcophagus eleganti inventione et sumptu non exiguo pro majestate tanti funeris exstructus. Litavit ad aras Illmus et Rndissimus Joannes Tarlo Episcopus Posnan. Eloquentissimo ore, tum Illmi defuncti honoribus, tum Nobilissimæ totiusque Majoris Poloniæ hospitum coronæ, parem concionem dixit R.P. Præses Collegij. Impressa hæc typis testatur affectum nostrum ergà nomen hoc verè gratiosum Societati. Condoluit nomine hospitum diserto ore Perillustris Modlibowski, nunc Pincerna Vschovensis cui pari facundia respondit Perillustris Stephanus Szołdrski Capitaneus Lanciciensis.

December Operarios in Vineam Dñi ad vota vicinorum Parochorum pro Festis Natalitijs expediit

Annus Domini 1729.

A.R.P. Michaël Angelus Tamburinus Præpositus Gñalis.
R.P. Joannes Iyszkiewicz Præpositus Provincialis
R.P. Joannes Witkowski Rector

Funus Illmæ Kozminska.

In Februario funus in Templo nostro Perillustris de Mycielscijs Kozmińska Pocillatricis Posnan. simili omnino pompa, ac anno elapso in Decembri aliud, celebratum est. Celebrante Illmo Loci ordinario. Funebrem concionem dixit P. Stephanus Poninski. Nomine hospitum eloquentissimè testatus luctum Perillustris Petrus Sokolnicki, tunc Pincerna, nunc Vexillifer Vschoven. cui respondit M. Dnus Adalbertus Miaskowski.

Restauratio Bursæ Musicorum.

Restaurata domus lapidea Bursæ Musicorum Collegij, sumptibus primò ex levata summa consumptibili ejusdem Bursæ 1500 fl: ex consensu antecedaneo R.P. Martini Trompczynski Provincialis, sed insuper ex proventibus Collegij ad eandem restaurationem impensum ultrà duo millia.

Restauratæ item sunt duæ lapideæ scholis contiguæ ruinis certius secuturis relictæ nisi periculo obviatum fuisset.

Festum Purificatæ Virginis Sodalitas Minimæ Congregationis absolvit non solum ardoribus cereorum illustrando verum etiam fervoribus Pietatis in Mariam quo tenella corda ardentia offerebant Sodales.

Aprilis Fabricæ labores renovavit, qui revirescente orbe notabiliter cœperunt reflorescere adhibente curam solertem R.P. Præfecto Fabricæ

Majus Divinissimi Stanislai Patroni Poloniæ et Nostri Templi Tutelaris Solennitate celebri Sacer et insignis apparuit.

Festa Paschatis multos, certo hic more evocarunt in Vineam Domini Operarios vix medietati postulantium et desiderantium sufficere Missionarii hujus Collegii paucissimos retinuerunt

R.P. Præses Provinciæ Collegium visitavit et gratias invenit vices ipse Provinciæ Summus Gratianus.

Introducta Sodalitas Cordis JESU

Hoc Anno in Octava Ssmi Corporis Christi introducta est Sodalitas Sanctissimi Cordis Jesu in Templum Nostrum. Cui plantam posuit liberalitas cujusdam insignis pietate ac dignitate Personæ, quæ millia aliquot largita est in perpetuo duraturam ab illis, ex proveniente censu continuaretur foveretur[que] devotio inchoata. Perducta vero ad fastigium RP Præfecto Collegii obtentis Indulgentiis, approbatione Romana libellis copiosissime editis exteris[que] cultum Divini Cordis concernentibus provide ordinatis. Initium devotioni optatissimæ factum in octava Sanctissimi Corporis Xti prævia exhibitione theatrali ante faciem templi. cordis Divini triumphum emblematice celebrante. Deducta est inde pompa Sodalitatis ad Sacellum devotioni huic destinatum in quo et exhibitio continuata, et die tota sequente, binis[que] Noctibus, magno confluxu vigilantium, Nostris per vices constantissime prælucentibus fervor enituit singularis, tenebras luminè copioso Ardoribus[que] ferventer orantium illustratas. Adeo multi statim dedere Nomen Sodalitati huic, ut Albo inscribentium fatigarentur manus; prius vero aures Numerosas Confessiones Audientium. Ingentem lætitiam urbi integræ devotionis hujus adtulit auspicium, quæ desiderabat summopere in corona aliarum Confraternitatum Sodalitatem hanc comparere.

Ingressus Solennis in Præfecturam Majoris Poloniæ Illmi Skołdyski

Ingressum Solennem in Suam Præfecturam Illmus Ludovicus Skołdyski Generalis Majoris Poloniæ [regit] Cui plausum dedit Collegium Panegyri dedicata et Salutationibus gratulationibus[que] Scholasticæ Juventutis quæ etiam equestris die sequente deduxit Illmum ad Curiam Castrensem, in qua deinde epulo singulari est excepta.

Augusti intestino absoluto inchoata Studia Præfecturam dictam tempore solito audivit numerosus et dignitate singulari conspicuus auditor.

Fabrica quoq[ue] Collegii ad fastigium laboribus indefessis est producta.

Annus Domini 1730.

A. R. P. Michaël Angelus Tamburinus Præpos. Gener.
R. P. Joannes Juszkiewicz Præpos. Provincialis
R. P. Joannes Witkowski Rector Collegii

Ssmi Nominis JESU invocatio a pendente in patibulo, a media hora

Januarius Consueta Nominis JESU Solennitate auspicium Anno dedit. Ex cujus celebritatis occasione, commemorari hic potest, illiq[ue] classicus, auditus Anno 1728. sonuit hoc in ore militis Saxonis in patibulo suspensi qui media jam hora pendens et putatus exanimis tandem signo vitæ dato, Nomen hoc Sanctissimum vocaliter iteravit cum admiratione residui Spectatoris.

Mors Admdi RP. Generalis nostri.

Februarius funesto rumore Societatem Nostram de fatis Admi RP Generalis Nostri perturbavit. Qui hoc mense desiit vivere post tot annos regiminis diuturno afflictus morbo et sublatus tandem.

Devotio et Solennitas Cordis JESU.

Martius eodem fervore, quo inchoata fuit, continuavit devotionem Cordis Jesu per omnes suas sextas ferias, et tandem die Sanctissimis MARIÆ doloribus sacra. Non tamen integris noctibus ut inter auspicia (quamvis id multi desideraverint) duravit ista pietas inter profundas tamen vespertinas matutinas[que] tenebras perseveravit, flammis et pietatis ardoribus illustrata. Confluentibus majoris notæ et dignitatis hominibus ac Nomina eidem Sodalitati concedentibus. Scholasticæ quoq[ue] Juventutis enituit ardor non postremus, quæ omnibus horis quibus perseveravit devotio copiosissime libentissime ante aram Sodalitatis conveniebat hærebat[que] tenellis affectibus divinum cor recreando. Verbo hæc et primitiva devotio successit ad invidiam aliorum etiam Religiosorum, qui meditabantur eam suis in templis auspicari, sed dexteritas RP. Rectoris Nostri effecit ne palmam nobis præriperent. Tamen ad normam illius similes devotiones iisdem sextis feriis Martii celebrarunt.

Singularia Divinæ bonitatis documenta quædam hi

annectuntur Superioribus Annis omissa. Annum est ex A 1728
Ex Marchionatu Brandeburgico advena quidam Acatolicus, ex
pia consvetudine cum uno e Nostris, Collegii hujus Patribus
informationem ac illustrationem circa Fidem tam luculentam
auceperat, ut veritate agnita, Stimulisq internis in dies ma-
joribus Sollicitaretur ad Suscipiendam orthodoxam fidem: obstitit
tamen pertinaciter, ac ut molestos ad intra interpellatores pro-
cul ageret in longinquam hinc abiret regionem, fitis prodigus
gratiam. Nec tamen ita recedentem deseruere Stimuli, imo quo-
tidie vehementius animum Sollicitabant obstinati. Igitur ubi que-
sitam nullibi reperire licuit misero quietem, festinus redit Posna-
niam, accessitq Patrem eundem ultro supplex factus ut reconcili-
aretur Ecclesiæ, a cujus consortio loco et animo dispare cupiebat.
Fassus in horas sibi intimari Nullam obtenturum illum æternæ
nedum temporalem quietem, nisi cum religione Catolica in
fœdus rediisset. Absq mora id præstitit, et abnegando erro-
res tranquillitatem obtinuit.

Brandeburgici cujusdam Conversio

Non minor Providentiæ Cælicæ cura eodem anno enituit
circa Salutem Animæ cujusdam Posnaniensis Matronæ. Hæc
annos vitæ 60 in erroribus hæreticis numerans semper in iisdem
pertinax ac surda ad continuas Svasiones mariti Catolici, Nostræq
Societatis hominum, strenue hac in parte laborantium. Ergo a
viro suo propter ingentem pertinaciam seu in pœnam illius
relicta, qui impatiens scommatum ob fidem veram ab illa vi-
brari solitorum in ignotam Uxori abiit regionem. Manet itaq
Solitaria notabili spatio temporis, urgeturq constanter a Nostris
operariis ut fidem catolicam amplectatur, per ludibrium magis
quam serio, seu potius tentatura Deum Patremq Operarium,
postulat Sacrum offerri ad ejus intentionem pro reditu feli-
citer mariti impetrando, Exploratura si quid sacra carmi-
na possent et valeret missa, cujus vim tantam (ut illa a-
jebat) celebrant Orthodoxi. Dictum factumq. Alacer pro-
mittit et offert Pater missam, orat supplex Deum et obtinet postu-
latum, adest enim postridie inopinatus maritus, ad reditum
interna vi stimulatus. Mirata eventum hæretica mulier
jam tantisper flecti cæpit, sed brevi rursus se præbuit im-
mobilem. Tandem ubi hoc incitamentum non profuit, admo-
vet Deus acrius calcar nempe lethali morbo percutit obsti-
natam, igitur ad fatiscentem evocatur Operarius noster, sva-
~~det meliorat~~ elicitq nonnisi pollicitatione qua pro-

Mulieris hæreticæ Conversio

Missâ quidem moveat Deus!

mihi se fidem catolicam suscepturam, si convaluero ex præsenti
morbo. Annuit Deus conditionato huic desiderio, postridie enim
convaluit, accessitq portam Collegii, sponte postulans reconciliari
Ecclesiæ, ac sine mora obtinuit. Unde incolumitatem corporis sa-
nitas mentis animiq est secuta.

Alia vero in eadem Urbe per multos annos sacrilege confessa,
et inhabituata, cum vitæ emendationem differt, negligitq; per som-
nium videt Gygantem stricto ense minitantem sibi, quinimo
fugitivam insequentem quem cum propero cursu vitare nititur
in profundam delabitur foveam draconibus serpentibus aliisq
venenosis refertam monstris: inter hæc constituta dum implo-
rat opem videt superius adstantem sibi ex Nostris unum interim
Patrem porrigentemq sibi protensum funem, quem ubi arri-
pit discrimen evasit, et fatales morsus extracta simul et ex
somno excitata magno terrore concutitur rata imaginem osten-
sam damnationis suæ, evasionisq modi; Illucescente igitur
die, ad nostram sacram contendit ædem, tenebras animi excussu-
ra, confitetur peccata, serio conteritur, vigilansq evadit peri-
culum quod haud pridem somniavit. Totaliter emendavit vi-
tam, ut ex sequentibus confessionibus patuit luculenter. Sopi-
vit conscientiæ vermem, quem in quiete nocturna, inter vi-
peras infernales spectavit sibi infensissimum.

Mulier inhabituata, per somnum à DEO stimulata ad pœnitentiam

Præsentem vero Annum concernit singularis ad religio-
nem Divinissimi Francisci vocatio Nobilissimi in Scholis
ystis Studiosi ~~jamq~~ Michaelis Bydorski jamq modo reli-
giosi Reformati. Huic in somnio spectabilem se præbuit Per-
sona, habitu ac cæteris lineamentis Divinum Assisinatem refe-
rens, monuitq ut suam religionem ingrederetur, quod cum juve-
nis excusasset intolerabilem sibi eum affirmans vitæ statum
subjungit illa: Potuerunt hi et tu poteris ac disparuit.
Contempto monitu Juvenis ad Seculi honores fortunasq aspi-
rans totus: Post aliquot tandem Annos inter spes magnas
favores studiaq transactos ecce iterum dormientem alia per-
sona Angelico cultu conspicua accedit, excitat a somno, in
memoriam revocat monitum olim datum, et jam vigilantem
reprehendit quod huc usq distulerit exequi cælestia impera-
ta. Excusat ille rursus sed urgetur, dicto superius memo-
rato. Ergo desinente videri monitore proripit se ex lecto

Prodigiosa Vocatio cujusdam ad Religionem S. Francisci

ad curas convertitq sollicitus de visione iterata, adit familiam disponit agenda quaedam (tunc enim extra Scholas degebat ad Natalitia Domini evocatus festa) redit ad Conclave cogitaturus de spectaculo. Cui vero obvium habet eundem genium minitantem interitum, ni exequatur imperata. perterrefactus Juvenis statuit exequi sine mora, quod injunctum est. breviq valedicto Parentibus inter quorum lacrimas et solatia amplectitur religiosum institutum.

Alius ad Religionem impulsus à daemone.

Alter haud pridem per somnium mirad Daemon apparuit inquiens damnandum illum perenniter ni religionem Divi Elisi amplectatur. arripuit mali genii bonum monitum optimus Juvenis.

Mors C. Wolski.

Desiit vivere 30 Aprilis C. Josephus Wolski optimus Frater imo CC. Coadjutorum temporalium exemplar singulare. Vixit multos in Religione annos quos copiosissimis et continuis usq ad exitum distrixit laboribus, Maxime de hoc Collegio bene meritus in cura enim ejus praediorum consumpsit vires, cui pariter immortuus. Ut conjunctissimus vixit cum Deo ita et defunctus etiam intra malignos ardores ferventissime orans Numen cui supplex continuo videbatur. Matus brevi tumulo Patrum quiescit feliciter post tot impensas Collegio et Religioni operas.

Majo Evocavit RP Praesidem cum aliis Patribus ad Congregationem Cracoviam quo ivere feliciter et rediere secundissime.

Solemnia Divi Ignatii Annum scholasticum terminavit. Quod exornarunt sacra panegyri Religiosi Divi Benedicti Nempe Prior Lubinensis et Ordinarius ejusdem Conventus

Tandem transacto Quietis menstruae interstitio ultima augusti Auspicia literaria solita praefatione promulgata in conspectu multorum et dignissimorum hospitum.

Mors RP Michaelis Prochaska.

Sed primordia Nostra funestavit mors RP Michaëlis Prochaska Professi 4 Votorum qui contracto in ora morbo ad hoc diverterat Collegium curaturus sanitatem ingravescente malo decenteris nec remedium quod summum adhibebatur non admittente e vivis cessit. optime meritus de religione, cujus in illo amplissimas spes intempestivum corrupit fatum. Debet illi Wschovensis Missio plantam et culmen suum, ad quod illam evexit extulitq maxima ab heterodoxis tolerando. Vicit tamen constantia patientiaq pervicaciam. Ab optime stabilita mole vix recessit ipse stare desiit. Sinistra multa quae passus dexteritate vicit singulari. Vitae religiosae methodo et industriis singularibus, omnia peragendo. Celeritate in exequendis negotiis alterum Michaël hic praetulit. cessare visus Nunquam a laboribus cum Deo semper conjunctissimus etiam in morbo et morte. in separato sepulchro Matus Posnaniensi more solito. Non a Nobis tantum sed ab omnibus Nostri Magnatibus etiam lugebatur apud quos, cum Religionis bono optime meritus. Desiderium sui reliquit ingens ad vota religionis et omnium compositus. Obiit 16 Septembris postridie sepultus, semper vicennaturus in memoria aeterna.

R.P. Dziewanowski Vice Provincialis, hospes in Collegio.

October Adventus RP Martini Dziewanowski Vice Provincialis Nostri Collegium hoc serenavit cujus oriens ab alto Nos visitavit. Induxit tamen quandam orbem eadem visitatio quia designatione sua amovit Praesidem a Jasiuby.

Festum Divi Stanislai Praesentia sua idem Vice Praeses Provinciae ornavit et in Novo Refectorio (quod haud pridem dexteritate RP Rectoris patuit ad majestatem depictum, nosq ab umbris veteris triclinii vindicavit) cum hospitibus nempe Illmo Suffraganeo et Illmis Castellano Calissiensi Succamerario Posn. Vexillifero Posn. aliisq epulum Religiosum sumpsit.

R.P. Witkowski mittitur in Gallias.

December Nos orbavit Praeside Collegii, ad postulata enim Gallica expeditus in Gallias ad latus Serenissimi Stanislai RP Joannes Witkowski hujusq istiq Collegii Rector. abiit in Regionem illam viator Religiosus pedisequa vota et animos amantium se trahens subditorum. Reliquit fasces Collegii penes RP Joannem Radominski Vicerectorem protunc Theologiae Scholasticae Professorem in quo optimum benevolentiae et gratiarum reliquit typum. Aliquot mensibus sub hujus gratiani vicario regimine, imperium Collegii istiq duravit.

Festa Nativitatis Dni Nostri, ad labores apostolicos multos Missionarios nostros juxta antiquum morem evocarunt.

Annus D. 1731.

A. R. P. Franciscus Retz Praepositus Generalis.
R. P. Joannes Juskiewicz Praepositus Provinc:
R. P. Martinus Trąmpczynski Rector Collegii

a P.P. Dominicanis introducta Devotio Nominis JESU.

Annum hunc ut alios semper inchoavit devotio apud nos usitata, cujus Solennitatem, imminuit Concursum huc alias copiosum fidelium videntur, aemula devotio non pridem et fere hoc anno singulariter inchoata a P.P. Dominicanis. Multi enim novarum rerum praecipue cupidi, et curiosi eorum templum adiverunt; fuerunt tamen multi qui Nostram Solennitatem conspectu suo et pietate exornarunt. Auditi hac die non nulli Externi incusantes altare hoc erectum contra altare, aliamq occasionem praefatis Patribus offerentes ejusmodi Solennitatis, nempe Festum SSmi Nominis JESU quod Dominica 2da post Epiphaniam ab Ecclesia universa celebratur. Nos vero non angimur, sed potius gaudemus, ita cultum SSmi Nnis JESU propagari; ut nec inde affligimur quod per triduum Bachanaliorum P.P. quoq Sancti Francisci Conventuales; similem instituant devotionem: aemulentur Charismata meliora, crescat vero Divina Gloria, quam majorem amplioremq exoptamus semper.

Februarius suis illustrior flammis evasit, quas ad Solennitatem Purificatae Virginis tum Orbis Xtnus, tum Congregatio Mariana accendit maxima illa at in exiguo fulgore conspicua.

Martius SSmi Cordis JESU insigni cultu, quem per Ferias illius sextas, fundi etiam includendo dies, nempe Parasceves et Paschalem una feria 6ta quas Martius tunc est complexus, cogeremur protrahere eadem Solennia.

Idem mensis copiosos ex Collegio Missionarios expedivit ad Festa Paschalia; apostolicis eorum laboribus consecranda. Quorum nonnullos ultra praescriptum tempus inundatio tenuit aquarum, ingens, et fere ultra suum

Inundatio gravis.

morem continuata diutius, quae et Posnaniensi Civitati, et Fabricae Collegii, aliisq pagis, oppidis, Vartae potissimum adjacentibus, causavit damna non exilia. Inter haec diluvia, pridem effusus in conversationem liberiorem, clandestinam maxime, intra Margines ergastuli religiosi est inclusus C. Joannes Syncke Apothecarius seu potius Ens otiosum Apothecae Posnaniensis Collegii: monitus saepe, et punitus graviter, omnia vilipendit. Otium illi vitiorum fuerat occasio singularis. Medicus piger et se nescivit curare et alios. Sanitatis ignoravit Antidota, Salutis vero remedia pati renuit. Ut aparodisinis corpora aliorum, ita animum suum a morbo non potuit vindicare, seu noluit, quamvis toties injuncta dieta pro remedio, et pro incisione venae, prolixior flagellatio. Decubuit non semel lethaliter, etiam tactus corporali morbo; agonizabat non raro sed in religione exspirare non potuit; quia respirare noluit et resipiscere. Igitur circa Sacernima Pneumatis Divini Solennia, dimissus, et ab Urbe amotus; brevi rediit ad vomitum; nempe ad suam Amasiam, quam cum jactura religiosae vitae, deperibat dudum. Sed a marito exceptus inhumaniter, Domusq sua aditu prohibitus, etiam necem stricto pugione comminitante, R^v^ semel hospes ingratus appareret inquientesq: Jesuitam te libenter habui hospitem, nunc dimissum odio prosequor et detestor. etc: Inde diu etiam in suburbio substitit et tandem evanuit: dicitur ingressus esse Religionem quandam. Dent ibi superi meliora sapere. Sed forsitan qui fuit hic asinus, non ibi fiet equus.

Joannes Syncke Dimissus.

Ingressus Religionem Calceatorum.

Rumor inspiratus Collegium hoc perturbavit, et hic fuit de Nostris Patribus Lithvanae Provinciae, quod sibi pararent Posnaniae Stationem. Nec caruit fama haec documento authentico. Quidam enim Posnaniensis inquilinus singularis Societatis amicus, literas exhibuit Varsavia a M. Dno Cisklewicz ad eum fidum sibi; datas, in quibus significat praedium suum, seu domum cum fundo, sitam in suburbio, non procul a Lazareto, velle coemere P.P. Patres Lithvanae Provinciae, ad ponendam ibi Subprovinciae residentiam; addit promissum sibi 3tam summam in solutionis pretium, esseq jam in procinctu P. Haramowski

Rumor de ingressu P.P. Lithvaniae meditantibus Stationem apud Posnaniae

ad faciendam Possessionem loci: Patrocinium igitur negotio implorat ab amicis, ut non obesset Contractui Civitas. Movit hoc delatio Syndicus Collegii, et varia Studia occurrendi malo. Sed ipsa, sua forsitan sponte evanuit machina. Fictam fuisse videtur nefas esse dicere; utpote tam evidenti nitens fundamento: Mysterium tamen putamus latuisse; quod illud? haud licet divinare: Opinamur Statum loci hæredem terriculamento ejusmodi, voluisse extorquere a Nobis, loci emptionem, cujus fundus est nostro contiguus &c.

Panegyris data a Nobis Illmis Neosponsis Kozminski et Potocka.

Primi dies Junii mensis Solenni adventu Illmæ de Potociis Kozminska Castellanæ Calissiensis Neo Sponsæ in oppidum Sioarzedz hæreditarium videlicet Sponsi Illmi Mathiæ de Juraszicie Kozminski Castellani Calissi. celebres extitere. Qui auxit pompam, Celsissimus Theodorus Potocki Primas Regni cum Illmo Palatino Kijoviæ, aliisque Magnatibus, Prælatis hospitibusque. Reddita proxime a Collegio Panegyris, tanto applaudens Hymenæo; quam Primi Patres Collegii hujus, cum Vice Præside ad locum loci detulerunt, et reddiderunt Neosponsis.

R.P. Trampczynski Rector Collegii.

Collegium hoc quasi huc usque acephalum, hoc mense Caput accepit; idque Rectorem Suum 5ta Junii Salutavit R.P. Martinum Trampczynski, nuper in fronte Provinciæ, (utpote illius Provincialem) eminentem, ac in facie totius Societatis non pridem Collocatum, quia Congregationis Generalis Vice Secretarium. Gestientibus nobis de Adventu hujus Præsidis, mærorem; illius vero Orienti quasi umbram (si tantus fulgor pati quid potest) potius tenebrosum) adjecit, Mors P. Josephi Gedymin Scholastici.

Mors P. Josephi Gedymin Theologi Anni 4ti

Theologiæ Studiosum agebat tunc Anno 4to magnæ Spei, Societatis Religiosus, ob probitatem et singularem dexteritatem in agendo, quæ tamen a Sinistra fati vice non exemit illum. Anno fere integro vix non semper lethaliter decubuit, Job religiosus et martyr patientiæ. Cursum Theologicum simul cum vitæ cursu terminavit, doctum certamen inter luctas morbi peregit, coronam Justitiæ abiit acceptum. Cum summa integritate animi, Corporis ingentem pertulit Corruptelam. Non semel exulceratione horrenda deformatus, speciem formamque pietatis eandem semper exhibuit. Varii Medicinæ Doctores adhibiti ut occurrerent malignitati; provecto jam obviare nequiverunt malo. Igitur huic finem et vitæ simul imposuit; defunctus pie, fato religioso fortunatus. Patrum tumulo Solito more illatus in pace æterna requiescit

Dramma dedicatum Illmis Neosponsis fr. præsentatis.

Julius mensis classicus extitit drammate, per M: Demetrium Gorzenski Professore Syntaxeos, dedicato. Illmis præfatis Neosponsis, ante cujus initium per Scholasticam Juventutem Ipsa Illma Castellana, Salutata patrio idiomate, grate audivit plausus suos, et spectavit Scenas Drammatis, cum suo Illmo marito, perlibenter.

Festum S. Ignatii.

Conclusit mensem et annum Scholasticum Solennitas Divi Ignatii, celebrante Illmo Loci Ordinario, qui pariter in assistentia Illmi Palatini Kijoviæ, Proceremque aliorum Spiritualis et Secularis Status, epulo religioso est refectus. Panegyrim Sacram dixere RR. PP. Prædicatores in persona ARP. Prioris Sui Madalinski et alterius Religiosi

Professio Religiosa gemina

Augustus mensis majestatem habuit a Professione gemina Utriusque Patris Professoris Philosophiæ: nempe: P. Andreæ Zyszynski et P. Josephi Suffczynski graduumque Fratr

Ita in medio sui clarus, in extremo quoque apparuit mensis hic gloriosus: Auspiciis nimirum Literariis, quas Præfatione Solita, cum promulgarentur, Auditores habuerunt Cum Illmo Generali Majoris Poloniæ, insignes Nominibus et dignitatibus hospites.

September Auspiciis Scientiarum classicus extitit Juventutem Scholasticam e domesticis laribus in atria docta evocando.

Cives grati lati Patroni R.P. Rectori.

Novembris Feriæ plausibus Scholarum celebres quos dixere Nominis R.P. Præsidis Collegii, cui etiam insolitum hic detulit honorem Civitas Posnaniensis quia per Præsidentem Consulem et Scribam Suum gratulata est eidem Solennia Divi Tutelaris documento reverentiæ et novo fere et singulari.

Idem mensis inclaruit triumphis Divi Stanislai quem triplex Currus triumphalis tam in pervigilio quam in ipso festo deductus comptissime et jucundissime evehit. Sed possi-

postridie tam illustrem pompam, adumbravit funus parentale Illmo Ludovicae ex Kniazynicij Poninska Castellanae Posnaniensis in martio adhuc illatae Nostro tumulo. Quam brevi secuti duo filii: Nempe Perillis Alexander Poninski Venator Vschovensis Terrae et Stanislaus Colonellus S. R. M. Ex medicamine sumpto intempestive incurabilem contraxerunt morbum: depuncti et nostro illati tumulo Illmo Genitore Magnate piissimo ad tantos ictus adamantinum animum praeferente et sequentis aetatibus exemplar patientiae exhibente, ut illud ingeminaret Dnus dedit Dnus abstulit sit Nomen Dni benedictum. Erant in Nostris Scholis grassabatur Lachesis, aliquot e prima Nobilitate Juvenes sustulit, metu nobis incusso Contagionis alicujus, sed absolverunt timore vani modi fatum.

At morte gravior nobis extitit vivacitas nimia seu potius insolentia quorundam Studiosorum, qui nescio qua acti levitate certamina cum Sutoribus et Sartoribus sunt aggressi, causam Judicium esse nominare; nempe quod illi civitatis Superiorem vestem circumferrent et idcirco a Studiosis discrepare non viderentur. Cum vi vestis cingulisque at minus illos discerneret a Sartoribus, et morum differentia etc. Horistum

Levitas Studiosorum castigata.

huic (ut ita dicam) infanitis relegatis ex Schola antesignanis Nobilibusque quoque, per amotionem politicam. Eodem remedio etiam Superiore Anni hujus parte ausus provocantibus se ad duella terminati cum P. Praefectus ad requisitionem delationemque Judicii Castrensis protinus agitati declaravit eos hoc ipso non esse Studiosos etc. Sed jam plausibiliora calamum avocant historicum. Nempe Decembris solennia, Prima Divi Xaverii quod classica fecere R. R. P. P. Franciscani Panegyri sacra matutina et vespertina: Singularem vero addidere cultum, Primores Civitatis, numerosissime cum suo Praeposito et Decano, etiam in Triclinio religioso epulo refecti. Altera Immaculatissimi Conceptus Mariani quod hoc titulo insignita Media Congregatio suis fervoribus et splendoribus illustravit.

Festum S. Xaverii.

Katalitha vero festa copiosissime operarios Nostros in vineas Domini evocarunt.

Annus Dni 1732.

A. R. P. Franciscus Retz Praepositus Generalis.
R. P. Martinus Drewanowski Praepos: Provinc:
R. P. Martinus Trzempczynski Rector Collegii

Aluit hoc Anno Collegium Personas 82.

Anni hujus auspicia, Sanctissimi Nominis apud Nos festivitate semper classica, promulgarunt de Suggestu Sacro R. R. P. P. Carmelitae discalceati: Prior Conventus mane, a prandiis Ordinarius: in praesentia Nobilissimorum hospitum, quorum multi in Triclinio epulo religioso sunt refecti. Ita Ama Januarii solennis; at funestior erat 14ta ejusdem qua illatus tumulo MD Joannes Kowalski, in Suprema Classe Grammatices Studiosus. Solennia funeris Sacri Religiosorum concentus et oratoria Scholarum comploratio fecit singularia.

Festivitas Sstmi Nominis JESU.

Mors Studiosi Syntaxistae.

Jam vero 22da dies et 23tia ejusdem mensis innotuerunt funere gemino Perillustrium Poninsciorum in Novembri supramemoratorum prior dies exequiis Perillis Alexandri posterior Perillis Stanislai dedicata.

Februarij Festo Purificatae Virginis per splendores Congregationis minimae copiosissimos, et fervorem pietatis ejusdem illustratus. Classicus pariter copiosissime cultissimeque exhibitis publicis, etiam biduanis dramatibus, in conspectu multorum et selectorum hospitum. Deinde Triduo Bachanaliorum solenniter justa mores antiquos celebrato.

Martius singulari cultu Sstmi ~~Nominis~~ Cordis JESU insignis, cujus devotio methodo a praecedentibus annis diversa est peracta. Non enim, ut olim, in Sacello, at ad majus altare, cum commoditate et majestate augustiore et Sstmum Sacramentum exposito et tota serie devotionis celebrata.

Festivitas SS. Cordis JESU.

Aprilis ad Festa Paschalia, evocavit Operarios Nostros, et reassumpsit labores circa majestatem Principis Arae ac Navis primae templi. Architectus enim structurae altaris Picto-

res deaurationem Capitellorum et quidquid inter Columnas incrustationis reperitur. Mosaicum vero opus artifex suus aliquanto citius inchoavit. Ita prima navis templi emergere coepit, fortunatas insulas illi favente R.P. Praeside Collegii, qui operam et peculium liberaliter impendebat, templo quoque suum decorem non segniter promovente. Imitata quoque grandes conatus media Sodalium Congregationis, impari quidem cultu, ornata tamen apparere coepit. Fabrica pariter Collegii adjuvante ejusdem R.P. Praesidis liberali manu, operas suas reassumpsit multa perficere coepit habitacula, inter quae eminet Triclinii Cultura auro coruscans numerose; speciem nacta pulcherrimam in cultibus Principum tum Provinciae Benefactorum tum Collegiorum quorundam Fundatorum.

Princeps ara Mosaico opere erecta.

Regem quoque Serenissimum circa haec tempora hospitem habuit Posnania, qui hac transiens Varsaviam, salutatus ab Urbe tormentorum explosione copiosissima, substitit in Praesuleo Palatio prope Cathedralem Ecclesiam, ubi nocte peracta properavit Varsaviam, secuti illum numerosi Principes Saxoniae sed diversis temporibus.

Serenissimus Rex salutatus Posnaniae ab urbe.

Junius funestior fato Ill.mi Adami Poninski Castellani Posnaniensis qui prodromam Ill.mam Consortem, filiosque nuper memoratos, secutus. Illatus Nostro tumulo privatim in festo Divi Joannis Praecursoris, inter tenebras vespertinas, postridie exequiis solennibus promulgatus, solenne funus praestolatur.

Mors Ill.mi Poninski Castellani Posnan.

Quos vero ita funestarunt illatae exuviae Ill.mi hujus Senatoris: hos recreavit conspectu suo Celsissimus Theodorus Potocki, Archiepiscopus Gnesnensis Primas Regni Primusque Princeps Poloniae, et Amicorum Benefactorumque Nostrorum. Hic Ill.mum Mathiam Korzeniowski apud Swarzędz invisens, Nobis etiam concessit praesentiae suae voluptatem. Privatus enim venit in templum primo, cujus structuram et operas recentes admiratus, ad Collegium descendit; in triclinio, humaniter matutino epulo est refectus, cum insolito (ut ipse testabatur) gustu sumpsit apposita sibi exquisite obsonia. Inter manducandum iterata non semel gratiarum actione, et gratitudinis promisso, respondit humanitati R.P. Praesidis Collegii. Aliquot horis moratus abiit ex Collegio Nostro, et ex Urbe, quae tormentorum numerosa explosione planctum potius quam plausum, ob incognitam moram et exiguam promulgavit.

Celsissimus Princeps Primas Regni incognito descendit ad Nos.

Hoc mense in ipsa festivitate SS.mi Corporis Divini inchoatas Studiosorum Nostrorum cum Academicis rixas, intra octavam

ejusdem

sunt sopitae. Provocati nimium Nobis infestis, aliquot Nostri Studiosi, ad pugnam baccillarem, vicerunt Academicos in conspectu suorum Professorum. Foedus pepigerunt, apposita conditione plagarum infligendarum ei, qui prior alterum lacesseret.

Julii prima dies fatalis exstitit Charissimo Mathiae Gatewski, Coadjutori temporali per multos annos, hic Sacristae munus obeunti, nec tantum labori huic immoratus diu, sed etiam immortuus feliciter. Obiit enim, Frater hic, sed, qui toties in honores Divorum sacros ignes accenderat, intra calores aestivos exstinctus. Templi hujus Solennia et arae ab illius cura, variis et singulariter diversis cultibus, ornatae spectabantur, quas numerosis luminibus, et copiosis affectuum fervoribus illustrabat. Quasi contubernalis Divorum non quotannis tantum sed quotidies integras eorum sacro adhaerebat domicilio. Illatus Patrum tumulo quem toties aliis reseravit.

Mors C.mi Mathiae Gatewski.

Nec faustior Nobis contigit ejusdem mensis 5ta dies; quae inopinata morte sustulit M. Demetrium Gorzenski Professorem Supremae Classis, letho oppressum nobis lectus exhibuit. Nec tamen subitum dici meretur illius fatum quod religiosissima vita praecesserat. Quanta aviditate Coeli illius animam ambiebant [illegible] sic indicarunt. Et qui ad Leopoliensem Parnassum destinabatur, tandem Olympum Coelestem invitarunt. Praelusit suae morti funere Discipuli pridie celebrato. Illatus Patrum tumulo non degener hic filius Proto-Parentis nostri Divinissimi, non Nostris tantum humeris succollantibus at religiosorum quoque aliorum. Qui liberalitate R.P. Praesidis Collegii invitati longa serie processere: secuti Scholas sub pullatis signis prodromas numerose. Inter quas suprema Classis mari doloris nigro innatare visa, cum non omnes lugubri vestitu amictos suos exhibebat discipulos. Funus illi singulare fuit. Nam praeter officium Nostrorum alia die Congregatio Minima cui praeerat Patris Congreg: Socius Magister sacro cantato, aliisque lectis numerose in suo Oratorio parentavit ac toto apparatu luctum exhibuit, quem intra sentiebat. Alia iterum die Religiosi vigiliis decantatis in templo Nostro PP. Franciscani de Observantia, ceteris numerose celebratis missis suffragium animae ferentibus. Perillustris Poculatricis Posnaniensis Annae Buta-

Mors M. Demetrii Gorzenski

skowska sumptu liberaliter, piòs nepotis manes prosequente. Ita Spes de se maximas lapide suppressit mortuali. Ac ubi Religiosum hausit Spiritum, olim Posnaniæ Scholarum Studiosus, ibidem piissimam posuit animam; in nativo fundo Cæli hæreditatem adiit factus perenniter inquilinus.

Hoc Anno negotium de limitibus inter Strykowo et Jeziorki in contiguo sacu ambiguis intentatum P̄to promissa per possessorem M.D. Skalawski et Pertem Vexilliferi Posnan: complanatione et amicabili compositione, absq strepitu Iuris dilatum est ad pacificationis tempus.

Festum S.P. Ignatii specialiter celebratum.

Conclusit annum Solennitas Divi Patris Ignatii, quam et hospites supra alia tempora numerosissimi exornarunt conspectu suo, et eruditissimis Contionibus promulgarunt magne P.R.D. Szumarski Canonicus Cathedr: Posn: a prandiis A.R.D. Krat Regens Cancellariæ Spiritualis. Multi ad refectionem invitati cultissimo epulo refecti; inter quos Celsissima Princeps Sapiezyna [illegible] eminebat. Inter hos Eminebat Illmus Josephus Rawtowski Archidiaconus Pszczevensis, Commissarius Bonorum Episcopalium etc. qui etiam ad Aram principem, et illam Splendidissime ornatam, sacrum celebrando magnum addit festivitati majestatem.

Mors Illmi Joannis Turko Epis: Posnaniensis.

Mensem Augustum insperata mors funestavit Illmi Rssimi Joannis Turko Episcopi Posnaniensis, Olim dimissi e Societate, reducem a Visitatione Liminum Apostolorum Româ; Viennæ Austriæ mors occupavit, ibidem sepultum Cadaver. Cor Poloniæ redditum, Ciązoni in bonis Episcoporum Posnaniensium, honorificè depositum est.

Eundem mensem dies ultima, auspicio literarum perbratiônem praxi antiqua conformem, conclusit.

Septembris initia concursu Studiosorum satis tempestivo commendârunt scholas. 3tiâ Ejusdem funus accepit templum Nostrum M. Dnæ D. Wodecka, quæ hic sepeliri enixè postulavit et obtinuit.

Mors P. Joannis Poradowski.

6 Ibris piissimè, munitus omnibus Sacramentis, animam cælis tradidit P. Joannes Poradowski Professus 4 Votorum, Septuagenario major; Ætatem ille florentem literis impendit, quibus liberalissimè excultus, ob ingenii limpidissimi commendationem, retinendi capacitatem, interpretandi subtilitatem, addiscendi facilitatem, tunc adhuc Scholasticus Philosophus, ac Theologus, inter numerosissimos sodales, postea insignium in Provincia Cathedrarum Professores, primas tenuit; Confectis tamen gloriosè studiis, elegit esse abjectus in Domo Dei, et primis destinatus Cathedris, instruendis operis in Collegiorum, ac Templorum constructione Præfectus, et Magister fuit semper ad ædificationem humilitatis. Somni parcissimus fuit, protracta ordinariè in seram noctem Oratione, ultimus e Collegialibus somno concedebat, primus evigilabat, et longè ante alios, meditationis horâ sanctissimè peractâ, ac Matutino Sacerdotum Officio functus, cum primo pulsu excitaturus familiam, ac operas descendebat in aream Collegii. Ille inchoavit elegantem Basilicam Petricoviæ, ac Posnaniæ perfecit; ille hic Collegium

a prima planta ésse inchoatum, ex integro perfecisset, si beneficia fatorum annuissent. Singulare est, quod omitti nefas est. Posnaniæ cum fibulationes tignorum attollebant fabri lignarii invigilabat operi diligentissimus hic Officii Pater, interea in summum pinnaculum cum libratur trabs ingens, seu impares sustinendo oneri crassissimi funes rupti sunt, seu machina elevandis tignis parata impotens portandæ gravitati, luxata, e sublimi decidit, trabem elevatam remisit; in illa multorum lignorum collisione, conclamatum est de omnibus fabris infra opus suum agentibus, ac P. Joanne illos adjuvante. Vidit periculum consternatus Pater, et ope humana destitutus, Divinam per Sanctos inclamavit, devotissimus Sancto Stanislao Kostka elata voce se, ac omnes commendavit, prius quam ruinis obtritus est. Et ecce pronum in auxilia cælum! adstitit Divinissimus Juvenis, illumq Seniculum leni impulsu in partem amovit, unde periculum evitavit; leviter tamen extremæ trabis parte ictus est, sed ita opportunè velut non fortuitò; sed altissimæ mentis arbitriô, per arcanas causas moderantis omnia, ut illo lessi impulsus, illius cujus tamen erant aliquantò impeditæ [illegible] longius adhuc a periculo positus fuerit. Ex fabris lignariis nullus graviter fere læsus. D. Stanislaus nusquam amplius visus, et quidem etiam tunc forte nemini præter P. Joannem. Agnovit ille Sanctum ex facie, quam ordinariè conformiter Romanis præferunt imagines. Tacuit multo tempore insolitæ apparitionis beneficium, usq casu aliquo postea innuit rem, majoriq imperio adactus, recitavit historiam, quam confirmavit jam propè moriens, ut in superstitibus excitaret affectum ad S. Stanislaum.

Ille liberatus ad apparendo gravissimo ope sui Sancti S. Stanislai Kostka

Aliquot post annis strenuam addidit operam perficiendæ fabricæ, cui postquam longum immoratus est, tandem et immortuus, illatus Sepulchro Patrum 9 Ibris.

Funus Illmæ Castellanæ Posnaniensis.

8ber nefastus etiam fuit morte Illmæ Teresiæ de Potocciis Koźmińska Castellanæ Posnaniensis Neptis ex Fratre Celsissimi Primatis Regni Theodori Potocki, hæc enixa prolem mortem accepit, cui vitam dedisset, deposita in Sepulchro templi nostri prævîis privatîs exequiîs, Solennius Consors deinde Illmus parentavit eidem in eodem templo 13 Aprilis anni Sequentis ubi tam splendido apparatu, quam hospitum Illmorum numerô honorificentissimè justa acta sunt, piis manibus autem maximum suffragium fuit allatum multitudine sacrificiorum missæ.

Mors R. P. Martini Trampczynski Rectoris Collegii.

Novembris feriam, collegio maximè sensibiles, inferias fecerunt R. P. Martino Trampczynski Professo 4 Votorum. Vir ille non tantum Collegio, cui ab anno et dimidio cum visceratæ charitate præerat Rector, Benefactor, Pater, et omnia; non solum Provinciæ Polonæ, quam rexit aliquot annis, cum insigni prudentia et summa Gubernii sui commendatione; non Majori Poloniæ tantum, cujus magnam illamq Nobilissimam et Illustrissimam partem in consanguinitatis nexus traxit; sed et Universæ Societati, cui cognitus in Triennali Congregatione Romæ Procurator anno 1717 item in Congregatione Generali XVI Elector a Provincia Polona Primus, et Vice-Secretarius Congregationis Generalis a tractandarum rerum petitâ, instituti Nostri

exacta notitia, eloquentiâ laude, suavitate morum notissimus, fatum suum dolendum
fecit. Emicuit in illo Patre excellens eruditio in Rhetoricis, Philosophicis, Theologi-
cis scientiis, unde primas Cathedras in provincia laudabilissime occupavit. ...
stania Rhetor, Leopoli pro externis, pro Nostris Lublini, Philosophus, Sandomiriae, Le-
poli, ac demum Cracoviae ex Cathedra Theologus audiit, tam ad mentem omnium Audito-
rum, quam ad Commendationem Sapientissimorum, Professor insignis. Sed arte arti-
um regendi homines singularis excelluit. In gubernio Collegiorum ac Provinciae omnium
inde pronas voluntates, opiniones, animos, et affectus tenuit. quos suavissimo imperio
omni charitate, Paterna benevolentia, tranquillitate regnandi, patente semper amori sub-
ditorum Corde, liberalitate amplissima, quantum per leges paupertatis licebat, sibi
conciliavit; Modesta ille sed forti correptione emendabat errores, non nimis sol-
licita, sed piè et religiosè industria animadversione providebat rei Oeconomicae, non nimis
et asperè rigidus exactor, sed vigilantissimus Custos religiositatis exstitit absolutissimorum
Norma regnantium. Leopoli primum scientiis, animis, et affectibus, ac famâ inquili-
nâ avitorum Urbis montium Rector praefuit, ibidem reliquit Augustum eruditionis monu-
mentum, bibliothecam, et calatam in fronte voluminum suam panegyrim; in Tusculum urbi ac Col-
legio proximum Chinam induxit, ut religiosa otia jucundius distraherent, scita rerum
imagine; In Lyceum, etiam hac in Russiae Metropoli, primum jecit lapidem, ac e fun-
damentis erexit Regiam Sapientiae, cujus omnes eloquentissimi de pariete lapides suum
testantur Conditorem. Mutavit deinde fasces, in Campo Dolorum Sollatoram
Rector constitutus Jaroslaviae, non steriles, Charitatis in subditos Paternae, suscepit arenas. breve
quidem hic Regiminis momentum, dignum tamen ut secula in laudibus moretur. Jam
summus in Provincia honor, per populos, Urbes, ora omnium vexit gloriosum ubiq Pa-
trem, Visitavit Collegia acceptus ubiq tanquam Angelus DEI; Protracto ultra trien-
nium gubernio Provinciali, Jaroslaviae gratiosus Rector ad S. Joannem consedit,
Hic testâ Hollandicâ tectum templi, et Collegii munivit, frontispicium scholarum innovavit,
accessum, praeliminaremq ambitum, elegantibus de solido muro columnis, cratibus, ...
... adornavit, bibliothecam insuper Nobilissimis Authoribus auxit, et picturis et reposito-
riis affabre factis nobilitavit, ope aurea domestici laboris. Reducem Roma Sospa-
nia invitavit Benefactorem suum, cui amplissimorum bonorum haeres quondam inscripsit par-
tem Patrimonii, quanta fundando sufficeret Collegio, ni successores per Regni Tribunalis de-
creta diminutam fecissent. Hic ubi de suo domicilia pro nostris erecta perficit, Ma-
gna Anima domicilium reliquit suum. Major Polonia eundem terris, eadem et coelis de-
dit, ita gemma e matris sinu conchae abeunt ad coronam. Numeravit annos aetatis suae
61 Religiosae vitae 47 et quamvis ad expectationem, vota, desideria, omnium paucilla hac
aetas fuit, tamen ad facta, famam, Opinionem, merita, satis vixisse longa videbatur. Tum
Celebratum magno Urbis totius, Religiosorum omnium, Cleri etiam Cathedralis concursu, ... Illmo
et Revdissimo Josepho de Wierzbno Pawłowski Archidiacono Pszczevensi Administratore
Sede Vacante Episcopatus Posnaniensis funebrem audiit pompam. Praeivere Scholae, pul-
satis

latis signis, ac tristi tubarum concentu suum significarunt luctum. Has secuti Religiosi
variorum ordinum, et resplenduit illorum piissimum erga Defunctum obsequium ad faces, quas singu-
li praeferebant, oblatas a Nostro templo. Nostri tandem in ordinem descenderant, Civitatensis
Magistratus immediatè ante Clerum Secularem processit. qui numerosissimus confluxit, Ipse
Illmus Administrator funebri apparatu indutus, praecedebat Sarcophagum, cui Primores Religio-
sorum Ordinum ac Cleri subjecerunt lacertos. Hac pompa postquam in templum confluxit
Officium Defunctorum nostro more dictum, recitantibus nobiscum multis ex Clero Cathedrali etiam
cum Illmo, qui requiem cantavit, Conductum fecit, et funus ad ipsos subterraneos recessus
deduxit Amantissimus Avunculi ex Sorore Nepos. Geminos ergo Patres sepulchrum
sociavit, quos vitae ratio non discrevit, scilicet Venerabili Patri Gaspari Drużbicki urna
Venerabilem Patrem Martinum Trympczynski adjunxit, par quippe erat ut quemadmo-
dum ex una quasi urna gemini dignitate, probitate, spiritu non dissimiles prodie-
rant, vicinâ etiam urnâ clauderentur. Habet igitur requiem sub hac basilica sede
quam ad ampliorem comparavit majestatem, postquam de lateritia fecerit mar-
moream, dote sibi oblato ex eleemosynis privatis. 3tio à funere die sponte nemi-
ne invitante litârunt iisdem piis Manibus RRPP Carmelitae Calceati Officio Defun-
ctorum, Requiem cantato, et Conductu excellenti Cantu adornato.

Cum Collegium supremis vacat Officiis, et tristè funus abluit lacrymis in doloris communionem
venit RP Martinus Dzierzanowski Praepositus Provincialis, cum pleno maeroris sensu indoluit
acephalo Collegio, et solatus est perabundè, altero die Officio Scholarum applausu Salutu-
tus. Prima deinde curam habuit constituendi Vice-Rectoris. Muneri huic impositum est No-
minis diadema, et cum in RP Martino caput ablatum est, in Successionem adeunte ... et Caput et Corona
restituta est Collegio, RP Stephano Swinarski Professore tertiae Lectionis, qui tamen imme-
diatè Professor Theologiae Speculativae est constitutus, cum P. Joannes Radominski Antecessor
ejus in eodem Officio ad aulam Serenissimi Stanislai Regis Poloniarum in Galliam est
expeditus post fata Sanctissima P. Joannis Witkowski Rectoris quondam hujus Col-
legii post Theologi Aulici Ejusdem Serenissimi Regis supra nominati.

Mors P. Joannis Witkowski in Gallis.

Ad Festa Christi Natalitia per Parochias dispersi Nostri, Operarios strenuos se
reddiderant in vinea Christi. Et cum pars magna Collegii commigrasset
ad Missiones, unus ad dimissionem est dispositus Ladislaus Swatopełk

Dimissus Ladislaus Swatopełk.

Theologus Anni 2di, hanc ille sollicitè extorsit à Superioribus non admo-
dum repugnantibus ejusmodi hominis desideriis.

Annus Dñi 1733.

A. R. P. Franciscus Retz Praepositus Generalis
R. P. Martinus Gierwanowski Praepositus Provinc.
R. P. Nicolaus Naramowski Rector Collegii à 13.

Aluit Collegium Personas 84. Ex his Sacerdotes 20 Scholasticos Theologos 46. Magistros 4. Coadjutores 14.

Auspicia novi Anni omnes personas ad Collegium convocârunt. Solennitatem ex more primordie in templo nostro adornavit confluxus Urbis, et Viciniorum Nobilitatis.

Mors Augusti II Regis Poloniae.

Februarius dispersit luctum per Regnum, Augustus enim Secundus Rex Poloniarum ac Hereditarius Elector Saxoniae dolendo Poloniae, sed sibi pijssimo, inter summas doloris, pietatis significationes, rite dispositis decessit fato, tempore extraordinariorum Regni Comitiorum Varsaviae. Administrandi Regni Provinciam ex lege suscepit Primas Theodorus Potocki Archiepiscopus Gnesnensis, Verè Donum DEI Princeps, à Caelis concessus afflictis Interregni Rebus, quae certo metui poterant, nisi Poloniae hunc Vice-Rex contigisset summae inter Optimates Authoritatis, insignis in rebus agendis dexteritatis, Providentissimi vir Consilii, probatissimae in componendis Procerum simultatibus efficaciae, fortis in persuadendo industriae, impavidi inter principia externorum minas animi, indefessi in curando bono publico Zeli.

Divulgatis Regiis fatis R. P. Vice-Rector metuens, ne aliquod periculum creet Collegio, vel bonis Ejus, vel famae depositum Palatinatuum Juris Poloniae, tempore alicujus hostilitatis, quae impendere undiq asserebatur, instabat apud non-nullos

Prohibitio exportationis depositi Palatinatuum ex Archivo Collegii

Palatinatuum Primores, ut exportaretur summa hoc e Collegio, jamq certò liberassemur illo malo, nisi tempestivè literae Celsissimi Primatis Regni interminatoriae extraditionem ejusmodi hominum detinuissent, quibus ille authoritativè praecepit Nomine publico, ut non alter extraderetur depositum ex Archivo Collegii, nisi ex consensu unanimi Utriusq Palatinatus, explorato in aliquo congressu publico. Ejusdem sensus erant, postquam omnes ferè convenerant Posnaniam, Primores Palatinatuum Juris Poloniae, deliberaturi de securitate Urbis, et sui depositi; quare R. P. Vice-Rector invitus, non tal illius conservandi Curam suscepit, quam permisit eidem locum; tunc ut molestiam in asservando deposito solarentur Commissarii, obtulerant Collegio eleemosynam 200 aureorum.

Urbi autem provisa est securitas; invitatus enim P. M. D. Sokolnicki Vexillifer Schowensis, Praefectus copiis consistentibus in Majori Polonia, intra unum et alterum diem Posnaniae constituit Praesidium, de equitibus Polonis, et in circuitu Urbis aliquot locavit cohortes loricatas, ipse Commendantis munus accepit; intra breve tempus accesserant ei 120 pedites, ac demum 600 ex Infanteria Regni, intra unam et alteram Septimanam in urbe comparuerunt; cum Generali Majore Tteyming, cui Urbis custodia demandata, jam equitatus in limites Regni dimissus

Triduum bachanaliorum devotione ordinaria celebratum cum confluxu Cleri Cathedralis Nobilitatis ac Urbis. Quadragesimae feriâ 6tâ Cordis Jesu cultu insignes erant, et laboriosae Patribus ob frequentiam poenitentiae plerumq ad Secundam a Meridie detinentiae Confessores in Cathedris.

Festa Paschalia Missionarios e Collegio Nostro dimiserunt invitatos ad Parochias 48 ubi indefessi operarii et adjutores Pastorum postquam impigrè operam navârant excipiendis confessionibus, instruendis doctrinâ Christianâ rudibus, cum ubere Spirituali fructu pro Dominica prima a Paschate domum omnes convenêre.

Siquidem circa hoc tempus negotium bonorum Sulibor actum est, hic historia actorum recitatur: Summa 15000 florenorum Polonicalium quae tamen accrevit ex retentis annuis provisionibus ut patet ex informationibus hic in historia Collegii annotatis maxime anni 1701 inscripta fuit ab Illmo Sulibowski Suffraganeo Ploensi in bonis Sulibor tandem aliquando vindicatam fructificare coepit, postquam nostri juris esse coeperunt esse bona, quibus summa inhaesit. Sed iterum, sopitas aliquantum res excitavit, M. D. Krosnowski, Collegium citavit ad Regni Tribunal, causa succubuit est, nobis cessio bonorum decreto Regni Tribunalis intimata, praevia condescensione.

Inequitatio bonorum Sulibor à P. D. Krosnowski

Invitatus Calissio M. Drzgonski Theologus Anni Ini versatissimusq in jure Regni assumpto sibi Patre Winter e Collegio Torunensi descendit in fundum ante diem determinatum condescensioni, sed jam bona occupata invenit; illa enim inequitavit violentè P. D. Krosnowski, non expectata juridica traditione illorum, non obstante lege, quae suspendit jura tribunalitia tempore Interregni; infectis ergo rebus Nostri facta protestatione recesserant.

Deliberatum deinde in Collegio, num citandus est praefatus P. D. Krosnowski ad judicia Capturalia istius Districtus, in quo sita sunt bona, de violentia et concussione juris alieni. Sed visum est non expedire judicio PP. Consultorum Collegii, et M. Drzgonski; 1. ex eo: quia certò certius perversorem Judicum adhaerentium parti querulosissimi Nobilis confirmaret decretum Tribunalis Regni, ac Possessori bona adjudicaret, de summaq exitari permitteret post reassumptionem Tribunalis Regni. 2. Casu quo, vix sperabili, si traderentur bona nobis reinducendis, summa difficultas esset in defensione illorum à gravaminibus, oneribus, impendentibus tempore interregni, ordinarie et Nostri incursionibus perturbationibus variis cum interim quid quid expenderet in absolutionem onerum et contributionum non restitueret nobis postea, et villa tradi deberet tamen successoribus. quare conclusum est ut negotium intermittatur hic et nunc et reservetur Tribunali Regni reassumendo post Electionem Regis.

13 Aprilis salutavit Collegium Novum Praesidem R. P. Nicolaum Naramowski virum ab Deo aureo aestimatissimum toti Provinciae, et gubernio plurium primorumq in Polonia Collegiorum, nunquam satis laudabili, hic unicus votis omnium expetitus et a DEO enixè postulatus annuente Romano Rector Posnaniae denunciatus, successori-

R. P. Nicolaus Naramowski Rector Collegii factus accipit

dissimis in Aprili fascibus per Collegio significarant Scholæ Nostræ applausu quo gratulati sunt Nova Regiminis auspicia.

Combinatio cum PP. Carmelitis Calceatis

Majus et Junius examinibus Theologorum et Patrum 4 Anni Disputationibus publicis occupatissimi erant, ad quas satis numerosè comparuerant Patres Carmelitæ Calceati qui ab aliquot annis studiosè subtraxerant sese his actibus, ob non permissum sibi Primatum perpetuum in oppugnando ante alios Religiosos; pro Nostris stetrant Ordines tres S. Francisci quibus in barbam erat hæc Carmeli postulatio, quare tum apud Patres Ordinis S. Francisci quam apud nos nunquam comparuerant in actibus scholasticis, ac vicissim ipsi in suis Patres discordantes passi solitudinem jorem longè quam Nosi vel S. Francisci Patres, quibus semper Nostri numerosiusq solito assistebant. Sed pertæsi tandem solitudinis suæ recesserant a suis iniquis postulatis, quoacunq loco se passi invitari; et compensaturi omissum longo tempore eruditis obsequium, numerosius adventabant, insuper tres dies postularunt quorum singulis alii Theologias theses strenuè oppugnarunt; Ut vero magis reuniri adhuc viderentur nobis, ad Sacram Cathedram Concionatores pro festo B. V. Mariæ a Monte Carmelo, et R. P. Rectorem pro sacro majore celebrando invitarunt, et obtinuerant, ac vicissim invitati sunt Patres iidem pro panegyri dicenda Sancto Petri Ignatio, Loci Præses pro sacro fieri Cantando, morem gessere desideriis, mensa religiosâ excepti, ac honorificè habiti.

Posnania accepit Episcopum Suspd. Stanislaum Hosium.

XX Julii Posnania accepit Episcopum Illmum Stanislaum Hosium nuper Episcopum Camenecensem, privatim ille in sedem suam venit, ingressus solennis in aliud aptius tempus differens. Accepit Hospitem adhuc Ciszeni R. P. Rector, sed etiam hic officia humanitatis deposuit, cum summa affectûs benevolentiæ expressione acceptus Scholæ Nostræ applausum pararunt, tanto Auditore dignum, sed cum expectant nutum liberi aditûs interim Hospitem negotia Regni publica avocarant Posnaniâ Augustes antequam cum universa Nobilitate ad Electionem Regis inchoandam 25 Augusti, evocasset, Illmus Palatinus Calissiensem Raczynski, visitavit R. P. Rector, postulans, ut provideat securitati depositi Palatinatuum in casu hostilitatis, reposuit: si periculum aliquod immineret huic Provinciæ, non defutura media Palatinatibus, quibus bono suo, et securitati Collegii provisuri sunt.

September, ordinaria Præfatione Rhetorica, ultimâ die Augusti indicente tempus studiis, Scholas aperuit minùs quidem frequentes ab inito Nobiliore Auditore, cum potissimam partem cum suis Parentibus Electio Regis vocavit Varsaviam, cæterum ad finem 7bris confluxit Studiosorum numerus sor justo.

Electus Rex Poloniarum Stanislaus I.

Mensis hic felicior Regno creditus ob Electionem Regis Stanislai I. de Domo Leszczynii Creati 12 7bris, minùs prosperos auspicatus est successus ex parte aliquota a consentientibus Regni Ordinibus dissidente recedenteq Pragæ opposita oppidum Varsaviæ trans Vistulam. Ubi nova Comitia inchoavit pars consiIderata repulsa strenuè a Campo Electorali, cum præsidio Militiæ Moschoviticæ, ibidemq Constituit alium Regem Augustum III Electorem Saxoniæ 28 7bris.

Item Augustus III Elector Saxoniæ.

Majorem Poloniam metu ingenti concutiebat vicinia Cosmiani exercitus juncti Saxonicis Copiis tum potissimum, cum omnis Nobilitas ad electionem Regis sui migraverit, ac vix aliquot vexilla Patriæ et exoticæ militiæ limitibus præsidio erant. Brevi tamen hic justus metus aliquantum deferbuit cum Princeps de Wittemberg cum imperatoriis copiis movisset in Bohemiam, nondum tamen plenè evanuit imò ab auctis copiis Saxonicis hinc, inde à Moschis jam Varsaviam tenentibus recruduit. Collegium potissimum timuit, apud se deposito Palatinatuum Majoris Poloniæ thesauro, ne in prædam cederet cuipiam, proinde consiliô communicatô cum Perillustri Dno Petro Sokolnicki Vexillifero Vschovensi supremo commendante copiarum in Majore Polonia dispositarum, provisus est modus alio transferendi depositi, quod et successit.

Mors P. Stephani Poninski.

27 7bris P. Stephanus Poninski major Polonus professus 4 votorum ætatis 76 Religionis 61 annis, et meritis grandævus senecio capulo concessit. Ille (ut in commentariolo à morte ejus reperto annotavit) præsago animo visa imagine S. Kostka, puer admodum dixit se talem futurum religiosum, qualis eam in tabula præsentavit, et certè non ab illo prototypo innocentissima illius vita deflexit. Vocationem ad Societatem concepisse se affirmavit adhuc septennem ex visa modestia compositissimi cujusdam Juvenis nostræ Societatis hospitis in domo Patris sui, tuncq votum fecisse ingrediendi Societatem, quali obligandum se putavit, illudq singulis diebus à se renovatum; perfecti aliquando viri hæc notoria indicia erant. Voti tandem anno 1673 compos quantus sit virtutum ex adolescentia significavit, ex illo vitæ religiosæ oriente plena lux perfectionis apparuit, Probationis annô 2dô geminô votô Deo se adstrinxit ex Superioris sui annutu, scilicet manendi in Societate, nullamq dimissionis dandi occasionem, 2dum deposcendi à Superioribus missionem in regiones alienas à Deo, ubi posset oppetere vitam pro fide, Primum plenè servavit exacta sanctissimè vita in Societate, 2dum patet ex inventis responsoriis ab A. R. P. N. Paulo Oliva et Thyrso Gonzalez. Scholasticum ac Magistrum constat vixisse normam ideam exemplar omnium tam provectiorum ætate quàm Juniorum; cultui Matris DEI singularius deditus proposita respectivè ad venerationem ejus spectantia congessit ac servare visus est 343 pro singulis anni diebus compilavit sibi calendarium festorum privatorum Beatissimæ, quæ speciali devotione coluit; Orationi quantum quantum temporis à negotiis officiorum suorum, vacavit, omne impendit, vespere unam et plerumq alteram horam in cœlestium contemplatione egit. Cultui SSmi Sacramenti plurimum addictus, multoties de die, præsertim à prandiis genibus flexis in templo ante venerabile mediam et ampliùs horam in oratione perseveravit: Zeli, cultus Dei aliarumq virtutum quàm studiosus fuerit, liquet ex votis ejus, quibus præter 4 ordinaria ex lege Professorum se adstrinxit. His scilicet 1. nunquam refrigescendi in cultu Beatissimæ. 2. Voto eximiæ perfectionis. 3. Nunquam Deum deliberato peccato ~~[illegible]~~ offendendi. 4. Libellum de Beatissima conscribendi, et si videbitur Superioribus imprimendi. 5. Postulandi à Superioribus obsequii peste infectis. 6. Propagandi gloriam DEI et Beatissimæ. 7. Defendendi honorem DEI et Beatissimæ etiam sanguine. 8. Voto modestiæ, mortificationis externæ, humilitatis in affectis, silentii, orationis, ad mortem retinendæ. 9. In qualibet concione post propositionem, elogii addito invocandi Beatissimam, nullamq concionem aut catechismum sine illa prætermittendi (Plura præter hæc sufficienter legi non poterant quæ adhuc supererant 5) nec hæc ex manuscriptis ejus [illegible] cognita, vita ejus integra omnis, typus, perfectionis, sufficienter hæc legenda ex ipso proposuit. Illum fama communis per Provinciam vulgaverat confirmatum in gratia, cujus doni in catalogo beneficiorum à Deo sibi collatorum, mentionem fecit, sed iterum sepia diluta obliteravit. Hinc incertum donum, arbitrio opinionum relinquitur. Jam longissimi laboris patientia, indefessi in vinea Christi operarii recensetur: 30 et ampliùs annis primas in regno concionator occupavit cathedras, ingenti virtutis et zeli commendatione, magnæ eloquentiæ juxta ac sapientiæ vi, populari ubiq plausu exceptus; insuper ad ultimum usq senium ipsamq mortem perpetuò concionator aut congregationis Bonæ Mortis aut Nostri Templi aut exhortator domesticus esse exoptavit et fuit, etiamq à primoribus Collegiorum exauctoratus regimine, quæ summa laude, amplissimâ charitate, suavissimo imperio gubernavit. Tandem dispositis in viam æternitatis octo animabus de illustri prosapia sua, ferè immediatè sibi succedentibus, ipse ultimus decubuit, ac unctus in agonem athleta religiosus, aliisq ritè munitus Sacramentis, inter continua Dei videndi de-

sideria, non longum luctantem cum morte animam cœlis immisit, proxime addictum corpus, die La: tribus.

Mors P. Joannis Symonski.

Non minus luctuosus fuit mensis sequens Collegio ex fato P. Joannis Symonski majoris Poloni professi 4. votorum, qui partem vitæ plenissimæ octogenario major in Religione 62 annos implevit quos innocentissima vitâ, patientia longa in adversis, laboribus continuis pro Dei gloria susceptis, ac continuo virtutum solidarum incremento sibi in meritum, Dei in gloriam auxit. Vix ætati, studiis addidit, florentissimum ingenium multis æqualium palmam præripuit; Professor in Cathedra Philosophiæ, deinde Theologus, ad commendationem purissimæ et defæcatissimæ eruditionis audiit; illa sui persuasione ut velut ignavissimum ingenium contemni voluerit cum tamen ex æquo magna omnium coleretur æstimatione; hæc profunda sui demissio persuasit illi ut nullo volumine impresso suum commendasset posteritati ingenium, sufficienter tamen gloriosum ex impressis suæ eruditionis speciebus, in multis è nostra Societate ejus Discipulis. Rexit deinde Seminaria duo in Provincia Theologica, magno spiritus et eruditionis incremento, singulari laude sui gubernii, charitatis, solicitudinis, paternæ affabilitatis. Præposito Provinciali Socius additus, per populos, urbes, ora omnium ivit gloriosus. Deposito magistratu privatus ex indulgentia Superiorum annuentium ejus votis, vixit idea Sanctitatis, absolutissimum perfectionis exemplar, præfectus spiritus, innumerorum externorum, nostrorum omnium conscientias rexit magno animarum fructu, præsertim scrupulosiorum solatio, felicissimus in enodandis implicatissimis conscientiis, in conciliandis Collegio affectibus hominum felix, testante munificentia magnæ Benefactrici cuidam præbuit occasionem, illique tenerrimam Societatis æstimationem impressit, à qua ille in privatum usum nihil sibi offerri est passus. Cubiculi sui ornatus paupertatem amavit, omnis ejus supellex breviarium cum uno et altero communi libro, pagina una et altera scribendo apta, patientia longa ab invalescentibus morbis, probe exercitus tolerantiæ præmia in cœlis sibi comparavit, sæpius à desperata sua valetudine iterum vires resumpsit, in majus incrementum patientiæ; paralysi demum afflatus, usum sensuum præter linguæ officium, retinuit, quo tamen etiam perpetuo ante silentii religiosi observantissimus extitit, postquam deficere se sensit, muniri Sacramentis postulavit ipse, ac tandem diuturnis tormentis liberatus, cœlestia meruit 15 8bris 1733. Delatum funus ad Patrum sepulchrum, multo confluxu populi, Sanctissimum Patrem vixisse continuò clamitantis.

Ab electione duorum Regum, advocantibus undequaque in regni ruinam mala Primoribus, nos sensimus calamitatis initia, ultimâ bonorum nostrorum jacturâ, cum magni exercitus Saxonici ductu per prædia nostra tractu illa continuis stationibus afflixerint;

Calumniis injuriosissimis famæ Societatis.

Sed his potiora nobis erant famæ damna ubi à malevolis Societati et Collegio infensissimis passim appetebamur calumniis, quà publicis quà privatis, ad partes digladiantes deferebamur, coram Superioribus ab injuriosissimis bonæ existimationis osoribus etiam Romæ traducebamur, quasi nos concionibus foveremus turbas, nostrique præcones verbi Dei fuerint feciales belli, quasi in sacro tribunali absolutionem iis negaremus, qui steterint pro parte illa, cui nos adversari falsò suspicabantur, quasi nos armorum varia genera domi contineremus, ac cubicula religiosa forent armamentaria bellica; quasi armati sclopis militaribus equiter urbem concursaremus; Unde statim occupata urbe revisio Collegii postulata, vigiliæ ad portam quæ ducit in aream Collegii positæ, multaque alia injuriosissime in nos jactata, innocentiam nostram integerrimam multum afflixerant; sed per Dei gratiam evanuit tandem calumniatorum insolentia, meliusque persuasa de nobis ipsa hæresis fidem negavit pessimis delatoribus. Interim tamen porta areæ Collegii plenissimæ jurisdictioni nostræ erepta ita, ut non pateat hactenus ulli aditus etiam è nostris illac nisi impetito consensu ab officiali invigilante portæ urbis.

Obsequia nostra charitatis.

Hac tempestate patuit amplissimus campus nostris obsequii charitatis, nec deerant nostri occasionibus, quibus tam spiritualibus ministeriis, quàm temporalibus necessariis succurrebant hominum afflictissimis. Præcipuè autem cum nobilis eques

externus loricatus cum gregario alio equite decumbentes ex vulneribus Swoveci capti à Saxonibus conducti fuissent Posnaniam, charitas nostrorum non mediocris illos liberaliter fovit, primò conscientiis eorum expiatis refecti pane angelorum, deinde valetudinis cura habita ac sustentandæ vitæ media provisa, tandem cum unus nullatenus ex invalescente malo restitui valetudini posset, monitus de periculo, animam suam disponendam uni è nostris commisit, vitæ omnibus munitus Sacramentis, piissimè vixit. Curatum solicitudine unius è nostris funus honestissimè, ex carcere cadaver exportatum, sepulturæ traditum, cum suffragio animæ, quod multa tulerant sacrificia. Alteri plusquam medio annô omnia victui et amictui necessaria provisa, etiamque pro curata valetudine medico satisfactum est. Carcere demum patria ore, partim precibus vindicatus, eleemosynâ accepta dimissus, sui juris esse cœpit.

Annus Domini 1734.

A. R. P. Franciscus Retz Præpositus Generalis.
R. P. Martinus Dziewanowski Præpositus Provincialis.
R. P. Nicolaus Naramowski Rector Collegii.

Aluit Collegium Personas 76. Ex his Sacerdotes 18. Scholasticos Theologos 41. Magistros 4. Coadjutores 13.

Hoc annô adultior calamitas in regno nobis sensibilior erat, obtrectantibus continuò malevolis ac famam nostram lacessentibus. Contigit etiam ut audaculus lixa impacta lateri fistula majore, patientiam consignaret unius è nostris patris innocentissimi nullam præbentis occasionem confusioni huic, et dolori; creditumque odium hominis religiosi in hanc ignominiam impulisse hominem hæreticum.

Prædiorum ruina.

Bona autem nostra majori patuere injuriæ, in prædium enim vicinum, missi centum legionarii Saxones, quidquid à messe una et altera horrea continuerant frugum, aliquot dierum continua exturserant triturâ ac in urbem asportârunt. Ex aliis pagis legumina et pabulum pro equis coactum, quidquid autem fœni alicubi latuit direptum. Insuper templum villarum in quo velut pauperum asylo aliquid ultimæ necessitati coloni nostri reservârunt frugum, excussum ac expoliatum injuriosissimè. Tantis malis afflicti injurias beneficiis pensabamus ubi multi Saxonum reliqua infestis contagione, ideoque pluribus continuò expirantibus, multis decumbentibus, præsto nostrorum opera spiritualis adfuit quin et temporalia nonnullis verecundè suam paupertatem ac famem confitentibus provisa, multi ex illis conversi hæresim ejurârunt, catholici vitê in viam æternitatis expediti; nonnulli saltem affectus ad fidem instillatus.

Numerus Scholasticorum externorum exiguus.

Hoc anno paucos auditores in scholis aliàs ante numerosissimis, habuerant prælectores nostri; multi enim nobilium alieni à factione Saxonica non sunt passi ut una in urbe convixerent suis hostibus eorum filii; potissimum metus continuus obsidendæ urbis luesque aliqua per urbem serpens, jamque oppidanos inficiens persuasit multis interim relinquendas scholas. Unde et titularia festa mediæ ac minimæ Congregationum, non ea solennitate qua par est celebrata sunt à suis sodalibus. Omissæ enim publicæ processiones ac panegyres Virginis pretiosissimæ, illumque dispersi per villas sodales, affectu peroravant devotas laudes Sanctissimæ Matri. Hic tamen justus adhuc numerus prælectionibus ordinariis anno integro adest præsertim ex civitatensibus et plebeiis, quos tamen licet satis paucos, non inculpabilis error Saxonum diminuit, cum emmpentes ex urbe ut aliquot Polonos circumcursantes Posnaniam opprimerent, in reduces ex campo studiosos aliquot

Casus unius Studiosi a Saxonibus.

Studiosi involarunt, omnesque gladiorum explosi aufugerunt, sed irriti unum prostraverunt Rhetoricæ vati (ut ajunt illi) unum de militibus, qui tamen inermis clamitans se esse Studiosum facile dignosci potuit, qui fuerit. Sed protervior illorum patuit crudelitas brevi, cum inermes nostri templi musicos pariter vati (ut ipsi asserunt) milites adversæ factionis

Item S. Musici

adorti in suburbio, glandibus, gladiis, quinque confecerunt, ignominiosè spoliarunt, et instar triumphantium cum plausu in urbem redierant. Hæc vel odio fidei vel ex aversione à gente Polona nonnullorum egit temeritas, quæ certè truces vix auderent barbari.

Recursus Urbis ad Patrocinium S. Stanislai Kostka.

Sæviente per Urbem passim contagione Deo per intercessionem S. Stanislai Kostka supplex civitas Posnaniensis, cum Magistratu confluxit in Templum nostrum nuper, votivam solennem de Sancto ad ejus altare celebrari curavit, operante ad aram uno ex Nostris, seque patrocinio Sancti commendavit. Nec preces cesserant irrito, malum in immensum jam auctum, aliquandum detumuit, jamque natum funus templa ac Sepulchra accipiebant.

Principio anni hujus ad captandam benevolentiam majorum Officialium militiæ Saxonicæ invitati sunt in nostrum triclinium, ac liberalissimè excepti; videbantur esse grati nostri officii, ac favere in nostra desideria identidem.

Primitiæ Secundæ R.P. Stephani Szczaniecki S.J.

Festum S. Ignatii solennius in Templo nostro actum præ reliquis annis, celebritatem fecerant diei primitiæ seculares à completo jam quinquagesimo Sacerdotii anno Patris Stephani Szczaniecki ex-Rectoris multorum ac hujus Collegii beneficentissimi, olim Præpositi Provinciæ Polonicæ, Templi hujus munificentissimi Benefactoris, cujus gratiæ à fronte patent Templi et eminent in turribus. Perorabat ex Cathedra Perillustris Admodum Reverendus Dominus Leo Morawski Canonicus Cathedralis Posnaniensis, à meridie Admodum Reverendus Dominus [illegible] Notarius Apostolicus et Consistorii Posnaniensis, dignissimi Encomiastæ tam Sancti Patris, quàm Secularem Deo hostiam offerentis. Hospites quàm plurimi tam de Cathedrali Senatu, quàm Regni excepti prandio religioso unà cum primoribus Ordinum Religiosorum hic degentium.

Typographia clausa.

Provido Consilio et imperio R.P. Rectoris clausa est hoc anno officina typographica, omnes compositores literarum dimissi ex eo, ne fortè cogerentur imprimere typis Scripta plerumque compilata cum injuria famæ aliorum, unde passim in ipsas officinas conflatur invidia; maluitque Collegium renunciare alicui fructui sperando, quàm aliquid certi mali sibi afficare.

Lateritia Officina occupata et Lapidea censualis.

Sed hoc damno majus passum est Collegium, cum omnes officinæ lateritiæ in stabula cesserant equorum, quare lateritii fabri vacare coacti sunt; præterea sepimenta earundem officinarum diepta, censuales lapideæ occupatæ in Nosocomia et granaria Saxonica mutatæ sunt; cum sumptus non mediocres in ambitus, muri civitatensis cingentis Collegii arcam asseribus insternendos provideri debebant. Sed major molestia Collegio fuit cum eo duo majores Officiales importunissimè suscipi postularunt, duoque cubicula pro se ejecerunt insuper pro equis stabula nostris jumentis inde ejectis, illis plerumque ferè ante mediam noctem vix redeuntibus semper janua Collegii patere debuit. Scholæ insuper jam ægris

Scholæ vix defensæ.

addicebantur aliqua hic infectis Saxonibus, tanta pertinacia ut vix multis intercessoribus pro nostra parte et immunitate Scholarum stantibus, multis largitionibus evicerint nostri, ne Scholæ nostræ in Nosocomium abirent. Has molestias cum Collegium [illegible] patitur, prædia nostra legiones Saxonicæ in transitu suo divexabant, cum præter legumina, equorum pabula, currus, ad onera militaria devehenda subministrari debuerint, et pro hoc obsequio, hanc mercedem tulerunt coloni nostri, quod dorsum eorum multa verbera, vibices, sustinuerit. Unde aliqui etiam jumentis relictis fugam arripuerunt, ac inde aliquot equi derelicti amissi sunt.

His temporibus disponens se ad sacros ordines suscipiendos Perillustris Reverendus Dominus Liezki præsens custos Cathedralis Posnaniensis integro Triduo vacavit exercitiis Spiritualibus S.P. Ignatii, ac deinde post aliquot septimanas hospes mansit in Collegio causâ plenioris informationis requisitæ ad Sacerdotium, idem obsequio nostrorum submissam Præcocia Prælaturam Custodii Cathedralis accepit.

Cum bonis nostris undequaque mala imminent, ab extranea militia, etiam domestica quædam molestia sensibilis fuit. Parochus enim Slupcensis Reverendus Dominus Zaferkowski resignavit beneficium; ad instantiam gravem collata cura parochiæ Reverendo Domino Liszecki, hic elapsis

Slupcensis Ecclesia caret Parocho

duabus septimanis renunciavit favori, nullusque alius idem beneficium pro se deposcebat jam à medio anno, hinc justus metus est, ne officium conferat aliquam parochiam Collegiumque jus amittat Collationis hic et nunc. Interim tamen non sunt frustrati nostri subditi spiritualibus obsequiis, supplevit enim nostrorum cura omnia, quæ à pastoribus desiderantur.

Secreta investigatio depositi Palatinatuum.

De deposita olim Palatinatuum summa in Collegio hisce diebus quædam secreta inquisitio fuit. Nomine enim Petri du Caila Colonelli legionis peditum Serenissimi Augusti 3tii Commendantis Posnaniensis adiit Collegium nostrum M.D. Petrus de Suhm, Vice-Colonellus peditum ac postulato secreto colloquio à R.P. Rectore, unà cum aliquot gravioribus Collegii Patribus, exposuit suum negotium hoc scilicet: cum dicitur passim summa collecta ex contributione dicta Czopowe deposita à Palatinatu Posnaniensi et Calissiensi hoc in Collegio hactenus conservari hic; injunxit R.P. Rectori alias cum mandato desuper et à Domino Commendante ne hæc summa extradatur amplius, præsertim parti adversæ, sed conservetur ad dispositionem Serenissimi Augusti 3tii alias graviter offendendi, nisi imperio ejus satisfiat. Ad hoc intimatum imperium reposuit nomine totius Collegii R.P. Rector! Imo hanc summam notabilem cujus est inquisitio olim fuisse depositam in Collegio ab Illustrissima Commissione Palatinatuum. 2do Cum autem Civitas Posnaniensis quæ intuitu hujus summæ præsidiariam legionem unam continuit evacuanda esset eodem præsidio, atque proinde tunc periculum immineret Collegio ac deposito à grassantibus quovis conspirantibus in diripiendam summam, admonitus de ejusmodi periculo R.P. Rector à Perillustri Petro Soholnicki, tunc securitatis assertore his in palatinatibus, curavit illam summam libri extradi in manus ejusdem Perillustris Petri Soholnicki, præsertim cum eodem tempore, idem Perillustris Dominus accepisset Varsaviâ rigorosum mandatum providendi securitatem majorem eidem summæ. 3tio R.P. Rector affirmavit se habere chirographum authenticum à Perillustri Domino Soholnicki munitum sigillo, quo de summa extradita quietatur. 4to Ex superius dictis conclusit idem R.P. Rector sic: Cum igitur hanc summam securius conservandam aliò transportaverimus, mandatum recens nobis intimatum de non extradenda accuratè servabimus, quare nomine totius Collegii declaravit, se hanc summam nemini amplius extradere posse. Hujus tam mandati quàm responsorum postulata est in scripto series, ac data à R.P. Rectore Collegii.

Dimissio è Societate P. Petka.

Pridie Augusti cum Nostri alia in Collegia ituri, itineri se accingunt, domestici in prædia mittuntur, unus ex Theologis anni 3. immediatè Sacris Ordinibus initiatus Ludovicus Petka, quam paulò antè à Superioribus extorquebat, dimissionem obtinuit; sæculoque redditus, substitit uno et altero mense Posnaniæ, ejectum se injuriosè, nihil tale merentem, palam ubique profitebatur, immemor satis se deliquisse contemptu vocationis, eamque meritò pœnam ex facilitate Superiorum, sæcularibus ejus votis annuentium.

Comitiola in nos detonant Szredensia.

Comitiola Szredensia hoc mense celebrata multo stomacho in Nostrum debacchata sunt Collegium; nullus audiit publicus Orator, qui Novus Pericles non detonaret vindex grandis injuriæ, quod thesaurum Juris Polonici in Nostro Collegio depositum quondam non obtulerimus diripiendum, sed providerimus eidem securitatem. Illaque pretiosi obsequii barbara fuit gratitudo, prostitutio scilicet Nostræ famæ, ignominiosa compellatio Nostrorum

ac decreta Collegii citatio ad Castrum Posnaniense judicandi et puniendi pro arbitrio Actorum simul et Judicum.

Haec fulmina ubi partim jaciuntur, partim adhuc in Nos cudunt, insperatus turbo afflavit Comitiola: rumor scilicet percrebruit Polonos adversae factionis instare oppido; quare consternata Nobilitas Securitati suae consultura respexit fugam; Jam 600 praesidiarii Saxones, ac turma Cosacorum (potissima pars Consultationis publicae ac persuadendae rei in Comitiolis aptissima ingenia) eruptione facta 5 Polonos offenderant, primarium M.D. Bartoszewicz Tribunum Cohortis unius laudatissimum multae experientiae, insignisque dexteritatis velitem, [illegible] captivumque insigni plausu Posnaniam duxerunt, ac demum in Saxoniam relegarunt, cum prius ullis rationibus, promissis, alliciare in suas partes et obsequia non potuerint, etiam jam Captivum.

Captus M.D. Bartoszewicz, Tribunus Velitum.

Ultima Augusti auspicium literarum fecit in Hospitio Numeroso confluxu Praefato Solita.

Mense Septembri facta est invasio fundi Nostri Sortis Daszewice contiguae villae Głuszyna principilo, ac Capite legionis tumultuosae, lecta de Colonis, sibi ruralibus; Perillustri Admodum Domino Wolinski Archi-diacono Sremensi, Officiali Surrogato Posnaniensi, Curam habente bonorum Episcopalium: Nocturna manus expedita irruit in Casam uno paupere colono plenam, eandemque diruit, imagines igni devovit, omnia hisdeque evertit. quare Procurator Causarum Collegii citavit eundem Adm. Rev. Dominum, decretumque inquisitionis obtinuit, quam demum Sententiam secutae sunt tres citationes Nostri ab eodem Adm. Rev. Domino Wolinski.

Invasio Sortis Daszewice.

Die Principi Archangelo Sacra adstrinxit se 4 votis Solennibus P. Joannes Łokański Physices Professor, in manibus R.P. Rectoris; una Carissimus Aloysius Śniński ad Coadjutorum Temporalium gradum promotus.

Professio P. Łokański.

Eodem die P. M.D. Nicolaus Skinarski Colonellus S.R.M. ac in praesens Castellanus Livoniae, convenit R.P. Rectorem repetens aliquam summam depositam ab ultima Commissione Fiscali Juris Poloniae, scilicet 10m. eandemque jam sibi datam ab alia Commissione constituta a parte foederatae Palatinatuum ducorum; Sed ubi intellexit alibi Securitati omnium summarum apud Nos depositarum esse provisum, nec jam sit in Nostra potestate, ut eas tradamus, efferbuit impotens sui, bonorum inequitationem nostrorum minatus cum stomacho e Collegio abiit. Altero die duo Commissarii recens electi in Comitiolis Srodnensibus P.D. Chlebowski ac P.D. Łaczynski integram summam Nobis olim commendatam, Nomine totius Commissionis repetunt, repositam illis (sicut Commissario nuper Regio) ex justo metu periculi imminentis a domesticis et extraneis guerris, ex imperio Illustris Vexilliferi Schovensis tunc publicae Securitatis ac peculiariter hujus summae custodis, alio deportatam esse, usque quietatus syngrapham ejusdem; postulatum hujus quietationis exemplar, et acceptum. Brevi post Manifestatio solennis Nomine Commissionis Fiscalis ad Castrum Posnaniense delata contra R.P. Rectorem, ac totum Collegium; ac deinde citatio Nostri Collegii ad proxima Judicia Castrensia Posnanienses deposita Piotrowi in praedio Nostro.

Negotium depositi Juris Poloniae in Nostro Collegio.

Ex Consilio Consultorum Collegii ac graviorum Patrum ad id vocatorum ac insuper M. Dryjański Causarum ac Juris Regni peritissimi Consilio studiose ratione hujus negotii evocati, remanifestationem fecit R.P. Rector, cum omni modestia religiosa, sine ulla cujuspiam offensione, tantis objectis abunde satisfaciens, et excusans factum translationis alio summae, certe laudabile ac utile Palatinatibus; quae remanifestatio non prius in Castro est acceptata, quam approbata fuerit, et laudata ab Illmo Dno Ludovico Szołdrski Generali Juris Poloniae, Palatino Junivladislaviensi. Successit tandem dies liti determinandae imperatae: ubi nos accinctos dandis rationibus, et respondendo ad objecta intellexerunt, dilatum semel ac iterum, totum negotium; monitis deinde omnibus juris Consultis a M.D. Thaddeo Zakrzewski conventis in particulari, [illegible] quispiam nostrae Causae patrocinium suscipiat, in arenam prodire jussi fuimus. Interim cum nullum praeter Patronum nostra inveniret innocentia, Casu aliquo M.D. Gadkowski Tribunalis Regni Juris Consultus Vir probus et nobis ex animo addictus, hospes eodem die Posnaniae, afflictionem Nostram ubi intellexit, obsequium suum Nobis promisit, ac contemptis adversae partis indignationibus, in ipso accusatoriis procrastinationem Causae ad informationem sui pleniorem; quare invitatus ad Collegium, liberaliter acceptus, plenissime informatus, strenuam suam probavit operam praelegibus, sed a multitudine adversa, omnia rectissima et irrefragabilia documenta, quae rationibus retorqueri non poterant, risu explodebantur, uno et altero die lis agitata, multis quaestionibus ventilata, tandem post maturam deliberationem, hanc audiit Sententiam: scilicet hoc in negotio deliberat Judicium, privatim tamen declaratio facta est nobis, non amplius excitandam esse litem. Adeoque sic turbo ille in immensum exaggeratus, plane nos oppressurus, detonuit, probavitque quod cum parturiunt montes, nascitur ridiculus mus.

8 8bris adductum Corpus Illmae de Szymułtoskie Czarnkowska recens defunctae in oppido Silesiae Trzebnica, hic ex voluntate sua ultima delatae; altero die numerosis Sacrificiis litatum DEO, ac Solennibus exequiis animae Suffragium latum, et posthumus honor defunctae factus. Illatum corpus tumulo, cineribus sui Mariti, quondam hic conditi, sociatum.

Illma Czarnkowska Sepelitur in templo Nostro.

Festo S. Joannis a Cruce in templo R.R.P.P. Carmelitarum Discalceatorum invitati Nostri probarunt gloriose suos labores, tam de Cathedra Concionatoria Sacer Orator Ordinarius Templi S. Magdalenae, quam de Oratorio pulpito Elogiastes Sancti Joannis Mystices; Sacrum majus cantavit pariter Noster, R.P. Stephanus Szaniecki assistentibus sibi Nostris Theologis.

In Sylvis Nostris mense Novembri instituit venationem Urbis Posnaniae Commendans Generalis Bosen, quare Nostrum praedium Siekieriense providere debuit in obsequium Colonos adstites retium, populum 40 equis Sclopetariorum, subsistentiam eodie Siekierzyni; pro Securitate suorum Officialium; insuper ad mensam Officiales invitati, accepti humaniter, grati videbantur esse huic Officio, Nomine enim Illustrissimi Commendantis amplissimas egit gratias Ung de Primonty R.P. Rectori; Interim Nihil de Commeatu a praedio postulato diminutum est.

Venatio Saxonica in Nostris sylvis.

Hoc anno ita ac Superiore, perturbato rerum publicarum statu justis et causis Collegium detinuit penes se Summam militarem (vulgo hybernam) collectam de bonis Nostris, quare non- Hyberna retenta de hoc uno et altero anno ancbis regsita

Commissarii pro Summa Biennali repetenda ex Cancellaria Consistoriali Posnaniensi ad Collegium sunt expediti, ubi assignationem monstrarunt, postulavit P. Rector differri aliquantum negotium; habito deinde maturo consilio, ne forte vexarenq bona Nostra conclusa est summae extraditio; proinde ex more recepto annis superioribus delata est ad Consistorii Cathedralis Commissarium omnis hyberna de bonis Nostris pro Anno Xsti 1733.

Exercitia Spiritualia S. P. Ignatii P. M. D. Zdzychowski Pincerna Posnaniensis in Nostro Collegio egit ac generali confessione conscientiam expiavit.

Mors P. M. D. Annae Bułakowska.

December fatalis erat P. M. Dominae Pocillatricis Posnaniensi Annae de Koźmińskie Bułakowska Benefactrici Nostrae de singularibus Insigni. Fatum illi non quidem inopinatum, subitum tamen fuit: octogenaria enim et amplius casu, certe fatali, 13 Xbris lecto devoluta, graviter allisit caput, ac impotens sibi ferre auxilium, ac etiam inclamare, strepitu excitatorix commovit sua obsequia in auxilium; levata humo ex casu supremum imminere sibi dixit: quare vocato Confessario sub arbitrio de Sta Societate, sacra exomologesi se comparare non coepit, sed continuavit in via salutis; sacro epulo refecta vires resumpsit, ut remota ab omni periculo censeretur. Interim a Nostris identidem visitabatur per vices, continuoq fere ab adstite uno solatium morti spirituale habuit; profunda nocte sibi resuscitatis viribus insomnium aeterni praeambulum se comparavit, et intra unam et alteram horam excitata, malum recrudescere sensit, quare mox eum Confessarium suum iterum postulavit, iterum confessa, ab omnibus vitae totius delictis absoluta, indulgentias quas multas sibi providit devotissima ac Sanctissima vita devoti sexus, sibi applicari postulavit, interq actus salutares quorum usum continuo olim habuit, ac quos simul inspiravit Confessor, rapi extra sensus coepit, et intra unum Pater et Ave sub initium Commendationis Animae a Nostris aliquot praesentibus recitatae, animam Sanctam Deo Creatori reddidit, quae nec loco nec animo a Divis olim separata, vitam assinem caelitibus hic egit. Caelum sibi emisse credita magnis eleemosynis, quibus religiosos, pauperes, viduas, orphanos, quam plurimos adiuit. In sinu illius paupertas aliena aerarium habuit, unde ceu de communi penu antidota nanciscebantur penuriae. Collegia Nostra ac Templa Posnaniae, Calissii, Glogoviae in Silesia, multiplicia sunt beneficiorum monumentum, ubi gratiarum suarum amplum deposuit thesaurum. Residentia Schroviensis Nostra, ex prima planta ab hac sua Fundatrice accepit et habet munificentiae fastigium. Nec in contigua et vicinia benefica tantum remotissimis deerat, Missionis enim Sorpit fundationem aliquantum auxit, Pomeranicam fundavit, quae tamen alios in pios usus ex annuentia sua est mutata. Insuper aliquam summam contulit in montes pietatis, ac Posnaniae deposuit; Congregationem Cordis Jesu, ac bonae mortis annuis censibus auxit, praeter censum annuatim pendendum pro anniversario suo ac suorum consanguineorum. Denique in universum constat Nobis tantum dedisse, quantum Collegio fundando abunde sufficere dicendum est, praeter particulares nonnullas datas privatis Nostris eleemosynas, quarum illa notabilis fuit, quod a morte sua statim distribuendam legavit, Posnaniae, Calissii, Schrodae, singulis Patribus Nostris nummum aureum

Fratribus, Scholasticis, Magistris, Imperialem singulis, uno, cui dispositioni exactissime satisfactum. Insignis benefactrix cum Nobis fontem suarum aperuit gratiarum, in alios non stillavit, sed profundebat beneficia: Nullum erat templum Posnaniae, nullum monasterium, aut coetus religiosorum sive pauperum hospitale, sive congregatio viduarum, aut orphanorum, quam provida omnium egentium Mater, gratiis suis non ablactasset. pluribus templis, personis indigentibus, perpetuos census inscripsit summas, vel in manus tradidit, ac praeterea futura a morte sua tam exacte disposuit, ut mirari nemo satis non potuerit. Novem Decanatibus Posnaniensis Dioecesis ordinavit largas eleemosynas a suis Decanis distribuendas, omnibus religiosis Posnaniensibus ac insuper extraneis nonnullis pro tribus successive annis, ac pro Hospitalibus nonnullis pro 4 annis providit ejus beneficentia, in suae animae suffragium, cujus dimidiam partem omnium sacrificiorum orationum piacularibus, testamento legavit (rarissimo exemplo) animabus. Et ne longi simus in enarrandis aliis, multa studiose praetermittimus. Die qua vixit hac Mater orphanorum quam benefactrix Nostra, indicta sunt statim Collegiatibus suffragia, eleemosynae per Ordinibus religiosis dimissae, sacra in sacello ejus domestico ad corpus curata, omnia necessaria funeri provisa, juxta mentem Sanctissime olim disponentis Benefactricis, significatum statim Illmo Castellano Posnaniensi Koźmiński ex fratre Perillustris Pocillatricis Nepoti ac aliis successoribus tristissimum illis Nobisq fatum, nec magis enim Nos quam illi sentire fati huius ictum debuerunt, quibus non contemnendas legavit sortes, quantum in Deum, templa, pauperes liberalis, tantum sanguini et suis minime injuriosa. Ante adventum successorum ex mente Principalis Castellani Posnaniensis, et ex ultima ejusdem Defunctae voluntate altero die advesperascente, invitati omnes Religiosi Ordines, Congregatio Maxima et Media Clerus Saecularis, Numerosissimus cum suo Illmo Wapiewicz Canonico Decore Gnesn. et Posn. pompam funebrem cum cereis omnes et singuli ac praeterea multi de Nobilibus, civibus innumera plebe duxerunt in templum Nostrum. Nostri ad minimum de facibus majoribus. reliqui omnes minoribus cereis ambientes cadaver, humeris suis elevantes illustrarunt obsequium suum et gratitudinem Benefactrici suae praestitum. 4 diebus expectata suprema justa, interim nullo die vacante, quo non suffragium animae multis sacrificiis Nostrorum, et externorum ferretur. Demum confluentibus successoribus 20 Xbris sine omni pompa ex praescripto laudabili, et gravissimo olim Benefactricis imperio situatum est Deo pro anima innumeris hostiis incruentis, tumulo illatum corpus conducente Illmo D. Dno Alexandro Gorzeński Canonico Gnesn. Officiali Calissien. qui et Sacrum Requiem cantavit, complorantibus autem universis praesertim pauperibus, viduis, orphanis, quorum indigentiae a morte beneficia non defuit, cum omnem supellectilem lineam, laneam ac multam sericeam distribui pauperibus praeceperit.

Officiales Saxo-nici tractati

Benevolentia Officialium Saxonici exercitus plurima Collegio necessaria ut captaret plurimi de primoribus Generales Colonelli Commissarii &c invitati ad mensam religiosam a R.P. Rectore excepti humanissimè; cui humanitati respondere cupiebant saltem ad speciem et ore tenus invitavit pariter Illmus Generalis Bosen R.P. Rectorem sed excusavit Saxonicam mensam alienis instruendam lacrymis; excusationis titulum habuit, iter sibi impendens cui statim accinctus est.

R.P. Rector Collegii Glogoviensis ex Silesia ad Nostris Schovensibus, tardius ad funus Illustrissimae Benefactricis properavit sua ac Nostra, hospitalissimè acceptus die tertio abiit ad sua.

Unum mille florenorum Polonicis locatum apud Synagogam Lesnensem inscriptum quidam nobis a Illma Benefactrice Dzialinska a morte ipsius percipiere cepit Collegio in vim permissionis in suum commodum lapidum Pesnicianorum

Annus Domini 1735.

A.R.P. Franciscus Retz Praepositus Generalis

R.P. Ladislaus Żaltowski Praepositus Provincialis

R.P. Nicolaus Naramowski Rector Collegii

Personas hoc anno aluit Collegium 75 ex his Sacerdotes 16 Scholasticos Theologos 41 Magistros 4 Coadjutores 14.

Summam 6m Locarensem in Skoki recepit a ditis

Primò Januarii Sanctus immissa Nostra reta, in Castarum piscium, exiguo nimirum lucro imò nullo laboris praemio ob subitam hyemis et gelum remissionem.

Circa Summam 6.m Locrentem in bonis Skoki convenit R.P. Rector per Patrem Swinarski Illmum Palatinum Calissiensem Koczynski, haeredem bonorum, inclinitque promptum ad refundendam Capitalem Summam, non tamen Census à pluribus Annis retentos, ideo quod non se (sic ille probabat) concernat obligatio solvendi eosdem; proinde in aliud tempus dilatum negotium.

Mors P. Jasienniecki.

24 Januarii tristis fuit Collegio Nostro, ex gemino funere: primum erat P. Joannis Jasienniecki Scholastici approbati, Concionatoris Pomeridiani in Ecclesia S. Mariae Magdalenae annorum 32 Societatis 13. Hoc brevi tempore quo vixit in Societate explevisse tempora multa ex aequo censetur: indefessi Zeli non mediocria praebuit argumenta, tum ex concionatorio pulpito ecclesiastes; tum in Confessionalibus laboriosissimus Conscientiarum arbiter; tum aegris, aliqua tunc lue in Urbe grassante, infectis opem spiritualem ferens; tum excursione in fine 4 anni sui Theologici in Villam facta Jezierzos, in absentia Curati Stupensis Zelo Zelosissimi Missionarii, documenta dedit insignis operis sui circa salutem proximi. Praefectus bursae Musicorum pietati, disciplinae, studio, eorundem ita invigilabat, ut sub hujus Patris cultura Seminarium hoc pietatis, ac insigni scientiae artis suae, refloresceret in messem uberrimam, et fructus copiosos, si fati invidia conceptas spes non praecidisset. Sed alienae salutis, pietatis, curam habuit sua non defuit perfectionis religiosae studiosissimus, omnium regularum exactus observator. Morbo ut tentari se

sensit, statim comparare se ad suscipienda ultimò Sacramenta cepit, et ubi confessione consuetudinarie expiaturus, vitae suae totius intra se inquirit rationem, inexspectata se illi S.S. Patrum Ignatii Lojolae ac Francisci Xaverii (quorum cultui à puero addictissimus esse studuit) offert visio, hac secundum insolito trepido ubi circumspicit oculo, in manibus S. Xaverii elenchum suorum delictorum in libro aperto offendit, quod ut ex integro relegit, visio mirabilis disparuit, sensu doloris in Aegro tanto excitato: ut nunquam majori in vita sua affectu cordis confiteri cum serie horum omnium fidelissime contrita anima enarravit; tandem multis cum lacrymis confessus, omnibus aliis invalescente morbo munitus Sacramentis, actibus salutaribus se in agonem comparavit Athleta Christianus, exspiravit piissimè.

Mors Chmi Stephani Wyszkowski

Eodem die et fere horâ comitem se morienti Patri dedit Frater Stephanus Wyszkowski Coadjutor Temporalis, annorum 41 religionis 18 intensissimo febrium aestu extinctus, prius ritè dispositus, utpote omnibus munitus Sanctis. Laboribus status sui congruis refici, non atteri perpetuo visus; in regenda Collegii familiae exactus, et diligens, in administranda re oeconomica industrius, et laudabilis; in obsequiis omnium promptissimus; in omnibus officiis, quibus fungebatur, ita se gessit, ut nihil desideraret in quo muneri suo non satisfecisset; denique conversatio ejus ad aedificationem omnibus, et satisfactionem ut fuit, ita desiderium sui multis reliquit.

Funus hoc geminum, quia insolitum privatim templo illatum vespere, ac statim in tumulo depositum, tertio die justa sibi debita cum Officio Defunctorum ex more nostro habuit.

Declamationes Scholasticae in Februario multo hospitum Illustrium concursu exhibitae sunt, ac cum plausu diligni à praesentibus multis Principalibus Saxonicae Militiae Officialibus spectatae et auditae.

Processio solemnis PP. Praedicatorum cum Scholis Nostris

Festo S. Thomae Aquinatis invitatae Scholae Nostrae auxerunt pompam Ordinis Praedicatorum qui e templo Parochiali in suam Ecclesiam Reliquias Sancti Angelici Doctoris inferebat; inter tympanorum tubarumque concentus ordinatissimè sub expansis vexillis praeeuntes Religiosis Scholarum Nostrarum curiositatem eduxerunt omnium, praesertim externae militiae. Templo S. Dominici ubi infuit pompa, sacro cantato, ac concioni habitae ab uno Nostrae Societatis Professore S. Theologiae interfuerunt Studiosi, ac demum a prandiis Superiores ac Humaniores, Oratoris Academici, Auditores praesto invitati aderant.

Scythae Siekierensi praesidio Domini infensi

Scytharum Velitum 5 turmae in exercitu Polonorum stipendia merentium dimissae, ut circumcursarent Posnaniam, tunc cum Poloni Duce Palatino Lublinensi Tarlo, in Majoricam irruentes, Lesnam Lergovam expugnarunt, pertaesi regiminis Polonici, obsequia sua Saxonibus addixerunt; Accepti cum ingenti gaudio Posnaniae, ubi stipendiorum partem receperant, expediti Varsaviam ad Regem Augustum III, Siekierciis duobus diebus substiterunt, cum summo jam egentium Villanorum damno, illud beneficii loco fuit, quod villam non exusserunt, imò cum ignes inter casas rusticas excitati, famulicis adrodati tectis grassabant identidem, strenuè prohibuerunt incendium.

Ex propinquitate Poloni exercitus bona Nostra iterum aliquid detrimenti passa, Seniô

Summa in expeditionem militarem extorta ex bonis Nostris

enim exigebat a nobis summa imposita pro arbitrio bonis Nostris in expeditionem militarem quam ubi nulla ratione, nullo motivo excusare potuimus, in parte illi satisfacere coacti sumus, scilicet 700 floreni numerati sunt Commissario, 3000 interim dilata, quorum exsolutioni paria tunc non erant bona. Sed et in posterum executionem prætensionis Saxonica prohibuit militia, ubi armata Polonos insecuta, ante se in fugam egit.

Retenti census ex lapidea Plesseviciana redditi

Ex lapidea contigua templo Nostro dicta olim Plesseviciana a summa quapiam Ecclesiastica hærente in eadem lapidea, Census a 15 annis retenti postulabatur a Collegio in prædens; ubi documentis evicta est prætensio, P. Procurator Causarum amicabilem complanationem fecit, cum parte adversa, ac 200 florenis satisfecit justitiæ.

Collegium antiquum dirutum

Primo statim vere antiquius Collegium dirui urgentius cœpit, area amplissima evacuari ruderibus, lapides de fundamentis, lateres de muris effodi, et materia parari necessaria continuandæ fabricæ; quæ de facto prima opportunitate inchoata fuisset, nisi grandes pluviæ continuæ duobus fere mensibus prohibuissent operas a destinatis.

Visitatio RP Provincialis

Primis Junii accepimus hospitem ab annis tribus desideratissimum RP Præpositum Provincialem; Illi salutando paraverant Scholæ applausum, sed non admissa in aurâ hâc officia hic, ac etiam ubique per totam Provinciam. Intra duas septimanas visitatio Collegii absoluta ursit Archipræsulis accelerationem in Prussiam, quem hinc moventem vota affectus valedictiones omnium comitatæ sunt. Interim hic unde se festinus submovit perpetuas duas gratias eloravit, grande scilicet memoriale beneficentiæ suæ, impensas enim omnes pro duabus aris scribus se se invicem respicientibus nempe S. Ignatii et S. Kostka ex solido muro ædificandis, et ex integro adornandis Mosaico opere obtulit, et statim numeravit.

5m Residentiæ Mederecensis reddita.

Ex mente RP Provincialis ex summa 10m hærentis in Curia Posnaniensi Civili Residentiæ Mederecensis in Collegio deposita, P. Superiori Ejusdem Residentiæ in ordine ad elocationem et fructum perennem restituta ex 5m. aucta, continuis annis, unum millie pendere debebit eadem Civitas Posnaniensis eidem Residentiæ donec 10m plene reddiderit.

Illmus Palatinus Calissiensis Raczynski ad proxima Judicia Castrensia Posnanie citavit Collegium ratione summæ 6m levandæ, hærentis in bonis Skoki ad quam aliquoties tradendam sollicitabat a RP Rectore, una cum provisionibus ab aliquot annis retentis, hoc tamen negotium iterum ad proxima Judicia dilatum est.

Invasio fundi Sortis Daszewice

Piotrovii cum messis jam prima immineret, Illmus Capitaneus Lanicicensis Skorzewski hæres bonorum Daszewice fundum Nostrum sortis Daszewice per subalterna obsequia violari fecit, de agro quopiam sine controversia nostro preste ad ... nistrum rusticanum informationem male a se prætenso fruges demeti, et colligi et ad sua horrea devehi jussit, facta visione juridica damni, inscripta in Castro Posnaniensi. missus est de Patribus unus actori hæredi et invasionis autorem

cum Monumentis juris Nostri, quem non nimium difficilem reperit ad evolvenda monumenta, sed continuo procrastinantem ac segnem plus æquo ad satisfaciendum injuriæ.

Grandine insolita fruges 5 villarum Nostrarum attritæ cum ingenti damno

Hoc minus damnum præambulum fuit majoris, nec facile æstimandæ jacturæ, quam in bonis Jezierski passum est Collegium. 27 enim Julii omnes fruges tam adultæ, quam immaturæ, insolita et ab immemorabili inusitata grandine, supra magnitudinem ovi anserini excrescente, trituratæ, concussæ sunt ita, ut nihil de grano, nihil de stramine, vix aliquid de paleis et minutis fragminibus straminis colligi potuerit. Hæc calamitas dico nostra Prædia Jezierense et Bielaviense villas autem Jezierski, Piekary, Stupia, Zemsko, Janusztowice ita percussit, ut nulla arista in toto 5 villarum satifundio incolumis manserit, nullus rusticellus unius grani de annua spe laboris sui perceperit. Intendebat calamitatem frumentaria Contributio Saxonica per menses singulos exigi solita, quam ut hoc saltem calamitosissimo tempore remitteret, præmissa officiosa camporum et damnorum visione in Castro Posnaniensi juridice oblata, præmissa etiam Saxonica revisione bonorum per officiales militares, ad id muneris officiose invitatos, omnia adhibita sunt media ut levamen aliquod afflictissima sors bonorum Nostrorum haberet. quibus providentia RP Rectoris non deerat: 6 enim millia statim proximo die numeravit Clmo Procuratori necessaria in novas fruges coemendas, et seminationem hybernam, tam pro agris Prædiorum Nostrorum, quam rusticanis; omnium enim Colonorum nostrorum egestas, opem a Collegio emendicabat.

Inundatione aquarum fruges Prædiorum Nostrorum submersæ.

Illis in bonis cum grandine fruges pereunt, alibi scilicet in bonis Debina Siekierki et aliis inundatio supra modum excrescens mersit præsertim in convallibus fluctuantem messem, et corrupit plerumque, minore quidem damno respectu superioris maxime, ingente tamen adeo, ut hæc frugum jactura ex inundatione, uno tantum gradu minor fuerit ab omnis sublatione sementis. Denique undique calamitas pressavit Collegium Nostrum, intus tamen ex providentissima Charitate RP Præsidis Collegii non admissa; ab extra jactabatur passim calamitosissimum tempus successisse, sub Nicolao tamen vidimus Collegiales aureum sæculum.

Festum S. Patris Nostri Ignatii, omni solennitate qua debemus Nostro Sancti, celebravimus. Sacrum jam cantavit Perillustris Dajewski Canonicus Posnaniensis Præpositus templi S. Adalberti Posnaniensis Benefactor Collegii. Panegyres de Concionatorio pulpito dicerans Professor Theologiæ, alter Philosophiæ, ex Ordine Prædicatorum a magno Indigenum et Nobilissimorum Hospitum concursu auditi.

10m in fabricam Collegii transfusa a quopiam (qui nesciri cuncte postulavit nomen gloriam ex notitia hominum ambiens, sed plenissime Nomen et meritum DEo reservans,) locata interim apud Synagogam Posnaniensem fructificare hoc anno expectant fabricam eandem; potuerunt tamen hæc 6000 florenorum solvens ex mente ex-

pliciter Ejusdem benefacientis levari ex integro, et in usum fabricæ converti.
Nostri Theologi Scholastici anni 3tii AA., anni 2di 3, promoti ad Sacros Ordines, expediti sunt Schrodam; ubi Sacerdotio initiati sunt ordinante Illmo Moszynski Episcopo Livoniæ Præposito Schrodensi. Reduces, ordine Collegiones de[illegible]ssô, primitias litarunt Deo una die omnes, tempore primi et 2di Sacri ad [illegible] altaria, quæ sibi per sortes elegerant.

Supplex epistola porrecta Palatinatibus Juris Poloniæ ut Nostræ Calamitatis habeant commiserationem

Imminentibus Comitiis Sredensibus altero die á festo Assumptæ BMV. censuit P. Rector suadentibus ita Amicis Nostris, ut Supplice libello Palatinatibus Juris Poloniæ exponatur Calamitas Nostra, et indigentia Collegii afflictissimi ex grandine nuperâ. Quare dimissus quispiam Sredam hoc in negotio unus e Patribus, obtulit Mareschallo Comitiorum Supplices literas; quæ ut essperant legi, SD Wieszczycki Possessor Villæ Sterzel[illegible] Contiguæ bonis Siekierki, ob quasdam, ratione fundi, controversias ad Nostrorum Procuratorem pro[illegible] gerendum habitas, querulose in nos invectus est, repressus quidem utcunque á Nostris Amicis, tanquam agens indebito loco, contra quam parest, modestius aliquantum egit, noudum tamen plene quievit, nec annuit lectioni literarum, donec publicam deprecationem illi fecerit Pater præsens unus ex nostris, quam ut fecit, illeque non jam contradixit; recitata Nostra integra epistola. Cui ut respondeat, postulavit P.D. Zakrzewski Vice-Capitaneus Calissiensis, voluitque ut significet Nobis Nomine Palatinatuum, quod Nostra Calamitas Commiserationem invenerit in omnibus, tangitque Corda Singulorum, Solatium tamen indigentiæ ut non prius promittatur, quam tunc, cum á Collegio reddes depositum illud, cujus superius mentio sæpius facta. Sic P.D. Zakrzewski respondere voluit Nostro Collegio, sic conspiravit consensus publicus, sic Mareschallus deinde honorificâ satis epistolâ rescripsit ad P. Rectorem.

Tertius Augusti diem ultimam dedit. Pr. Professor Rhetorices dicta oratione in [illegible] renovatione Studiorum, et ita post vacationes, Literarium otia strenue inchoavimus. Aderant oratione Hospites. qui et Religiosis et academicis nec non haud multis Studiosis [illegible] haberi et adesse poterant.

Causa cum Illmo Michaele Casimiro Raczynski Castel[lano] Calissiensi

In Judiciis Castrensibus Posnaniensibus Post festum S. Margaritæ Virginis Martyris; ex nova declamatione incidentibus agitata Causa Collegii, cum Illmo Michaele Casimiro Raczynski, Palatino Calissiensi. et Possessore Bonorum Stawiany. in quibus summa [illegible] nullius florenorum locata [illegible]rebat. Itaque ratione istius summæ, una cum provisionibus exsolvendæ. [illegible] citationes Dedimus. Latum decretum quatenus jura produceremus. Sed quia male provisi fuimus. Remissa ad subsequentia Judicia termino conservato.

In 3tii [illegible] explicata per literas clades Bonorum Sczurcienses quam intulit grando et explicata inquam Illmo Comissario Generali exercitus Saxonici Varsaviæ degenti. Nec non ultima necessitas Bonorum atque Collegii. Cujus damni revisio facta per Commissarios Nobiles a Nobis conductos, et Consilio Illmi Schulterhayn Generalis exercitus Saxonici, Collegio huic addictissimi. [illegible] Hujus ergo commissionis factæ, mentionem fecimus in datis ad Illmum prædictum Comissarium Generalem. Qui uberioris informationis gratiâ fecit alteram damnorum in Campis nostris revisionem per Magnificum Dnum. Szwartz Capitaneum exercitus Saxonici. Reperit hic Campaniis majora quam legit in Literis detrimenta. Postulavimus interim, Collegii ut in aliquo Salvum esset et effectualem. Petiimusque minimum [exemptione] a Contributione Intertiâ parte Sensimus Levamentum. idque ad breve tempus.

Primus Lapis Positus in Sacrario Templi

Ejus Mensis 17 primum Lapidem posuit pro Sacrario Templi Rectus ejusdem Pater Stephanus Swinarski.

Primi dies 8bris cum Jubilæo inierunt Universæ Provinciæ. Nostrum Templum a Visitatione exemptum Unius e Prælatis favore. Ad Conclusionem ejusdem Jubilæi, pro assistentia Scholas quoque nostras Cathedra invitavit: Sed visum Superiores mittendas esse, qui assisterent sive potius adessent festivæ huic Solemnitati.

R.R. Jubilæum indictum

Apud Moniales S. Theresiæ Festivitas Divinissimæ Suæ Fundatricis peracta Solemni ritu. Nostris pro Concione perorantibus.

Magnificus Dnus Kosicki Joannes Kosicki, nostrarum Scholarum Syntaxicus a Nostris instructus et nostris assistentibus abjuravit. hæresim. Lutheranam in Templo Cathedrali Celebrante Perillustri Rndo Dno Wolinski Canonico Cathedrali Archidiacono Srzemensi.

Funus Virginis Theresiæ Glinicka

Virgo Nobilis Theresia Glinicka Famula Perillustris Magnificæ Dnæ Dnæ Lakowska Collegii Singularissimæ Benefactricis, a nostris in viam Æternitatis disposita piissime Dierum Supremum obiit. prius inscripta summa Testamento florenorum mille Polonicorum. Illata Sepulchro in Nostro templo Solemni et solito ejusmodi festivitatibus ritu. Funus illud Celebravimus in [illegible]

Die S. Stanislao Kostka Sacro cecinit Sacrum Perillustris Rdus Dnus Rokossowski Canonicus Cathedralis. Sacri Oratores perorarunt ab Ecclesiis PP. Reformati, qui una cum aliis Hospitibus invitati ad Refectorium.

Ad intelligendos Limites inter Daszewice Collegii Villam et pariter Daszewice Perillustris (Mi D. Stephani Godlewski Capitanei Ragoviensis) abiit P. Minister cum decreto graniticum (ut vocant) ab annis pluribus inter præfatas Villas differentias Camporum decernente. Sed Perillustris Capitaneus pro tempore assignato non comparuit. Quod ipsum sæpius toties fecit, quoties Literas et Causas movit.

Festa dies S. Joanni a Cruce etiam nobis Celebris Designatus unus e Patribus Veteranis Sacrum cecinit. apud PP. Carmelitas discalceatos Concione dixit Ordinarius Collegiatæ. Scholæ pro Sacro Studiosorum aderant. a prandiis ab una e magistris Professoribus habita oratio in Laudem Sancti et Sacerrimæ Religionis.

In nobis Diei Immaculatæ Conceptionis resplenduit festivitas igne. Habita oratio ab uno e Sodalibus. cui aderant duo Generales exercitus Saxonici cum pluribus suis officialibus. Hi ipsi invitati ad refectorium. Hoc ipso mense. Justa persolvimus [illegible] anniversariam diem celebrando obitus Illustrissimæ Bulakowska Benefactricis Singularissimæ de mericiondicta Sacrificia et Coronæ a Religiosis ordinibus Vigilia Solemnes in Templo nostro decantatæ.

Tandem Anno huic coronam imposuit Zelus Nostrorum quorum plurimi ad missiones expediti. pro Festis Natalis Xti Dni. Jan

Annus Domini 1736.

A.R.P. Franciscus Retz Præpositus Generalis

R.P. Ladislaus Zoltowski Præpositus Provincialis

R.P. Nicolaus Haramowski. Rector Collegii.

Hoc anno Personas alebat Collegium. 80

Dies Circumcisionis Dni Concursu multo cum etiam præcipue Nobilitatis nec non populi frequentiâ celebris fuit. Sacrum cecinit Perillustris Rdus Dnus Daszewski Præpositus S. Adalberti. Pro Cathedris Nostri perorarunt. In Conclusione Devotionis Litanias dixit Perillustris Rdus Dnus [illegible] Bonifacius Kiedlewski Præpositus Prior Lubinensis Ordinis S. Benedicti.

Mors Nobilis fœminæ Magnificæ Loczynska et summa assignata Collegio

Mense Hoc justa persolvimus Magnificæ Dnæ [illegible] Loczynska Matri Nostri P. Andreæ Loczynski. Nostris manibus illata Sepulchro Patrum. Hæc pientissimæ memoriæ fœmina inscriptione testamentariâ et ultimæ suæ voluntatis assignavit Collegio sive Templo Summam 1500 florenorum Polonicorum. cum onere Solvendæ provisionis prout respondentes præfatæ summæ in suffragium animæ suæ idque per decem annos. quibus expletis Summa ipsa cedere debet

cedere debet Collegio sive templo totaliter et ultra ullam obligationem solvendae deinceps provisionis.

Gratia alicujus favoris ab Officialibus exercitus Saxonici conciliandi. invitavimus eosdem ad refectorium pro prandio. aderant nimirum Illmus Niczll Colonellus. Leyman Generalis Stuterheym. Major. Szarbach Capitaneus. Niczll alius Commissarius Generalis. Multam favoris contestationem accepimus sed nullam quidpiam effectivitatem. Inta habuimus accessum liberum ad praefatos officiales et aures benevolas. [illegible] Micielski Castellanus Calissiensis a Summa florenorum 1500 Polonicalium provisiones per medium solvit.

Sicut Anno elapso Bona Jeziorcensia grandine, ita labente Anno Sekiercensia inundatione aquarum tetigit Deus. In iisdem Bonis omnia pecora perniciosa contagione infecta decesserunt ad 2500 in variis praediis et quod majus malum Subditorum famulorumque hominum utriusque sexus multam mortem doluimus. Interim hac stante calamitate pagorum solvere contributiones militi Saxonico debuimus. Hinc ex re Subditorum nostrorum cedidit ut non quo vitam alerent, quod terrae mandarent, superfuit itaque et proprio herreo iisdem providebamus. imo et seminarunt ex nostra provisione.

Tetigit etiam ipsummet Collegium Deus correptis morbo Personis. quarum multus numerus fuit, unus earum eo periculi venit ut signum ad commendationem animae [illegible] Collegium per campanam carcerus. Interim ope S. Xaverii voto concepto a quopiam e nostris voto ultra omnium spem et expectationem melius habere cepit et tandem evasit. Alias adhibita licet multa remedia et Doctorum consilia ac praescripta minime successerant. Hic Paterna R. P. Rectoris cura circa infirmos qui non modo fercula juxta praescriptum medicorum et non alia apponi mandavit unum et Fratribus designavit qui officio Dispensatoris et Coci pro Infirmis fungeretur. Pueros ad obsequia pauperes aluit, sed etiam Doctorem Artis excellentissimum Dnum Lubieniecki ad commodum Personarum conduxit.

Infirmatio De Subdito Hatas in Arcta Zewsko.

Hoc tempore dedit literas ad R. P. Rectorem Illmi Magnifici Dni Modlibowski Pincerna Wschowensis. quibus petit petit ut sibi Subditus Dictus Hatas de paga nostro Zemsko [illegible] subsistens extraderetur. Protestatusque si via pacis id dimicere viam judicii inire quo nos se traheremus postulavit. In sua professione confirmationem certam esse voluit R. P. Rector qua ad manus habeat metricas hujus Cmetonis. Rescripsit R. P. Rector quod nollet viam dissensionum cum Illmo Magnifico Dno inire. sed ad gratiam ejus recurret quatenus Subditum hunc jam ab annis multis in nostris bonis subsistentem et ex paupere et plane mendicato pane vitam trahentem, Cmetonem factum concederet vitam finire in pace et domo quam sibi suis laboribus aedificavit. Praestaretque eandem gratiam quamque in hoc ipso negotio Antecessor R. P. Witkowski meruit: quia scilicet Illmus Magnificus videbatur suo jure cessasse praeterea ex rationibus his. Quia praedictus Hatas jam fuit Subditus in Bonis Kromolice tunc et quando praefata Bona possessores suos habuerunt Illmum Leszczynski. Vero postquam eorundem Bonorum Heres factus Illmus Modlibowski, Unus hic Hatas manu missus aulae obsequiis Leszczyniano adhibitus. tandem liber abiit. Venitque ad nostrum Pagum dictum Zemsko mendicus et pauper. sed quia junior fuit. conductus est Braxatori ab obsequiis egit adjutorem multis annis tandem in Sociam vitae Cmetones nostri et Subditi accepit filiam, procreavitque filios tres et filias totidem atque Benedicente Deo facultates bene habens. Ad has responsorias datas sibi Illmus M. D. Modlibowski a prosecutione cessavit.

Interim Notandum quod videnda est resignatio facta ab Illmo Leszczynski bonorum Kromolice utrum [illegible] in illa non sit adeo Illus Bonus [illegible] vir dictus Hatas.

Tumultus a Studiosis excitatus sopitus.

Tempore Bacchanaliorum et occasione dialogorum quia scilicet adhibitis custodiis militis Saxonici, qui [illegible] arcebat non invitati et importuni hospites ingressu, Philosophi excitarunt tumultum: sopita causa amotione aliquorum a Sodalitio. aliorum publica imposita poena Scholastica.

Negotium cum civibus vini depositi vini in nostris Cellarius.

Dnus Georgius Kapuma Mercator Hungarus persolutis Gabelli Civitatense jus concurrentibus in nostro Collegio aliquot currus vini in cellariis deposuit. Ergo hoc ipsum Civitas tulit asserentes Juribus suis injuriam et proventibus [illegible] sui debitis perniciosum, quare delegatos a Civitate hoc in negotio R. P. Rector accepit: qui postularant, ne istud damnum Mercatoribusque Civitatis inferri pateretur. Quod ipsum sua jura fieri vetarent. et [illegible] expectari [illegible] omnia Dicti Mercatoris et Cellariis sui Collegii. Petiit R. P. Rector exhiberi sibi jus ejusmodi quod inhiberet similia in Religiosis domibus deposita; sed quia nullum ostendi potuit idcirco [illegible] vini semel promissa [illegible] irrita. Quare Civitas solennem fecit protestationem.

Summa 8000 no. a R. P. Provinciali in principal usus accepta quam Collegium concernere videbatur.

Summa 8000 Millium Polonicalium florenorum ex Summa Strzemesciana ex annuitu R. P. Lueck pro tunc Provincialis mutuo data Illmo Magnifico Wierzbowski Capitaneo Zawcziensi quam Summam R. P. Strzemeski in perpetuum videbatur Collegio Posnaniensi devenit in manus Illmi M. D. Zaluski Capitanei Zawichostensis via legitimae Successionis in bona. Hanc ergo Summam in manus R. Procuratoris Causarum Petricoviensis reddidit Illmus praefatus Zaluski. sine provisionibus accepta nomine Collegii Posnaniensis quietatione a P. Procuratore Causarum. Sed quia R. P. Provincialis Rationibus pervenientibus erat Summam praefatam deberi Provinciae non Collegio, idcirco eandem in Provinciae expensas recepit a P. Procuratore Causarum Tribunalis Regni Petricoviensi.

Professio nostrorum

In Martio. hoc est in Festo S. Casimiri professionem quatuor votorum emiserunt. P. Georgius Komorowski P. Andreas Dąbrowski et P. Mathias Pakosławski. in praesentia Celebrantis Rectoris.

Diem Doctoris Angelici sacram solenniorem fecerunt Nostri. Tum quia P. Professor Theologiae dixit concionem de mane. Tum quia Selectiores Studiosi aderant Orationi habitae a Prandiis ab uno ex Professoribus academicis.

Professio nostri

Die S. Josephi fecit professionem quatuor votorum P. Antonius Atscher. a quo facienda schola descendit.

Famulus submersus

Hoc mense Famulus Bursistarum dictus Pękoszyński, in redeundo ex Templo S. Nicolai sub tempus plus quam vespertinum per glaciales aquas submersus est. in ipso alveo fluminis vero cum tamen ab aquis jam [illegible] audisset moneri se Salutis Nomina Jesu scilicet et Mariae. Cadaver non statim et jam plane corruptum repertum apud PP. Dominicanos conductum est.

13 Martii Funus celebratum in nostro Templo M. D. Stanislai Małachowski Acolenis anni 17 Juvenis Magnae spei Indolis peroptimae. Intra tres dies redux ex festis assurrexit. ultimum periculum intra duas horas intendi visus est, quare intra unam horam omnibus Sacramentis munitus viam Aeternitatis ingressus. Parentavitque [illegible] Juveni

veni optimo non modo Studiosorum sed et multorum hospitum assistentium et Luctu Scholarum [illegible].

In Festo S. Benedicti ad Lubienia evocatus ad Concionem P. Professor Philosophiae. In eodem Festo apud Moniales ejusdem ordinis Posnaniae Nostri Pariter perorarunt ab exedes.

Negotium Depositi rationi Depositi Juris Polenia

Negotium Depositi majoris Polonia agitatum A° 1734 in quo postea nos iter et adversam partem alteram Sententiam accepimus Judicium deliberat. Privata vero declaratione negotium istud quam amplius agitandum. Tandem hoc Anno Lis excitata. Vocati fuimus ad Jus. et Judicia Castrensia Posnaniae. quatenus omnino depositum comperlumq reddendum in manus Compsarorum. Excipiebamus forum. Sed quia nobis iidem Judices et actores erant non accepta mutio ad aliud forum Jure non attentis persuasionibus privatis aliquot Magnatum Juris Polonia. Non habita ratione Literarum Celsissimi Primatis Regni quibus suadebat hoc jubebatque Negotium hoc ad Comitia Generalia Varsavia differendum. Condemnati sumus. Inequitatio Villa Collegii Piotrowo facta cui opposuit se Carissimus Procurator. Atque in hac inequitatione Zyczedie Subsistit jurius processus. Literas exemplaria negotium hoc decernentia usferq datum.

Sententia in causa Summa Carentis in bonis Slawiany

Ejusque ipsius Judicii Sententia decretoriam accepimus. ut Illmq Palatinus Calisiensis Summam herentem in bonis Slawiany in Crastino Festi Natalis S. Joannis Baptistae proxime imminentis Solvat et realiter enumeret. Compensando et et compensari do provisiones reddendas. ex Summis Originalibus Possessorum et Creditorum bonorum Slawiany. Quod impositum est Sub poena banitionis.

Literas ad Dno Walitnowski

His diebus dedit quoque literas P.R.D. Vladislaus Walitnowski. Canonicus Posnan. In quibus postulavit. Praedii Sibi messalia retenta ut Annis Quatuor tam ab Aula, quam a rusticis. Postulavitque ut sibi daretur facultas excidendi tres quercus ex Silvis Kondarzewo. pro reparienda Ecclesia sua curae commissa. Quercus datae. Lucratio a procuratore Lichwensi requirenda.

Introductio Xti Jerosolimam ascendentis

Die Sabbathi ante diem Palmarum fuit Devotio Xti ascendentis Jerosolimam cum Solenni Processione et Parochiali ad nostrum templum. Venientem Processionem Salutavit unus e Nostris Theologis Anni primi, In crastinum [illegible] abeuntibus diebus Ordinarii Concionator.

Mors P. Samuelis Tokarski. × annorum aetatis 55. Religionis 39.

Dein Luctaetum est a nostris cum morbis et morte. tandem fato Succubuit. P. Samuel Tokarski Professus IV Vot. Die Coenae Dni vocatus ad Coeleste Convivium. Et qui vere apostolus Christo confixus Cruci vivere studuit etiam Christo commoritur. (Ad vesperum vitae, dignam Strenuus in vinea Dni Operario accepit et mercedem et requiem.) Ingrediendi Societatem votum concepit adhuc minorennis, quia erdit Singularem nostrorum dierum Bachaliem devotionem. Vitam ad praescripta et Regulas formavit exegit laudatissimam. Meruit Strenuus Laboris Nomen insignis et nunquam fessi Operarii. Ut pote qui terminos parcimus dies noctesque vigilavit ut Semper vacantibus ab ira veniret. Missionarius per Cassubiam Dioecesin Lithuaniam et Cujaviensem multis annis laboravit. Demortui Patris cineres etiam Posnania assedit Lacrymas. praesertim inopes, quibus ille Pater Solatium Spirituale etiam Subsidia ex Eleemosynis in Persona datis providebat. Quibus et quod Superiorum indulsit facultas, apposita Sibi fercula distribuebat in pauperes providebat Incarceratis. Maxime captivis, ipse modico pane contentus. Pro Sacro Tribunali Venientibus tantum non defuit, ut plane continuus

plane continuus in Confessionali desudaret. Atque ex eo Sacrum nisi ultimum et Saepius circa Meridiem celebravit. Reliquam et collecta eleemosyna et in pauperes distributa in Libros erogabat, Quos Residentiae hae penu destitutus sua facultate Superiorum applicuit. Conrogabat plerá libellos variis hominum Statibus Convenientes Morumque perfectioni acquirendae persportunos Atque ejusmodi Codicillos ultro citroque [illegible] offerebat legendos. Zeli apostolici factusque exemplum etiam ipsemet Libros conscribere parabat, unicuique hominum Statui convenientes, Vitas nimirum Sanctorum cum brevi reflexione, [illegible] in singulos anni dies distributa Sanctorum ingenua Conjugatorum Viduarum. Adolescentium Virginum Militum. Verus ejus vita omnibus Virtutum norma et Zelus Apostolicus Majus assistit. Inchoatum opus, alieno labori perficiendum reliquit. ipse ad praemium optima sua voluntatis evocatus, Sed sit ita qui plurimos adducere laboravit, ipse omnibus praeire meruit ad Coelum. breve iter facturus [illegible] per [illegible] pla. Virtutes Coronata.

Concionator Zelosissimus et adeo facilis ut binas ternasve de die aliquo diceret. Et diceret Semper paratus quoties necessitas vel obedientia posceret Patienti Christo tenerrime affectus ut ejusdem amorem Concionator persuaderet Seligebat exempla Sufferias Prates. amatorum Crucis et Crucifixi. In extremis positus. non prius ab exercitio actuum amoris indulserat Spei Fiducia cessavit quam viribus deficeret Cum vero si quispiam adesset eosdem v. ex memoria vel ex libello repeti sibi postulavit. Omnibus Sacramentis munitus obiit diem Supremam Die Parasceves Dni Corpus Sepulchro Mandatum. Post Festa resurrectionis Officium pro more recitavimus. aderant invitati Religiosi cum Suffragio Parentavit quoque altero die Sub Patri Pestis M.D. Rogalinski quem a Confessionibus habuit et pro Moderatore animae. Solennes Exequias decantaverunt Religiosi. Nostris quoque indicta Suffragia. Sacrum cantavit unus e PP veteranis.

Nostros primitias

Negotium cum P.R.D. Wasmeniecki Canonico

Ag [illegible] Theologi anni tertii Gnesnam expediti Sacris ordinibus initiati a Rmo Dno Josepho Trzynski Suffraganeo Gnesnensi Primam [illegible] literarum Die Pentecostes [illegible] qui [illegible] facultate [illegible] convenit P.R.D. Wasmeniecki [illegible] in duos [illegible] bus quas habet ad Lapideas aliquas nostras ratione non persoluti census. ad Villa Daszewice ratione non redditorum Messalium et Decimae ad Villam Piotrowo. quia Pagus hic auctus ad reddendum [illegible] faciendos Collegio et Illi plus fructificare ex nova colonia debet. Negotium non conclusum [illegible] necessarias cum Illo combinatione nemo non agnoscit.

Ad initium Mai Comitia Praedentia ante Comitia Generalia Varsaviensia celebrarunt Palatinatus Posnaniensis et Calisiensis. Hoc immemor [illegible] Collegii ratione depositi horum Palatinatuum. et [illegible] famae. Quasi illud dilapidassemus. [illegible] Expedivit unum e Patribus cum Literis Nomine Collegii. Continentibus haec formalia.

Literas ad Comitia Sredensia in negotio Depositi

Jakom Raras in prima notitia roszianych wieści de dilapidatione Skarbu prześwietnych Województw, naszej Custodiej powierzonego Solennym w Grodzie Poznańskim Manifestem, omni Submississima realitate uczynionym. upewnił wszystkich Jaśnie Wielmożnych Panów y Dobrodziejów Zem tenze Depozyt, omni possibili industria assekurowany ad tutiora quaedam transportował; tak y teraz kiedy szczerą y pewną ustą naszą. Producere non cessat tumor iniquus. Zadaiąc nam dissipationem tego Skarbu, Za rzecz arcy potrzebną sądzę abym in facie et auribus wszystkich zgromadzonych Jaśnie Wielmożnych y Dobrodzieiów. Staraiąc się iak naylepiej de bono publico mereri, ponowił tę samą certitudinem że tenze Sam depozyt, nietylko niezgubiony, niestracony, do pierwszych nieprzemieniony. ale in omni illa integritate iaka tylko podinna et humanitus być mogła

mogła, wszytkich okolicznościach indemnitte in optimo et securo Loco conserwowany byś. y konsenwie się według woli y dyspozycyi onych. Że zaś ta nieposzlakowana nigdy sinceritas obsequii nostri, nie na samych słowach ale super ipsa re zasadzona, z całym Collegium moim upadam do nóg Jaśnie Wielmożnych Panów y Dobrodzieiów, ażebyście ab onere custodiae a bardziey iniquioris famae uwalniaiąc sługi swoich na znacznieyszy czas, in cuius spatio mógłby być kompastowany nieszkod depozyt, a potym według woli Ich w Depozytowane rzeczy odemnie oddany, y razem abym otrzymał ipso facto, że z całym Collegium moim, byłem iestem y być zawsze pragnę etc. w Poznaniu 13 Mai 1736.

Post alias datas a pluribus Magnatibus Literas Lectas nostri Collegii unanimi omnium Nobilium Consensu et altissimo omnium silentio, quod indicavit gratitudinem omnium pro hoc obsequio in gratiam Palatinatus praestito, quare votum omnium nemine quasi humanissime respondens formaverunt gratias actione pro obsequio praestito fortasse laudum in rem nostram sui pronatibus.

Że zaś Ich Mość Oycowie za prośbą Stanów Województw naszych przyiowszy do siebie, onemu securum Depositum [illegible] iako się nietylko ustnemi assekuracyami deklarowali, ale y listownie do koła naszego pisanym toż samo potwierdzili, a potym oddaiąc iego procedere są wyrachowani, tedy ten processus nietylko praesenti Laudo annihilamy, ale upraszamy Jaśnie Wielmożnego Pana Marszałka koła naszego, aby w respensie swoim do Ich Mościów Oyców Jezuitów danym wyraził wdzięczność koła naszego, za utrzymanie skarbu tego, oraz upraszał Ich Mościów a principaliter Jmci Xiędza Rektora, iako tu Kompatryoty naszego, a żeby ten Depozyt in securo Loco zostaiący tam że zostawał do Seymiki relationis. Amy za to nietylko gratiarum actione, ale y gratitudine wiadczyć Ich Mościom deklarujemy.

Laudum Comitiorum in parte Collegii

Jam vero Responsorias a Perillustri Domino Augustino Zaremski Comitiorum Marschalko sequentes.

List Wielmożnego Pana do Koła naszego Ordynowany.

nietylko ukontentowania zacnego Causatum materiam, ale tej do [illegible] wdzięczney iako zamknięcia Uniwersalny in particulari oraz et tot sacris [illegible] Universali powinność recognicyi okazali się raro exemplo virtutes in arduo, kiedy w tak wszystkich przez Boga nigdy in futurum niepraktykowanych Oyczyzny naszey nie Bezpieczeństwach, skarb publiczny konserwować urodzone dusze powinności doskonałością. Dlatego wielu merito sprawami nie powinna honoru tak [illegible] ardens [illegible] Wielmożnego Pana głosi operis Conatus, wszelką iusto titulo convicit estymacyę. ile że dignos Laudare jest laudabile de Laude mereri. Reprezentuiąc zaś Wielmożnym Panom uważnym Życzliwości naszey sensus, upraszamy abyście konserwowany do tych czas Mihi [illegible] fide cura et Solicitudine skarb publiczny Województwa naszych do przyszłego Seymu Relationis w dalszey zachowanie naszych konserwować manutenencyi za co tak in publico iako y każdego z nas w sercu nieskończona manebit wdzięczność etc.

Literae Illmi Marschalci Comitiorum ad Nostrum Rectorem

Die ante Pentecosten accepit hospitio Celsissima Illmi Loci Ordinarium Suam cum homagio adiit Nostrum Rectorem. Simulque circa panegyrin suscipiendam pro primo ad Cathedram ingressu paratam. Sed propter Revolutiones in Regno non redditam accepit [illegible] an[illegible]. Quare decreto Die Pervigilium Sanctissimi Corporis. Itaque dicta Panegyris reddita in Cathedra praesentibus Canonicis plurimis et Nobilitate [illegible]. Dedicavit P. Rhetorices praefatione dedit. Mane Scholae Salutarunt Hospitem a prandio in palatio. Hospitis huius matutino tempere venientia adeo sibi usurparunt Vulgus y Ora sicut nostro Oratori aures inclinasse. Pro prandio invitati R.P. Rector et alii Sacerdotes eodem die. Altero die hoc est feria 6ta post octavam Corporis Domini invitatus ad prandium P. [illegible] Concionator Collegiatae et Professor Rhetorices.

Ipso Die Corporis Domini instituta processio ex Cathedra ad Collegiatam primum, tum post sacrum Cantatum ex foro productum. Processio haec cum venerabili et sacrum cantatum ipsemet Illmus Loci Ordinarius celebravit. In regressu Perillustris Admodum Reverendus Dominus Dominus Miaskowski Canonicus Cathedralis. Continuavit Festivam pompam. In assistentia Illmi Canonicos Clerus Magistratus et inferiores Civitatis Ordines. aderant omnes Religiosi. Item Scholae nostrae unaquaeque Schola suo vexillo et ordine distincta processit. obviam venientibus Hospitibus et redeuntes Comitati ad Locum Consuetum.

Processio in festo Corporis Domini

Die Dominico infra eandem octavam instituta similis processio per forum et Collegiata. Cum Venerabili Ipse Perillustris Admodum Reverendus Wasniewski Canonicus Cathedralis et Praepositus Sanctae Mariae Magdalenae. Conclusio Devotionis huius facta in nostro templo solito more apud Patres Carmelitas in suo de mane dixit plenius ordinarius [illegible] a prandio alius.

24 Mai Dimissus Pater Josephus Beyschlay Piotrkovii. Expeditus honestissime quoad victum et vestitum in viaticum Collegii, imprimis a R.P. Rectore Eleemosyna in pecunia. Egit Concionatorem et Operarium Germanicum.

Dimissus P. Josephus Beyschlay

Eodem mense Celebravimus Solemnes exequias in nostro Templo pro Anima Illmi Adalberti Malczewski Judicis Terrestris Posnaniensis. Sumptu Liberorum eius. Apparatus funebris oculis sibi et animum rapiebat. Massi arca ferebat ab igne et Lampadibus oleo olivarum infusis et candelis pulcherrimo ordine dispositis. Paller et Theatrum affabre factum cui innitebatur tumba. Aderant multi Hospites et Nobilissimi. Illmus Loci Ordinarius sacrum ad altare S. Xaverii privatum dixit. Cecinit sacrum de Requiem Perillustris Bystram Abbas Ordinis Cisterciensium Obrensis. Sacro huic cantato sicut et Concioni funebri habitae a Patre Professore Theologiae Patre Joanne Bardzinski, Illmus Loci Ordinarius. Illmus Swidzinski Palatinus et Capitaneus Generalis Poloniae. Multi [illegible] Nobilissimi Viri et Feminae [illegible] necnon Luctus effusa aurea [illegible]. Conductum fore habuit qui celebravit hoc Perillustris Bystram Abbas. Suo finito dicta oratio. Exequiae et funebris completa a Perillustri Domino Zakrzewski Notario Castrensi Posnaniensi. altera a P.M.D. Golenski Notario Terrestri Posnaniensi. Duravit haec funebris protracta usque ad 4tam a Meridie.

Dum Illmi Malczewski Judicis Terrestris Posnaniensis

Quia in Villa Głuszyna cuius partem nostra possessione alteram Capituli fundavimus domunculas pro subditis. Litem nobis Tenutarii Patris Capituli Illmi causarunt impediendo in prosecutione inchoati laboris. quare adiit P. Procurator causam Commissarium Illmi Loci Ordinarii Illmum Myszkowski Dominum Porcha, cum decretis granicionum supplicando quatenus desinat importuni homines nos in pace servare et nos [illegible] amissam quiete[illegible]. Imo nos iniquos possessores suis speculationibus non iure et iustitia probare contendit. Quare dicebat nobis partem hanc haereditario iure nunquam venisse. Ratio una quia et antiqui Głuszyna possessores Loci ordinarii nuncupari. Sed [illegible] quod etiam nostrae partis huius nulla fundationis documenta dedit. nisi aliquid anonymum scriptum in archivo Capituli relictum. Ratio altera. Quia pars nostra dicitur (et verum est) Sołtysowo. quare debuit esse

Lites cum Capitulo ratione Bonorum Głuszyna

quare esse debuit annexa bonis quae sunt haereditas Episcopalis Sed negat consequentiam. Judexque respondit Nos Possessores ex tali jure Pater Mr Poklicki. atque ille in Resignatione Haeres dictus ergo et nos eodem jure gaudemus. Jam vero quod Capitulum habeat jus simile ostendat. Caeterum in Decreto granitiensi lato Ao 1652 Nos appellamur cohaeredes. Quae omnia non temerarie dicta putanda. Post ejusmodi litigia verbalia et privata requirebat a nobis privilegium Armatam sive consensum sine quo non potuimus fieri horum bonorum Possessores Sed hac gratia dicta siquidem nos bona nobilia occupavimus et illa a Capitulo toties ut patet ex resignationibus dicimur Haeredes. Tandem Heri etiam duo Canonici ad discernendos Limites Patris Wasniewicz et Patris Poniatowicz deputati ad Villam descenderunt. Ex Collegio expeditus Procurator ejus villae ut Hospites salutaret potius quam aliquid decerneret et statueret. Verum Deputati illi ex Capitulo post duos dies rebus relictis abierunt. Jam ex Declaratione Illmi Loci ordinarii accepit R. P. Rector, qui abeunte Varsavia valedicebat, ut illo jure quod ab antiquo habuimus non dimittendo illam satte ad interim donum gauderemus. Et aquievimus Sed Ecce post hebdomadam dedit Singraphum sive contractum quo nomine et Illmo munitum, ad P. Mr Wolinski quatenus nostra pars Domino Percha suo commissario juridice cedat. Verum cum nos paratos esse ~~[illegible]~~ movere causam ad aliud atque forum cognovit. Scripsit quatenus daremus Epistolam ad Illmum Epum Sed quia non ex re videbatur, illud nobis dari petere, quod per improbitatem ereptum et quod omni jure nostrum est, abstinuimus adendendo, itaque factum ut, cum possidendo ad interim, fruamur bonis istis. In hac re resignatio facta anno 1622 In hac enim haeredes dicimur.

Hoc mense Rusticus dictus Tlucek cum uxore et Domo sua subdidit se Procuratori Piotroviensi in Castro Posnaniensi.

Contributio Collegii in Vas pro igni extinguendo incendii alicujus subveniendi donec factor duos aureos.

Nomine Magistratus quidam venit postulans, ut ad comparandum instrumentum extinguendo igni Domum in casu incendii alicujus Collegium quoque contribueret, dedit Libenter R. P. decem aureos.

Lis cum Civitate

Circa fundamentum inter domunculas Civitatis et nostra Lateraficinam extra muros sitam quod objicitur fenestris Collegii extitit Lis. Quidam contractu inito cum Magistratu in fundo Civitatis domunculas erexerunt, sed ampliando possessiones suas in nostrum fundum sepes etiam ligneas extenderunt, Adiit hoc in negotio P. Procurator Causarum Magistratum conquestus de violentia, a quo unum recepit: Quo jure Collegium fundum hunc usurpat. Ad hanc objectionem Repositum a tot annis in pacifica possessione fundi non est quare jura producamus. Interim Armata Magistratus amplius ad hanc usque ultra extensas sepes data et Consilio devotas fecit P. Procurator quare descendit in fundum unus et alter ex parte Magistratus commissarius nec non Dispensatores Civitatis, descendit item P. Procurator Collegii ostendit Limitas fundi nostri, ostendit pro fundamento sepes ea antiqua. Caeterum Contractum quem fecit Civitas cum honestis Wroblewskie, Censuarius. Anno Dni 1731 ipso Die S. Aegidii qui habetur in libris Inscriptionum Civitatensium apud suos Dispensatores depositis Hoc contractu ita fundus traditur Pratis Wroblewskie ut immediate nostrum attingat suis Limitibus citra injurias nostri fundi ex quo probatum est quod omnino nos possessores justo jure sumus fundi ejus assignamus Limites siquidem nec Civitas Contractum datum extra hos granitiones praescripsit Verum Surdis dicta sunt quasi fabula. Iterum Sublatas sepes iterum instaurandas mandaverunt a Servis suis armatis duxerunt ut si aliquisquis impe-

impedire praesumeret et tentaret. In Contractu nominato haec formalia habentur: Intromissionem in eundem fundum in Longitudinem Cubitorum 20 in Latitudine Cubitorum 30. emensuratam iisdem ad nunc conferunt.

Subditus Jeziercensis expeditus qui eleemosinam deveheret ad Xenodochium Nawienense sed quia defecit in via, ut etiam equos in Curru ager posset dirigere. Adjunxit eodem homo Strenuus qui istud officii praestaret pollicitus. Nihil mali suspicatus Libenter habuit ducem talem astuti nebulonis qui currum conscendit et una a villa recessit aliquantum usque ager ille necessitatis alicujus causa. Vector ille negreso adacto stimulo equis reliquit nisi gravius gementibus clamitantes Sed suo fato progressus incidit in obvios Nobiles qui properantem sisterent quis sit et quorsum properet indagando Vero facile expedit: et evasit inquisitores per nundinas inquirens confugiendo ad proxima Curtes et illic bona venia profectus interim huiusque reversus iter continuando. invenerunt gementem et jam plane ultimos expirantem hominem, a quo fraude in progressu admissam edocti eundem persecuti comprehenderunt ad Collegium cum equis et curru ductum reliquerunt. qui accepta verbali admonitione dimissus liber.

Aptus homini nis negat

Jezuitis vacationes Professoribus tridnam absolverunt Professores

Accidit eodem mense homo aliquam per vaga persona petiit quatenus ad officia Culinae admitteret sed quia hoc non impetraret, petiit ut tibi literas instantiales daret ad P. Ministrum ad P. Mr Vexilliferum. Posnaniensem dictum Skalski quatenus illi Liceret vestes relictas olim recipere. (Conventibus enim fuisse Domino huic et suam aulam ab obsequiis) sed quia neque hoc impetraret, praesumpsit Literatum quendam inducere qui Nomine P. Ministri scriberet supplices ut homini isti ante aliquos annos servo fideli vestes restituantur. Admisit Literas Bonus hic vir et quia ipse non meminisset hominis et eam obsequiorum vocari fecit aliquos quatenus sui Collegae illi vestes retribuerent gratam memoriam sed quia neque hi noverant hominem. Caeterum vestes non reperta in loco in quo ipse easdem simulabat, Illico Praefatus Dominus submisit ad P. Ministrum conquestus quod homini malae fidei crederes scriberesque ipse vero fuisse dedit P. Minister nullas dedisse hoc in negotio literas qui mendacii convictus expulsus et unde castigatus publice in Collegio.

Literas censit ad P. Ministri

Pertinet Ad Wasniewicz quod suas protestationes stante Regimine R. P. Rectoris dissimulare promisso (de his Protestationibus habes supra informatio) dedit interim ad Consistorium Posnaniense simplicem citationem, atque ipse Varsaviam abscessit: adiit P. Procurator causarum. Consistorium petiitque quatenus causa haec suspenderet ad adventum Patris Rdi Dni. cum quo facile compositionem futuram appromisit. Siquidem pro hoc uno solo anno non possoliatus habet nissana quod at eo quia antiquam Combinationem manutenere remisit ab illa recedat.

Citatio a R D Wasniewicz

Pater Adm P. R Wasniewicz Templum omnium Sanctorum. pro Congregatione Germanica obtinuit.

Templum omnium Sanctorum

Circa Festum S. Antonii obiit Adm Rdus Dnus Adalbertus Zgurski unicus Parentum quos ante se in Coelum praemisit haeres (et quia unicus hodie remansit) metuens Tumulo. Quatuor post Mortem quasi in sinu Parentum positus eodem illatus Sepulchro. Intestatus mortuus est. cum optima tamen animi dispositione quam fecit suo Pastori et Parocho Praeposito Brinensi. Successorem nullum per directam lineam praeter nostrum Patrem Andream et suum Germanum reliquit. Hic vero Leopoli Professor Theologiae non potuit hoc in negotio opportunus adesse, quare pro debito suae Homini charitate annuit R. P. Rector ut in eodem Sepulchro cum Parentibus suis conderetur. Praesertim ubi Adm Rdus Dnus Praepositus Brinensis non modo ultimam voluntatem sed vota et praeces agonizantis hoc fuisse testatus est ut in eodem Sepulchro cum Parentibus Resurrectionis diem expectaret. Itaque Corpus ejus delatum primo Piotrowam in Rheda R. P. Rectoris vesperi Resonantibus Campanis Collegiatae in

Funus Adm Rdi Adalberti Zgurski

ass[illegible]

assistentia aliquot nobilium in Templum nostrum illatum in feretro ad hanc pompam extructo collocatum. In crastinum Jung celebrationis Religiosi Ordines officium Defunctorum decantarunt. et sacrificia. Tandem ad aram majorem ignibus dispositis pulchre adornatam Cantatum sacrum celebravit P. Minister. Simul majore conductu nostris manibus illatum tumulo.

Causa composita cum Judaeo Pinkes et suis successoribus

Hoc mense causa inveterata ardua post mortem Marci Pinkes Judaei Posnaniensis composita a R. P. Rectore. juxta antiquam confinationem olim a R. P. Martino Trzeszynski Rectore Collegij factam Reducta est scilicet Summa cum provisionibus annuatim exsolvenda ad florenos 1500 Successit in bona ipsius Judaei Pinkies. Salomon Lewek Gener ejus. Successit ergo et in onera. ~~originali~~ Solvit ergo ex Summa originali in illa simul provisiones includendo. florenos 100 pro anno 1733. in anno 1736. Dedit novum Chirographum obligatorium obligatorium ad solvendam integre, Summam. Subscriptum ab evidentibus Judaeis Chirographum hoc est penes P. Procuratorem Causarum.

Literae Illmi Palatini Calissiensis ad R. P. Rectorem

Literae datae ab Illmo Palatino Calisiensi ad R. P. Rectorem continebant: hunc sensum: In negotio Collegij (de quo supradictum) egi in condescensione expectando Plenipotentem qui hoc negotium promoveret. Sed quia nullus aderat, ideirco debebit forte et ipsum negotium dilatione pati. Rescripsit R. P. Rector. In hac formalia. formalia

Responsum ad sedentes

Decretum Posnaniense non obligavit nec imposuit Collegio quatenus compareret pro condescensione Staviniensi. Nisi Possessores et Creditores Bonorum Staviany. in ordine ad prodecendam desolationem aut reparationes Bonorum Staviany quod non respectatur ad Collegium utpote quod nunquam ista bona possidebat. Quare tamen sacrosancte decretum in omnibus punctis servare studebo. Et ita sicut ~~[illegible]~~ parata obsequentiam ejusdem Dies exsolvendi summam sed medium una cum provisione per medium compotulata, Collegium Posnaniensi concernentis assignata in Crastinum post Sancti Joannis sub Banitione in primis et proximis Judiciis publicanda ita insistendo Decreto satisfactionem polliceor. Supplex attamen omnem processum venia sub agere liceat bona venia Illmi. Permovit haec Epistola. Quare venit Posnaniam Illmus Palatinus pro termino. Et

Exsolutio Debiti 6000 et Provisionum 2600 florenorum.

secum controversiis praesentavit Summam in Castro Posnaniensi fuit demum in Crastino Natalis S. Joannis Baptistae, Summa 6000 cum provisionibus florenis 2600 numeravit Collegio. Atque iterum mille gratias accepit quoque quietationem a processu Juris ulteriori in Castro Posnaniensi. et ita plurimorum annorum negotium Divina ope hodie tandem conclusum. Consummatumque! Jam

Diluvium

Ao Dni 1736 a Die 8va July ad 14 ejusdem

Julius ultra morem solitum corruscationibus crebris ... multis horridus fulminibus atque toties damnosus. Ad festum visitationis Beatissimae Virginis, obsidebat quoque Dominus Civitatem quae late patuit Civitatem istam imo universam Provinciam in exundatione aquarum plus nimia, adeo. ut facile cognosceremus hanc immissionem aquarum Divinam ~~[illegible]~~ pro peccatis nostris venisse nobis. Ex copiosis primo imbribus assurrexit Varta. ultra suos limites. Atque sensim extra Ripas adeo valido impetu processit, ut intra tres crescendi dies. Cumulos liquorum dictos quateriy. cum damno ingenti protraxerit. Ubi Collegij quoque quaterij ... hausta sunt. Officinam plurimam Muriorum? ... extendit sese sed PP. Carmelitarum in cursis sacram aedem. Alteri die oppressit et superavit ... per fenestras in Templum Majus. Religiosas.

Religiosas. in fugam ardentes egit. quod ipsum praestitit PP. Bernardinis S. Moniales S. Clarae quia aliquantis, dissimularunt impetum, eo res deducerent ut nisi supellectiles sacras seque imprimis navigijs salvassent una simul cum monasterio ~~[illegible]~~ quod per fenestras eas contignationis aquas admisit) aquis involverent. Jam 8ta ejusdem omnia suburbia oppressit, suis domibus expulit possessores. ipsas quoque amplissimas domos. a fundamentis movit tandem etiam rapuit fluctu, de ... Pistorum Walysovia ubi omnia Pontus erant, siquidem etiam PP. Reformati ex altera parte horti non erant ab ... hac immunes. ubi non modo omnia moenia subversa sed et ipsum claustrum ~~ad~~ aliquot cubitis bibit aquas. Cellaria impleta ~~ff~~ fluminibus. Tandem 9na irruit in forum. implevit omnia Civium Cellaria. atque eo crevit ut postquam complesset subterranea ~~[illegible]~~ etiam Plateas oppressit. Et hic jam nulli suo domo aliter prodire licuit. nisi aliquo navigio, idque ex eminentiori loco hoc est ex fenestris domus aut ex ... gradibus. Hic cives primum alij ad S. Martini aedes plerique ad S. Adalberti sese receperunt felices qui tempestive supellectiles ... vinum submoverunt. alias calamitates super calamitatem passi et doluerunt. Etiam praesidiarius miles Saxonici exercitus, pulsus eodem hospe, excessit in suburbia. Eadem aquae copia nostro quoque Collegio perniciosa. Hoc ipso die posterius aliquantum. in aream Collegij tum in fornices Templi et Collegij irruerunt aquae. Dum brevi per fenestras in curtoria et cubiculi inferioris curtorij in Refectorium Culinam. officinas reliquas omnes, ... Quare nulli aditus patuit per fores cubiculorum et officinarum utpote quas occuparunt flumina. Interim res Cellarij anticipate in Sacristia submovimus; alias scilicet ad hortum alias ad curtoria superiora: Refectorij Vestiarij Bibliotheca supellex omnis in curtoriis superioribus conservata. Hinc Refectorium supplevit commune, Cellarium, aliasque officinas cubicula Patrum, Culinam effinxit communi fornaces. Nec Templum ab hac irruptione immune fuit. Postquam ex area Collegij omnia sepulchra aliique fornices venientes aquas hauserit, in plateis crescens unda fecit impetum in Templum atque ita tumultuante et ... fluctu, ut vix Venerabile ad Sacellum deportavimus supellectiles ad interim in eminentiora templi loca ~~[illegible]~~ deferendo. Eminuit tempestas haec in Templo Misericordiae ara in supremo gradu ultra talos. quare sicut intra Collegium ita et in Templo nisi composito navigio progredi licuit. Intra aream substitit in octavo gradu primi curtorij. Ex altera parte Collegij ante fenestras, in muro positos asseres, qui curtorium praestabant. militi praesidiario omnes ... In his angustiis positi, malo aquae furori cedere nos quoque coacti sumus. Expedit scilicet Passo?... Juniores ... non modo Theologi, sed et Patres Veterani atque Scholarum Professores. ubi omnes studiosi dispersi per orbem postquam cives ipsi, nisi aliquot ... Periculi contemplaverat et horum aliquot ... perditi homines, et Civitates omnes effusi. Expedita ... Persona. Tum quia alendi tantam communitatem ... difficultas fuit ... impossibilitas. ubi vel aqua fontibus turbida ... negabat et omnem alium usum. ... interdixit. adeo ut nisi minoribus vasculis ex horto sumeres, certe ... neque ubi ... fuit. Tum quia cum Pagis nulla plane haberi poterat communicatio

catio

catio. Interclusus ab inundatione omnis aditus, et vix angusto navigio spatium dedit. in porta Collegii publica. Dum quia imminebat periculum mor[illegible] bera si communitas [illegible] et colluvie aquae, [illegible] venientibus non submoveret. Relicta interim persona in Collegio 15. scilicet R.P. Rector, Sacerdotes alii quinque. Magistri duo Coadjutores octo.

Atque ita Personae Collegii [illegible] optimi cura evaserunt omne periculum. Multi interim [illegible] subierunt. Multi submersi. praesertim qui securitatem in pinnaculis [illegible] expectarant diminutione [illegible]. quod ultra modum et crevit et miseros oppressit. Plerique vix magna collata Piscatoribus pecunia vitam e Naufragio redemerunt.

Hic igitur effusa super aquas numquam memoranda aliquorum Piscatorum impietas sese ingerit. Lucriones isti etiam Naufraganti non prius manum porrexerant, nisi quem 50 vel ad minimum 30 tymfonibus persolutis impleret. Atque audit quamvis non nemo offerret [illegible] tymfones ut sese periculis involutum eximerent. nunquam surdis cecinit, absorbendusque aquis relictus. Et nisi aucto ad 50 tymfones pretio stipendium aere parando appromitteret, daretque interiret procul dubio, officio Latronum horum in littore expositus promissam cum lacrymis persolvit pecuniam [illegible] impietatem.

[illegible] mortali [illegible] concionatores pro oblata visitationis [illegible] ad PP. Dominicanos. cum oratione dicenda ab uno e Theologis ad PP. Franciscanos in festo S. Bonaventurae. Concionatores invitati pro festo Scapularis B.V. Mariae ad PP. Carmelitas in campo siluerunt, quia et propter [illegible] et hactenus non auditam aquarum [illegible] ob eandem rationem silentio S.M. Magdalenae devotio in Collegio [illegible] quod annis solita celebrari [illegible]. Tandem [illegible] deo diminui coepit inundatio.

Festum S. Patris nostri Ignatii propter diluvium nondum plene imminutum cum in templo celebrari non potuerit solita caruit celebritate.

Ultimo Augusti habita est oratio in renovatione studiorum, inchoataeque Scholae primo Septembris. Verum hae propter grassantes morbos non sine specie cujusdam in urbe contagionis paucos admodum numerarunt Studiosos. Collegium quoque invasit lues, et frequentioribus initium dedit funeribus mors Andreae Kimell Coadjutoris Formati temporalis. Hic annorum aetatis 46. Religionis 15, laboriosi Coadjutoris, et vitae nostris legibus conformis idea, arcularii officio functus praeclare meruit de Collegio. Triclinium arte pulcherrima adornavit, et quidquid ligneae supellectilis in novo cernis Collegio, opus est impigrae manus illius, quam laboribus in Religionis commodum consecravit. Omnibus in viam aeternitatis munitus Sacramentis obiit 9. Septembris.

mors C. Andreae Kimell

Funus istud secutum est aliud, a pluribus deinde excipiendum. Ludovicus Skopowski Scholasticus approbatus, annorum aetatis 26. Religionis 11 Theologus anni 3tii, ante Sacerdotium, quod toties desperaverat, matura caelo victima decessit 15 Septembris. Breve Religiosae vitae tempus eximia virtute compensavit, moribus ultra aetatem auxit. optimam spem de se Religionis, probitate morum, quibus meliores vix desiderari possunt, e legum nostrarum praescripto, egregiis talentis. multorum percita [illegible] aluit, sed immatura mors in flore aetatis succidit.

mors Ludovici Skopowski

Iam frequentes in urbe mortes impigram operariorum nostrorum evocaverunt operam. Ex inundatione enim orta fames, famem secuta mors contagionis speciem praesetulit. Hinc ad Charitatis subsidia descendit Collegium. liberalius ultra solitum confluentes ad januam pauperum turbam aluit, quae nonnisi morte potuit diminui, ad quam Christiano ritu obeundam indefesso labore ingenti multitudini numero impares, alacri virtute pares operarii nostri morituros juverunt.

mortes frequentes in urbe, et labores nostrorum

116

Ultimis Septembris intermissa propter diluvium in Julio Studiosorum examina instituta sunt, hae subsecuta publica ad altiores classes emeritorum promotio habita ab uno e Rhetoribus Oratione, priusquam promulgarentur promoti.

Promotio Studiosorum.

In Octobri insignis ab errore Luteri ad Ecclesiam revocatio emicuit. Guilhelmus Kihl faber operam suam in Collegio nostro locaverat, adeo pertinaciter Luthero addictus, ut contractui apponi voluerit cautelam, ne ob fidem a nostris impeteretur. Vicit tandem Divina Bonitas hominis pervicaciam, et morbo prostratum saniora cogitare coegit. Vivum adhuc vermes depascebantur, saepius e visceribus per hiantes erepsi fauces, et fortius vermis conscientiae arrosis contumacem animum: advocato Sacerdote ejuravit Lutherum, et ubi pestem hanc evomuit, metum omne recessit, plenèque aeger convaluit.

Mirabilis conversio Lutherani

Eodem mense singulare patrocinium S. Valentini expertus est quidam Studiosus, morbo caduco citra spem convalescendi laborans, ubi vinum, in quo ejusdem Sancti lotae erant reliquiae, bibit, plene convaluit, nunquam postea simili morbo tentatus.

Patrocinium S. Valentini contra morbum caducum.

20 Ejusdem mensis faber murarius circa altare S. P. Ignatii laborans de summitate decidit fracto asere, non sine ope divina, ejusdemque Sancti circa cujus aram laboravit servatus, vitae periculum alicujus temporis morbo evasit.

De summitate altaris decidens mortem evasit.

Mulier quaedam infantem ex peccato conceptum, recensque natum, metu infamiae suis ipsa strangulavit manibus. hoc in opere adjutrices lamias inferni, vultu aethiope, habituque pullo testante habuit. quae tum stridore dentium, tum truci aspectu se ad scelus instigabant. Crimen suum, remque totam Confessario deinde aperuit, multo fletu Dei misericordiam implorans.

mulier infanticida paenitens.

Eodem mense summae censuales levatae sunt. 1. Ex Bonis Stawiany sex millia fl. Pol. 2. ex Bonis Willewo tria millia. 3. a Judaeis Pyzdrensibus 886 fl. Pol. et gr. 20.

Summae levatae

In Novembri festum S. Stanislai Kostka solita devotione celebratum et numeroso concursu populi, etiam de prima nobilitate. Dum hanc solenniorem religiosis habuit Persona quaedam. Haec gravibus implicata noxiis multo tempore a fideli peccatorum confessione impediri se experta est; singulari quodam instinctu ad Patrocinium S. Stanislai Kostka confugit, illiusque ope ad sinceram, animosamque confessionem impelli se sensit. quod sancte praestitit, et sacram hanc suo Tutelari lucem beneficii memor confessione, communioneque solennem egit.

ope S. Stanislai Kostka ad confessionem sinceram personae quaedam devenit

December fatalis Collegio fuerat: 5 enim mensis hujus Joannes Zaydlicz Scholasticus approbatus annorum aetatis 25, Religionis 10 Theologus anni secundi post febrim malignam, qua diebus 12 exercitus, pustulis petechiis emarcuit. Sacramentis omnibus tempestive provisus, et confessione generali, quam, semper paratus mori, in scriptum redegerat, piissime peracta, inter eximios heroicae in Divinam voluntatem resignationis, aliarumque virtutum actus, composito ad pietatem vultu plane in ultimo agone sibi praesentissimus praeeunte P. Praefecto

mors Joannis Zaydlicz

Spiritûs elicitos mortem vitæ non dissimilem obiit. Heretico Patre natus, nondum pueritiam egressus nostris ad primum eorum aspectum insolita affectûs teneritudine adhæsit, fassus postea, eo statim tempore se vocationem concepisse ad Societatem. Erudiendus Ministello Lutherano oppidi Swarzedz â Parente traditus, altiore providentia custoditus, ne cœnam sumeret hæreticam. quam ut effugeret, ad Sacerdotem Catholicum ejusdem oppidi confugit, et ejurato Lutherô, angelico pane refectus est. Multa deinde â Patre martyr miserennis ob fidem passus, non puerili constantia pertulit, neque blanditiis, neque minis â Christo, ejusque fide avellendus. Eô furoris devenit Pater, ut minorem Sclopum glande plumbea onustum in filium exoneraverit, sed ictus furori Paterno non obsecutus â scopo erravit. nostris deinde scholis traditus Patris ab impiis conatibus labefactandi fidem in filio deterriti nutu, vidit in somnis Christum Judicem pro Tribunali assidere, omnesque, sed præcipuè Scholarum Collegii nostri auditores vocari ad judicium. quorum catalogum P. Franciscus Koczorowski tunc studiorum inferiorum Præfectus manu tenuit. pronuntiatoque uniuscujusque nomine, illum Angelis, alium dæmonibus ad Christum Judicem pertrahendum committi. Tremulus ille tragicam spectabat scenam, expectans, quid de se fieret? Ecce verò audit suum pronuntiari nomen, et angelis â P. Præfecto advocatis se committi. Evigilans agnovit, quò res spectaret, et totum se Spirituali curæ P. Francisci tradidit, â quo ad Societatem directus, non priùs hanc adiit, quàm ingentes difficultates superâsset. Infremuit Pater ad hunc nuntium, hactenus erroris sui desertorem, jam impugnatorem veritus in filio; vincula et verbera adhibuit, et ubi hæc non profuere, probrosis obsequiis, gravî ad tenerum cor prosternendum telô, usus, pascendis tanquam filium prodigum admovit porcis: tandem neque his fractum ad Academiam Cracoviensem expediit ratus morâ enervandum Juvenis animum. Diversa mente â Parentis voto iter hoc arripuit lætus propiorem se fore Tyrocinio Societatis, ideoque faciliùs illud aditurum. Literas proinde â nostris sui commendatorias enixè expetiit, et impetratas Matris Catholicæ filii desiderio faventis industriâ scitè abscondit, cum quibus vigilantes superse è Patris nutu oculos effugiens ad Religiosum confugit asylum. Qualem tanta initia vitam in Religione portendebant, talem vixit optimæ spei, et eximiorum, virtutis, ac talentorum, Juvenis. Ingruente morte interrogatus â suo P. Professore: num sibi mors imminens doleret? promptissimè respondit: se quidem libentissimè mori, ut divina voluntas impleatur; hoc unicum se dolere, quòd moriendum sit nondum sacris initiato, et Parente hæretico non converso. Tantus in Juvene hoc convertendæ unius animæ zelus erat.

Mors Gabrielis Gnitowt.

Mortem hanc secuta alia: Gabriel Gnitowt Scholasticus approbatus annorum ætatis 25, Religionis, XI Theologus anni 2di, 20 Decembris, eodem morbi genere, quo superior omnibûs provisus sacramentîs decessit. Probitate morum, accurata legum Societatis observatione, ingeniô perspicaci palàm fecit, quantus futurus esset nisi præcoci fato Religioni raptus ad Civium Supernorum Societatem transferretur.

Conversio cujusdam fœminæ ante mortem

Domesticam Sanctorum mortem pia extraneorum, nostrâ dispositorum operâ secuta est. unius reliquis singularior. Mulier quædam ætate septuagesimum annum supergressa, religione Lutherana, longiore tentata morbo, ubi in agone constitit, repente se mori non posse, nisi in fide Catholica intermortua voce asseruit, jussitque aliquem è nostris acciri. Advocatus Pater ægram sensibûs nondum destitutam reperit, in fidei nostræ articulis instruit. sæpius interrumpit ægra, instare vitæ finem ait, ideoque, ut acceleret, petit. tantô desideriô Ecclesiæ reddi æstuabat. Tandem ritè disposita, â noxis et hæresi absoluta, cum mortis imminentis non appareret periculum, differri communionem in diem sequentem passa est; hanc ubi postridiè sumpsit, Sat fui potens, quasi non aliud, quàm angelicam refectionem in vita expectâsset, immediatè placidè in Domino quievit.

Mors infelix cujusdam fœminæ

Piam hanc mortem misera alia Catholicæ fœminæ excepit; quæ morti proxima, neque sacerdotem advocari desideravit, neque advocatum passa est; verùm conversa ad parietem, ubi aut Sanctissima JESU et MARIÆ nomina, aut aliquid pietatem redolens â Sacerdote suggereretur, solum stridorem dentium reponebat; quem toties intermisit, quoties Sacerdos conticuit, repetiit repetente salutaria Sacerdote, interque eos fremitus æterno dentium stridori præludens efflavit animam.

Annus Domini 1737

A.R.P. Francisco Retz Præpositô Generali
R.P. Ladislao Żettowski Præpositô Provinciali
R.P. Joanne Cywinski Rectore Collegii

Aluit hoc anno Collegium Personas 75. Ex his sacerdotes 21. Scholasticos Theologos 38, Magistros 3. Coadjutores 13

Novus Rector R.P. Joannes Cywinski

Festô circumcisionis ajitate solemnitate absolutô, altero die, nempe 2 Januarii fasces Collegii R.P. Nicolaus Naramowski deposuit in manus R.P. Joannis Cywinski. Approbatus hic plurium Collegiorum gubernus Pater, ubique Personarum commodo solicitè intentus, de Collegio isto præter multa alia vel in hoc optimè meruit, quod novum collegium ab initio statim Regiminis inhabitare personas fecerit, post minus commodam ultra 100 annos, et longè ampliùs in antiquo habitationem. tandem fasces, simul ingens suî in omnium cordibus reliquit desiderium, dignus qui nunquam imperare desineret, privatus in hocce Collegio elegit habitare. Spem gratiosi Regiminis sub Joanne concepimus.

Mors Josephi Boryslawski

21 Januarii Josephus Boryslawski Scholasticus approbatus annorum ætatis 52 Religionis 5 Theologus anni 1mi brevi morbo tentatus obiit. Subitanea ferè mors videri poterat, nisi illi contigisset, cujus Religiosæ vitæ quinquennium pluribus virtutibus auctum senium æquare videbatur. Ut primum morbi sensit initia, illico generali confessione expiavit conscientiam, vota insuper renovavit, ne quidquam ad beatam mortem desideraret; tandem munitus omnibûs sacramentîs, dum reliqui ad sonum campanæ evigilârunt obdormivit in Domino.

Votum ad S. Rosaliam primò a nostris deinde â multis aliis

Frequentibûs tam intra quàm extra domum mortibûs, et quadam pestilentis speciê infectionis, territi Scholastici nostri Theologi, votivam affabrè elaboratam tabulam argenteam cum Superioris annutu Divæ Rosaliæ dedicârunt, additô insuper pietatis pactô, ut singulîs diebûs unus è PP. 4ti anni missam celebraret, duo verò è Scholasticis communicarent ante aram ejusdem Divæ. Secuti sunt exemplum istud plurimi breique multa suppellectile argenea exornatum altare Divæ Rosaliæ apparuit, argentô vitæ unionem redimentibûs populis.

Publicæ Supplicationes

Crescente in dies epidemico ferme malo in urbe publicæ supplicationes ab Illmo Loci ordinario inditæ sunt per omnes Ecclesias; quæ etiam in nostra Ecclesia usurpatæ quotidiè in primo Sacro. Scilicet recitari solitæ de Nomine JESU Litaniæ cum orationibus ad SS. Tutelares contra morbum epidemicum, tum cantatum trisagion, et prosa ad B.V.M. Stella Cœli vernacula.

Illmo Josephus Kierski Suffraganeo Posn. dedicata panegyris.

In Februario Illmus Josephus Kierski Episcopus Bolinensis Suffraganeus, Officialis, et Custos Cathedralis Posnaniensis solenniter in Episcopum consecratus, à Collegio ipso die suæ consecrationis panegyri adoratus dedicante laborem suum P. Professore Poëseos, postridie à Juventute Scholastica salutatus.

In Martio Triduum bachanaliorum usitata Ecclesiis nostris devotione absolutum est, huic successit devotio Confraternitatis cordis JESU multa populi pietate insignis.

Evita à Civitate mansio et eleemosyna pro egentibus.

Aucto numero egenorum fame pereuntium, non animabus tantùm liberalem operam impenderunt nostri, sed corporibus etiam; ideoq; quà publicè è sacris exedris, quà privatis persuasionibûs inducti sunt primores civitatis, et domos, ac hospitalia extra urbem infirmis, egentibusq;, simul annonam, et alimenta providerunt.

mors P. Stanislai Naramowski

In Aprili iterum nostrorum funera. P. Stanislaus Naramowski Coadjutor formatus Spiritualis, annorum ætatis 36 Religionis 18 omnibûs munitus sacramentîs placidissimè quievit in Domino. Eluxit in eo singularis vitæ innocentia, hujusq; index verecundia, modestia, illeq; religiosi silentii amor, ut ne lapsus quidem respenderit. Continuò vexatus morbô, etiam conqueri non est auditq; communi mensa victitans nihil sibi præter frugalem cibum apponi passus unquam. mortuus 25 Aprilis intra Octavam Resurrectionis Christi ad regias agni dapes post continuam in vita abstinentiam se transtulit.

mors P. Stephani Scramiecki

Altera die, id est 26 Aprilis dolendô omnibus fatô, optimè de Polona Societate meritus P. Stephanus Scramiecki exstinctus est. Hic 4 Votorum Professus annorum ætatis 79, Religionis 65 maturam annîs et virtutibûs ætatem transmisit ad Superos. Vir enim erat consummatæ virtutis, et eruditionis, Patientiæ discipulus, et Magister, acerrimus, quà librîs editîs, quà disputationibûs, quà privatîs colloquiîs hæreticorum persecutor, quorum complures, ut nobiliores, ita magis pervicaces ad Christi reduxit ovile. Legitur adhuc multa approbatione, et famæ Societatis augmentô zelus ipsius in vulgato typîs libro polonico, et latino idiomate, quem, Nudam veritatem contra palliatos hæreticorum errores appellari voluit. Christi patientis, potissimum autem incarcerati cultor eximius, quem Patrem consolationis præsentissimum fassus est se semper experiri. Cultui S. Michaëlis Archangeli specialiter addictus, quem Patronum Provinciæ constituit, ejusq; cultum altaribûs compluribûs imaginibûs, statuîs, ex eleemosynis sibi oblatis, promovit, ac dilatavit; decorem Domûs DEI, tum Posnaniæ, tum Petricoviæ, tum alibi, perquam eleganter auxit. Pauperum Pater dici meruit, quibus liberales eleemosynas, iis præsertim, qui mendicare erubescunt, alienâ manu, ut author liberalitatis lateret, erogabat. Zelum non disparem primævo nostrorum Spiritui prætulit, in confessionali etiam in ultima senecta assiduus, in missionibus obeundis etiam septuagenariô major, alacer.

Cum Polonam Societatem Provincialis regeret, nullum in via prætermisit festum, quo aut principiis fidei non imbueret rudes, aut pro vehementia Spiritûs ad concionem non diceret. Plurium Collegiorum Rector, ubiq; Rector charitatis, collapsa collegia in optimum statum reposuit, hostes barbaros Collegiorum bona vastantes comitate, et prudentiâ ad humanitatem coëgit. De severiore literatura optimè meritus, quam pluribûs annîs docuit, et universâ Philosophiâ publicæ luci donatâ subtiliter, et utiliter exornavit cum magna eruditionis suæ etiam apud exteros fama. Nec minus de re ascetica piissimîs, et divino plenîs Spiritu librîs meruit. Hinc eam sibi reverentiam apud Regni Proceres conciliavit, ut eum sibi expetere, et tantùm non eripere cuperent. Hæc verò omnia ingenitâ sibi eloquentiâ, morum comitate, vita ubiq; exemplari promeruit. Romam bis à Provincia expeditus, primò ad Congregationem Procuratorum, secundò ad generalem cum Electoris munere et suffragio, quo in præsenti Societatem gubernans A.R.P. N. electus est, orbis Capiti egregias dotes suas probavit. Tandem fractus laboribûs in missione, quam apostolico Spiritu aggressus est omnibûs munitus sacramentîs quievit in Domino.

Lutheranus blasphemus.

In liberandis è carcere curiali, qui hoc anno pluribûs refertus erat, laborârunt nostri. Civis quidam Lutheranus blasphemam in Divos effutiit propositionem, conjectus in carcerem, unius è nostris operâ liberatus est, quòd jurejurando appromiserit se Lutheranam deserturum sectam ad summum post trimestre, cui ob graves causas hic et nunc renuntiare non poterat.

Chirographô dæmoni obligatus resipuit

In Majo ex faucibus plane tartareis anima Stygi devota ope nostrorum erepta est. Officialis exoticæ militiæ (nomen suum taceri voluit.) ut in prœliis securior foret ab ictu, Stygi se fecit obnoxium. sanguine scripsit chirographum, et seductori officiali alteri tradidit. Jam ultra quinq; medius se evolvit annus, dimidia pars avernalis obsequii, cùm stimulis conscientiæ vehementiùs angi, et sua damnare cœpit consilia addictum orco mancipium. Confessarium adiit unum è nostris culpam fassus, ascesi Sancti Ignatii excultus pactum rescidit, aliud suo itidem sanguine chirographum consignando, quo se Deo arctiùs astrinxit, etiam militiam deserturus, ne orco suæ cum periculo animæ militet; posteriore chirographo in altari sub missæ sacrificium reposito sacra synaxi refectus melior è Collegio abiit.

Introductio Reliquiæ S. J. Nepomuceni ad Templum Parochiale

Die S. Joannis Nepomuceni Sacra ad Ecclesiam Collegiatam S. Mariæ Magdalenæ introducta est Reliquia Ejusdem Sancti; à templo S. Adalberti ivit solennis processio, cui etiam scholæ nostræ in Congregationes divisæ cum cereis ardentibus adfuerunt.

Congregatio Provincialis.

Cùm morbô R.P. Rector ab itinere ad Congregationem Provincialem Cracoviæ 16 Junii celebrandam impediretur, R.P. Nicolaus Naramowski per emeritum senium evocatus, abiit Cracoviam, et secum ferenda ad Congregationem accepit.

mors Fabiani Przytnicki

29 Julii Fabianus Przytnicki Scholasticus approbatus annorum ætatis 24, Religionis 9, Theologus anni Imi ad Societatem Civium supernorum abiit omnibus munitus sacramentîs. Juvenis erat et talentorum insignium, et Regularum, ac disciplinæ Religiosæ, amator, observatorq; eximius. Zeli in missionibus brevioribus, quas obiit, illustria dedit argumenta, in Cathechesibus frequentibusq, et pio

ad populum sermone, quam promptus, tam indefessus, cum multo animarum fructu, et famæ Societatis augmento.

Festum S. Fundatoris solennius egimus operante ad aram majorem Pontificaliter Illmo Suffraganeo Posnaniensi, è sacro pulpito laudes S. Patris eloquentissime declamante R.A.R.D. Luca Dalewski. Privatum item sacrum celebravit Illmus Constantinus Moszynski Episcopus Livoniæ Præpositus Cathedralis Posnaniensis, tandem ad Religiosum triclinium invitati magni hospites.

Funus D. Josephi Winkler.

Hoc anno mense Junio illatum est sepulchro nostro funus Prænobilis Domini Josephi Winkler Viri consularis Posnaniensis, qui id expetiit ante mortem, et singulari in Societatem affectu meruit, eorum nominis, et sanguinis, qui primi nostros ædibus suis Posnaniæ receperunt, heres, transmissum ad se erga nostram Religionem affectum constantissime retinuit.

Mors P. Joannis Bardzinski × anno ætatis Religionis. Professus 4 Votorum.

24 Augusti P. Joannes Bardzinski × Professor Theologiæ scholasticæ obiit. Invitatus ut primis sacri solennia, quæ Perillustris Adm. Rndus Constantinus Marszewski Canonicus Cathedralis Posnaniensis celebravit, sacra oratione solenniora redderet, fere æger de Cathedra descendit, et invalescente febri maligna exstinctus est, omnibus ad felicem æternitatem munitus Sacramentis. Vir erat et virtutis et eruditionis summæ, et zeli Apostolici. Doctrinâ Cathedras Philosophicas Stanislaopoli, et Calissii, Theologicam Posnaniæ ornavit, virtute Collegia, in quibus manserat, zelô Civitates Poloniæ implevit. Si quid in Disputatione ferventius dixerat, quo putaret lædi potuisse alterum, illico deprecari consueverat. Quotidie animi sui noxas (: si quas virtutis studiosissimus reperire potuit :) confessione expiabat. Frequenter etiam extemporaneus orator sacrum ascendebat pulpitum, in confessionali quotidianus, in visitandis ægris, et juvandis moribundis indefessus, ne quidquam scholarum occupatione impediente zelum. In convictu domestico nihil illo suavius, affabilitate, humilitate, ceterisque virtutibus omnium animos ad se pelliciebat. Aliquot ante mortem septimanis aliqua adversitate exercita est ipsius patientia. Congregationem maximam suæ curæ commissam argento magna ex parte fur spoliavit; damnum hoc acerrime sensit, tulit patientissime.

Ultimâ Augusti habita est oratio in Renovatione studiorum, et September dedit initium scholis, quæ cessantibus in urbe morbis mortibusque frequentiores numerârunt discipulos.

Mors Joannis Weltzemberg.

6 Septembris David Weltzemberg Scholasticus approbatus anno ætatis 25 Religionis 8. Theologus anni primi, cum vix inchoaret Theologiam, vitam clausit, clarius Deum intuiturus in Cælis, quam in ænigmate Theologicarum scientiarum.

Funus M.D. Wodecki.

25 Septembris illatum est Corpus tumulo nostro M.D. Joannis Wodecki qui nostris amicissimus sibi sepulturæ olim sibi impetraverat.

Festum S. Joannis à Cruce apud A.R.R.P.P. Carmelitas discalceatos nostri tum ad missam cantandam, quam ad Concionem, orationemque latinam invitati solenniter obiverunt.

Anniversaria Die S. Stanislai Kostka Sacrum Cantatum celebravit unus è Capitulo Cathedrali Posnaniensi, panegyrim Divo Poloniæ Tutelari disertissimo ore dixit Perillustris Reverendissimus Laurentius Sumarski Canonicus Cathedralis Posnaniensis.

In Decembri Festum Indiarum Apostoli, et Immaculatæ Conceptionis B.M.V. solita devotione celebratum est.

Hoc anno renovatæ sunt molestiæ elapsorum annorum de thesauro utriusque Palatinatus Majoris Poloniæ. In Comitiis Sredensibus destinatus est thesaurus hic in exsolutionem Contributionis capitalis de Bonis terrestribus pendi solitæ, et quia Bona Spiritualia in hoc favore sunt prætermissa, missa est inhibitio à sacra Nuntiatura ad collegium extraditionem hujusce thesauri vetans. Graviter id tulit Commissio Fiscalis Palatinatuum, quia tamen extorquere à nobis thesaurum non valuerunt non habentibus sublevationem inhibitionis, manifestati sunt contra nos, in Castro Posnaniensi, secuta deinde citatio nostri ad judicia Castrensia, sed ultra minas nihil actum ulterius.

Annus Domini 1738.

A.R.P. Franciscus Retz Præpositus Generalis

R.P. Ladislaus Zoltowski Præpositus Provincialis

R.P. Joannes Zywinski Rector Collegii.

Aluit hoc anno Personas 76 Collegium, Sacerdotes 28, Scholasticos Theologos 40. Magistros 3. Reliquos rei domesticæ Adjutores.

Calendas Januarii solito ritu celebravimus, operatus est ad majorem aram Calendas ..., concionati nostri. P.A.R.D. Butakowski Præpositus Congr: oratorii Posnaniæ, concionati nostri.

In Februario dies antecinerales præcesserant Drammata Professorum inferiorum scholarum. Triduum Bacchanaliorum solita devotione absolutum.

In Martio devotio Congregationis Cordis JESU multâ populi frequentiâ et pœnitentium numerô aucta est.

In Aprili ad missiones Paschales nostri invitantibus vicinis Parochis numerosi expediti sunt.

Majus nihil singulare habuit.

Octavam Corporis Christi solennem fecit Illustrissimus Josephus Kierski Suffraganeus Posnaniensis, qui ordinaturus nostros descendit ad Collegium, tamdiuque mansit, donec ad omnes ordines nostros promovit, id sibi solatio esse asserens si familiari nostrorum convictu fruatur.

Illustrissimus Loci ordinarius ex singulari affectu Collegium nostrum invisit ad breve tempus, reliquitque singularioris benevolentiæ sua argumenta.

6 Julii Celebravit Collegium Canonizationem S. Joannis Francisci Regis apparatu splendido. 5 Julii à prandiis post celebratas vesperas in Templo S. Martini concionemque inibi habitam incepit processio. Præivere primo armata sodalitia artificum, mercatorumque urbis sub vexillis; secutæ sunt Congregationes Studiosorum cum cereis ardentibus, singulis autem Congregationibus præferebatur ferculum punctum vitæ neo Sancti repræsentans. deinde Religiosi omnes ac Clerus numerosissimus, nostrique linteati cum cereis ardentibus; Tum Capitulum Cathedrale cum Illmo Loci ordinario, ac Illmo Suffraganeo Pontificaliter ornatis agmen clausit. Imago neo Sancti pretiosis clenodiis tota adornata ferebas ab Illmo Succamerario Posnaniensi Francisco Radzewski et Illmo Leone Raczynski Palatinida Posnaniensi Colonello S.R.M. et Reipub:; Ubi primum movit Processio intonuerunt tormenta, simili modo ad ingressum urbis, templi nostri, et in Conclusione devotionis. Vesperi ignibusque pyrobolicis egregiô artificiô urbs tota illuxit. Sequenti die Sacrum cantatum celebravit P. Adm. Rndus Miaskowski Cantor Cathedralis Posnaniensis, à prandiis habita est oratio à P. Rhetorices. Octiduum tenuit solennitas, concionantibus

per vices Religiosis. Horis pomeridianis exhibitiones Dramaticæ puncta vitæ neosancti emblematicè repræsentârunt in theatro operâ Professoris Poëseos. In Templo visebans puncta vitæ S. Regis Symbolis illustrata. Die octava utrisq vesperis, et gemina concione, quarum primam P. Rdssmg Leo Moravski Canonicq Cathedralis Posnaniensis, secundam P. Rdssmg Rokossovski itidem Canonicus Cathedr: Posn: disertissimo ore dixit, ac processione solenni devotionem totam conclusit.

Hoc eodem tempore habita est Synodus Diæcesana, in qua constitutum in favorem nostri, ut censor librorum, et examinator Diæcesanq ~~sit~~ in posterum Præfectus Studiorum Collegii Posnaniensis, de juramento præstando requisito â Concilio Tridentino ab Examinatoribq mota est quæstio, et nondum decisa.

Ultima Augusti dies facta est Scientiarum prima, celebrataq Oratione haberi solita in initiis Studiorum.

Indebita vexa ratione Fundi vicini Collegio

In 7bri RP Rector fundum vicinum Collegio ac fossæ Urbis adjacentem prope Ecclesiam Omnium Sanctorum, magnis usibus et commodo Collegii Serviturum Sepimento ex asseribus cinxit, viam tamen malevolorum invidiæ minime præclusit. Invasit ista agrum hunc et quantumvis in Civibus inurbana. Miserant hi ex gremio Sui delegatos qui ex RP Rectore quærerent, quô jure fundum hunc teneamus. Reposuit Collegii Præses: non obligari se illis jus ostendere, satis est, quod ab Annis Centum et ultra pacifice hunc locum possederimus. Minimè contenta responsô Civitas, Religiosorum lucra inter Sua recens dispendia, postulato alteri minas superaddidit. per quosdam Nobiles quasi amicos ad Collegium nostrum expeditos hoc declarando. Si Collegium jus Suum non ostenderit, Totam Sepimenti machinam ferro a Se Succidendo omnino ruituram. Contempsimus prima fronte minas dein malo alicui obviando, jus sollicite quæsitum inter Collegii monimenta sed nullatenus poterat inveniri. Suscepit tandem adversus indebitam vexam Deus tutelam nostri, providè, ac opportunè et fere hâc ipsâ die qua præmeditatum facinus perpetrare in voto habuerat Civitas, suppeditando monimentum ad id necessarium ~~quod~~ sollicite quæsitum, casu inventum. Igitur ut loquentium iniqua linguas obturasset, ac meditantium mala conatus confudisset. RP Rector, jus produxit vidit Civitas, legit, veritati Subscripsit, ac non sine rubore Collegium pro indebita vexa deprecata.

Mors Illmi Hosii Epi. Pos.

In 8bri Illmus Reverendissimus Stanislaus Hosius Episcopus Posnaniensis Varsaviæ, generalium Comitiorum tempore cum dolore præcipue Serenissimæ Majestatis avitum pedem astris intulit ac ex illa Civitate in Cælestem migravit Jerosolimam. Fatum illius Secuta post paucos a declaratione Mortis dies Electio Administratoris, Electusq fere unanimi consensu omnium votô ac magnô Societatis Solatiô Illsmus Adsmus Josephus Kierski Suffraganeus et Præpositus Cathedralis Posnaniensis Magnus Religionis nostræ amicus et Patronus.

Administrator Illmq Kierski.

Lapidea donata Collegio

Hic post aliquot Menses benevolentiæ Suæ dedit argumentum inscripta Nobis Suâ lapideâ quæ contigua est lapideæ nostræ immediate Scholis adjacenti.

9ber infaustum Nobis nuncium tulit de fatis Celsissimi

Mors Celsissimi Primatis

Theodori Potocki Primatis Regni Singularissimi amici, Protectoris Societatis JESU ac Fundatoris Domicilii Varsaviensis multorumq Collegiorum Benefactoris, doluimus mortem istam, quod non ignoraverimus Unô funere Primatem et felicitatem Nostram ad tumulum exportari.

Literæ den ptæ ratione depositi Palatinatus

Fatum hoc causavit molestiam aliquam RP Rectori ex ratione thesauri depositi apud nos Palatinatuum, quod ne extraderemus inhibitione a Nunciatura lata ac per Celsissimum Primatem Præsulemq defunctos procurata ligamur. Post pia fata ergo istorum Scripsit RP Rector ad Nuncium Apostolicum petens resolutionem, an adhuc inhibitione latâ teneamur cum et Nuncius illam ferens Officio decessent et Procuratores Illius sint extincti Responsum accepit. omnino nos teneri inhibitione cum hæc per decretum in Nunciatura formatum sit lata Porro ejusmodi inhibitiones decedentibus etiam Nuncio et Procuratoribus durant tamdiu quamdiu per aliud decretum non tollantur.

Mors P. Krygier

Itidem hoc Mense infestus rumor Collegium nostrum afflixit et pene exanimavit Rumor inquam de Morte P. Krygier Præfecti Scholarum Vschovæ a Studioso Rhetore Martino Wąsiewicz globô transfixi. Feralem casum non enarro, illius descriptionem Historiæ Vschovensis Residentiæ relinquendo. quod proprie hujus loci est. ad calamum voco Scripserat RP Superior Vschovensis RP Rectori de fatis istis petens Consilium quomodo possit Sanguis innocuus Salvis legibus de Irregularitate vindicari. Censuit Caput Collegii nostri rem totam Illmô Loci Ordinario deferendam cum Supplici libello ut pro Suo erga Religionem nostram affectu et pro rei inauditæ a Sæculis indignitate pænam tanto crimini parem designaret. Interdictum ad metum omnibus incutiendum ne similia tentare audeant Saltem pro toto Vschovensi Decanatu ferendo Annuit Votis nostris Illmus Administrator Interdictum edidit quo non Catholici Solum a Sacris abstinendo verum Calvini etiam fana sua claudendo duabus hebdomadis ligabantur Succedente illius Sublatione ad importunas quorundam Magnatum preces

Interdictum pro toto Vschovensi Decanatu

Festum S Stanislai Kostka solenni consuetoq celebratum apparatu in multa Selecti hospitis frequentia. Sacrum Principale canente Admodum Religiosissimô Patre Nowomieyski Ordinis Prædicatorum Priore Societati Nostræ faventissimo ac pro Sacris exedris Oratore Ejusdem Ordinis Doctore in arte concionandi inter Suos celeberrimô. Hi aliiq quatuor ex eadem Religione excepti in Refectorio ac Religiosâ tractati humanitate.

December Festo S Xaverii Celebris fuit. Diem hanc Principali Sacro Plis Adssmq Dajewski Canonicus Lanciciensis ac Præpositus S Mariæ Magdalenæ exornavit ac Nostri Concionibus decorarunt. Laudatum Adssmum Prælatum ac Primores Urbis RP Rector excepit prandio cui adfuit etiam Adm Religiosus Pater Superior Residentiæ Patrum Discalceatorum Carmelitarum in Platea Judæorum Sitæ.

Festum Bssmæ Imma. Ceptæ

Enituit etiam hoc mense Festum Immaculatæ Conceptæ Virginis Bssmæ singulari devotione Congregationis Mediæ Cultum. Processio cum Cereis instituta in Sacro Rorate majori quam alias pompa propter majorem hoc anno Sodalium numerum. Orationibus Sacris accessit pro fana dicta a Mro Ludovico Chłapowski cum plausu.

Annus Dni 1739

A R P Franciscus Retz Prãp. Grlis.
R P Ladislaus Zołtowski Prãp. Prvlis
R P Ioannes Żywinski Rector Coll.

Personas hoc Anno Collegium aluit 71 Ex his Sacerdotes 18 Scholasticos 36 Magistros 3. Coadjutores 14.

Festum Novi Anni

Exordia Anni hujus sub auspiciis gloriosissimi Nominis Jesu inchoavimus feliciter. Sacrum Principale cecinit Plis Rdssmus Iwanski Cancellarius Posnaniensis Concionem dicente Nostro. Ad Floridissimum Auditorem. Religiosæ mensæ aderant tractati in triclinio Illmus Excellentissimus Dnus Koźminski Palatinus Calisiensis Plis Rdssmus celebrans. Plis MMD Miaskowski Dapifer Vschoviensis Złotnicki et Remiszewski.

Funus Celsissimi Primatis Gnesnæ

Mediis Januarii Ivit RP Rector cum 12 ex Collegio Sacerdotibus Gnesnã parentaturus Funeri Magnificentissimo Celsissimi Primatis daturusq nomine totius Provinciæ grati animi argumentum tanto Fundatori ac Patrono etiam a morte insolubile. Aderantus eo loci Personæ ex variis congregatæ Domiciliis Numero. Officium defunctorum tertio Funeris die more nostro diximus, in Sacello a Principe exstructo. Pios manes propriis manibus tumulo intulimus Panegiricum a RP Wieruszewski conscriptum. dedicavit nomine Provinciæ ipse RP Præses Collegii nostri antiqua et nova eloquentia ab Illustrissimis Executoribus liberales gratias, laudes ex multis Capitibus accepimus præterea nihil

Baptismus Judæi in Templo Nostro

In Februario in Templo Nostro lustralibus undis lotus Judæus a Pllstri Rdo Potarzynski Canonico Collegiatæ S Magdalenæ. Patrinis Prãnobili Dno Potarzynski et Spectabili Dna Stachecka D. Simonis Apostoli nomine insignitus

Festum S Thomæ

In Martio Festum S Thomæ Aquinatis Angelici Doctoris celebre nobis fecit liberalis devotio CC Anni Rmi Theologorum. Ad pompam majorem dignumq tanto Doctore apparatum depingi tabulaturas in Communi variisq Symbolis inscriptionibus adornari curarunt. Auxit RP Rector munificentiã Sua pompam hanc Octavamq Solennem fecit invitatis PP Ordinis Prãdicatorum 4 ad devotionem primo in Communi Theologorum instituendam. deinde ad prandium in Religiosumendum triclinio.

Fundus S Gertrudis

In Aprili RP Rector Prãnobili Civitati pro fundo S Gertrudis juxta datam Solutionis declarationem adhuc a RP Miaskowski protunc Rectore Solvit Flor. ducentos. annô etiam elapso alios ducentos. Restant adhuc solvendi floreni quadringenti.

In Majo Exercitus Saxonicus Varsaviã hâc transiens in

Patriam Suam tribus diebus Substitit in bonis Collegii

Palatini Posnaniensis adventus

Junius Majestatem Suam habuit ab adventu Illustrissimi Exellmi Domini Dni Antonii Poninski Palatini Posnaniensis cum Sua Consorte ac Filio Illmo Capitaneo Petricoviensi. Hospites in Templo nostro Salutavit P Rhetorices Latino ac Polonico idiomate Salutarunt cum magno plausu et Scholæ.

Festum S Patris

Julii diem ultimam et labores annuos Coronavit Festivitas S Patris honorata Principali Sacro, habito per Perillustrem Rdssmum Swinarski Custodem Cathedralem, et Concione Matutinô, dicta per Adml. Rdum Rlgsum Carmelitam Calceatum Concionatorem Ordinarium.

Hôc mense miserat RP Rector quendam ex PP gravioribus ad Illmum Generalem Majoris Poloniæ cum postulato ut velit nos activitate Suâ et efficaci gratiâ ab onere molestissimo conservandi diutius thesauri Palatinatuum liberare, modumq tollendæ inhibitionis porrexit, ut dilicet Palatinatus jus nobis dicant ad Nunciaturam quod nolimus depositum extradere thesaurum, cum vero pro defensione nostri allegaverimus nos decreto Nunciaturæ ligatas habere manus ut Palatinatq curent decretum prioris Cassativum. Egit humanissimas gratias qd illum hoc in negotio adiverimus, promisitq de proviri si acturum ut voti compotes fiamus.

Fossæ in bonis Siekir censibus renovatæ

Bona Siekircensia per Summas temporum calamitates vastata operâ RP Rectoris, ad frugem reduci cœperunt meliorem, cum enim hic Præses advertisset causam sterilitatis in bonis istis maximam fuisse et esse canales et fossas in agris neglectas plane in sylvas abisse liberalem admovit manum ut antiquæ renoventur, et excitentur novæ.

Augustus, Princeps mensium; Archi-Præsidem Provinciæ dedit Collegio: illius finis, exordium labori erudito; more Solito, oratione in Studiorum renovatione præmissa. Interea cum hæc agerentur, Operarii in vinea Domini, pro festo Nativitatis Beatissimæ, tum domi, tum in Missionibus, ex Spinis uvas; ex inculta gleba, auream colligebant messem, Sive cum moribundis ad felicem æternitatem assisterent, Sive cum in Sacro tribunali, pœnitentibus aures præberent.

Causa Zegocciana in Tribunali Serio promovetur.

In Novembri non leviter vexatum est collegium, in Tribunali Petricoviensi. Iterum enim Taliboviana causa â Perillustri Krosnowski resuscitata est, et ad formam judicii ita reducta, ut compulsus fuerit cum Suis Patronis P. Procurator ab ea recedere. Stetit condemnatio Super Collegio. Damna hujus causæ etsi perderetur plenè, non essent Collegii, Sed animarum Domûs Zegoccianæ; ex qua â Benefactrice tanto data fuit Collegio in tutelam, ut ex censu illius fierent Suffragia. Locatio videbatur optima, quia vadem habuimus in Societate Perillustrem Casimirum Talibowski, qui egressus è Societate, in has tricas mobilitate judicii Sui, involvit Collegium, litemq post fata Sua Sterilia, reliquit cognatis, Sanguineq junctis.

S. Xaverii Patrocinium.

Cælitum favor, et vigiles Divorum curæ, erga Suos clientes, devotionem commendavunt. Nempe 2da Xbris Perillustris Reverendissimus Laurentius Swinarski Custos Posnaniensis Cathedræ, Simul ad dicendum Solenne Sacrum Rorate, in festo Magni Indiarum Apostoli, Simul pro majori commoditate devotionis matutinæ, ad capessendam nocturnam quietem in Collegio, invitatus est. Interea cum Prãlatus hic intra parietes religiosos, Somnô Securus fruitur, eadem nocte in residentia illius, incrustatio cum vermiculatis emblematibus, Super lectum ejusdem.

corruit; in quo oppressus lethô, indubiè reliquisset vitam, si ad fatalem casum non accurrisset vigil Xaverius.

Festum tutelare Congregationis mediæ, purissimæ in ortu Virginis, æquè fulgoribus ac fervoribus Sodalium celebratum est.

Annus Domini 1740.

Adm. R.P. Franciscus Retz Præpositus Generalis.
R.P. Ladislaus Zołtowski Præpositus Provincialis.
R.P. Joannes Cywinski Rector Collegii.

Hoc anno Personas Collegium aluit 71. Ex his Sacerdotes 19
Scholasticos 35. Magistros 4. Coadjutores. 13.

Celsissimi Czartoryski affectus erga Societatem.

Purpurascens Infantis Dei Sanguine annus præsens, novam sibi adscivit purpuram, ut princeps haberetur, à præsentia et ingressu cathedræ suæ Celsissimi Principis Theodori Casimiri Czartoryski Episcopi Posnaniensis. Præsul hic pro suo singulari favore et benevolentia erga Collegium, Circumcisionis die, ut cum ducali præsentia, annum gratiæ religiosis inferret penatibus, ad celebrandum gratiosè descendit; ubi Hospes salutatus, panegyrim sui publicè donatam, ac suis honoribus consecratam accepit, remque divinam ad majus altare obivit pontificaliter. In triclinio, humanissimè cum Illustrissimorum corona hospitum prandio exceptus est. Inter quos adfuit mensæ Nobilissimus adolescens Gulcz civitas annorum 18 Illustrissimæ Familiæ in Polonia Nepos, hic pridie ejurato Lutheranismo, in festo Circumcisionis, de manibus Celsissimi Episcopi Sacram Synaxim accepit, utriusque solatio singulari.

Starkovieciana Causa vocat. ad jus.

In Februario Causa beneficentiæ R.P. Stanislai Starkowiecki, qui Provinciæ et Collegiis juxta dispositionem Adm. Rndi Patris Nostri Pauli Olivæ donavit 30 millia, ab ingratis et avaris successoribus, conjunctis affinitate sanguinis iterum post annos 63 ad jus vocata est, et jam post fata boni Patris periculum restitutionis subiit.

Feriæ antecinerales sub tempus devotionis 40 horarum à frequentia hospitum, sua non caruerunt majestate. Siquidem Illustrissimus et Reverendissimus Josephus Pawłowski Archidiaconus Pszczevensis, Officialis Posnaniensis, die dominico; Illustrissimus et Reverendissimus Hurno Abbas Premetensis Sacri ordinis Cisterciensis die Lunæ; Illustrissimus et Reverendissimus Josephus Kierski Suffraganeus Posnaniensis die Martis ad aras litârunt, concluseruntque devotionem 40 horarum.

Pro fundo S. Gertrudis. toti debiti extinguitur.

Ut ex integro extingueretur debitum Prænobili civitati Posnaniensi pro fundo Sanctæ Gertrudis, juxta datam solutionis declarationem adhuc à R.P. Miaskowski protunc Rectore Collegii, solvit R.P. Procurator Collegii florenos octingentos, sicque à tot annis hærens debitum expunxit.

Festa Paschatis, plurimos è Collegio missionarios evocârunt ad labores Apostolicos, æquè nostrorum fructu spirituali ac pœnitentium commodô.

Octava Maji non minus toti Provinciæ Polonæ, quàm universæ Societati celeberrima extitit, Anno Seculari Societatis; huic solennitati privatim absolvendæ Adm. R.P.N. impetravit indulgentiam in forma Jubilæi, Collegium triduanam præmisit recollectionem.

Hospes in Collegio Illmus Grabowski.

In Junio Illustrissimum Adamum Grabowski Episcopum Vladislaviensem humanissimè accepit Collegium, hospitem in Templo salutavit P. Rhetorices.

Novus R.P. Rector.

Exacto plusquam triennali regimine R.P. Joannes Cywinski fasces Collegii deposuit in manus R.P. Mathiæ Lozanowski, Viri post sacras exedras, Philosophicas et Theologicas cathedras; nec non regimine Gedanensis Collegii, ac munere Provinciæ Secretarii, celeberrimi. Auspicatus est ille gratissimum suum regimen. 27 Julii, in ipsoque exordio officii, omnium implevit desideria, qui prius desiderari cœpit, quàm esse.

Festum S. Patris Ignatii Illustrissimorum Hospitum concursus solenne fecit. Sacrum cecinit Illustrissimus et Reverendissimus Josephus Kierski Suffraganeus Posnaniensis. Sacrum Oratorem egit Perillustris Sieninski Cancellarius Archicathedræ Gnesnensis, mane; à prandiis, Perillustris Præpositus S. Adalberti. Omnes, religioso epulo in triclinio cum Illustrissimo Koźminski Palatino Calissiensi, Perillustri Ostaszowski Judice terrestri Posnaniensi, Perillustri Zakrzewski Pocillatore Posnaniensi, nec non aliis Reverendissimis, Nobilissimisque hospitibus, refecti sunt.

Judæi baptismus.

Ex Judaismo ad fidem conversus ætate jam maturior, et Christianis præceptis imbutus, Sanctioribus undis tinctus est in templo nostro 2da Augusti ab Illustrissimo Josepho Pawłowski Archidiacono Pszczevensi, Officiali Posnaniensi. Patrinis Illustrissimo et Reverendissimo Josepho Kierski Suffraganeo Posnaniensi et Illustrissima Zakrzewska Castellana Sztecensi.

Resignatio bonorum Mechlin obtinetur.

Augustus Mensis hic, toti Collegio, tanto lætior, quantò longiori quæsitus labore ac dispendiis. Nempe, optatam nobis resignationem bonorum Mechlin dedit, quam plurimæ annorum decades non tulerant. Hoc modo: Magnifici Domini Dobrzyccy putantes se esse jure naturæ successores prædictorum bonorum, litem intenderunt Collegio, de comportandis munimentis, existimantes illud, tantum modô obligatoriô possidere præfata bona, quæ, olim ab illorum avia Anna Elisabetha, filia Vladislai Maniecki, improli consorte Casimiri Zapolski, resignata sunt Hieronymo Niesołowski (: habetur hæc resignatio ex actis Castrensibus Posnaniensibus per extractum accepta. Et videri potest in iisdem actis anno 1677 post festum Visitationis B.M.V. feriâ 2dâ:) à quo illa emimus; resignationem tamen, propter quasdam rationes non obtinuimus. Huic filii tres erant, unus sterilis vixit; alter Stanislaus procreavit Nicolaum Niesołowski et Carillam filiam, ad præsens consortem Francisci Mierzewski; ab his legitimis successoribus, in Castro Posnaniensi feriâ 6tâ postridie S. Ægidii Abbatis 1740 coram M. Andrea Wyssogota Zakrzewski Pocillatore et Judice Surrogato Castrensi Posnaniensi obtenta resignatio; pro qua præter res devotionis, dati sunt aurei quadraginta. Tertius filius Hieronymi Niesołowski, ignotum, ubi cum suis

x

successoribus haveat, qui pariter obligari deberent, ad renuntiandum juri, quando de illis scietur.

Ultima Augusti, prima fuit laboris scholastici, habita in laudem studiorum oratio, selecto et frequenti auditori.

Periculum ratione limitum inter Kaleie et Jeziora wielkie amotum.

Sexta septembris, evocavit R. P. Rectorem Mechlinum, ad prospiciendum securitati limitum, inter Kaleie et Jeziora wielkie. Ex quo enim inter Perillustrem M. Dnum Mathiam Poninski Capitaneum Babimostensem, et Perillustrem Theophilam de Dziatyniis Szołdrska, Capitaneam Lanciciensem, processus ratione limitum, per compromissum agitari coeperat, justum timebatur periculum, ne cum limitum ductus fiet ab angulari lapide jacente prope viam, quâ Brinô Srzemum iter, nostris campis, præjudicii aliquid intentetur. Evenisset, nisi Præsidis vigilantissimi præsentia discrimen anteverteret. Judicium enim Compromissorium, ex tentorio posito in fundo nostro, exire, et suam jurisdictionem fundare in alio loco, prope lapidem angularem debuit, convictum remonstratione limitum villæ Kaleie facta à R. P. Rectore.

In Octobri, uberioris campus laboris sese aperuit: nam præter aquæductus de novo ad comoditatem Collegii majorem comparatos; materiam ex antiqui Collegii fundamentis erutam; etiam lateraria, injuriis temporum ferè collapsa, unâ cum aula Siekierienti, scandulis ex integro contecta est.

Judæi baptismus.

Novembri celebris festivitate Juvenis Seraphici S. Stanislai Kostka, ad quam obeundam, præter numerosum hospitem, flos urbis confluxerat, tanquam præsentissimi Tutelaris sui à peste. Auxit solennitatem ad fidem ex Judaismo conversus, et in Templo nostro à Perillustri Krall Cathedrali Canonico Sancticivitz undis tinctus.

Combinatio cum Tulcensi Præposito ratione decimæ.

Nobris. Jam si magno Xaverii nomini devotas numeramus animas: fatendum est, aut nullam aut rarissimam fuisse toto anni decursu, feriam sextam, quæ non solennis fuerit apud plurimos; consequenter et ipsa dies sacra Indiarum Apostolo, selecto hospite refecta erat. Triclinium prandiô excepit Perillustrem Rndum Dnum Szlerczyński Tulcensem Præpositum; hic ex prædio Sienovicensi prætendebat decimæ in spica sexagenas quatuor; aut in grano, unam metretam siliginis et alteram avenæ. In visitatione autem 1737 anni duos tantum modios siliginis, et duos avenæ percepit, licet innuat compositionem factam de quatuor sexagenis, non exprimendo nominatim cujus grani. Altera visitatio 1696 anno, 8 Januarii expedita à Perillustri Rndmo Nicolao Zalaszowski Archidiacono Posnaniensi, Protonotario Apostolico, Præposito Costrzynensi, itidem dicit, decimam compositam è quatuor sexagenis, asseritque, quod nonnisi detur actu, una metreta siliginis, et avenæ altera. Præfatus igitur Præpositus juxta antiquam compositionem exigebat quatuor sexagenas siliginis, et quatuor avenæ, idque pro octo anterioribus annis, quibus non percepit prædictam decimam. Sed quia hujus obligationis R. P. Rector nullum fundamentum habuit, convenit cum illo pro anno præsenti, ut sesquimetretam siliginis tantum accipiat; jam verò in posterum, tot illi dabuntur metretæ siliginis, et avenæ, quot erunt cmetones in eodem prædio.

Combinatio cum Præposito Otoroviensi itidem ratione decimæ.

In simili materia, Perillustris Reverendus Dnus Hermenegildus Szczaniecki, Præpositus Otoroviensis, querelam deposuit, etiam antecessorum suorum, pares producens expostulationes, ratione manipularis decimæ. Et licèt in spica et grano

x

aliam acceptaverit segetem, siliginem tamen recusavit, exilitatem manipulorum allegando; prætenditque in grano siliginis metretas 13. hordei 12. avenæ pariter 12. et pisorum metretas tres; cui, propter conservationem pacis R. P. Rector annuit verbaliter.

Exequiæ pro Matre Eminentissimi Cardinalis Lipski.

20 Nobris. Exequiæ, in templo nostro, peractæ sunt, pro Perillustri Magnifica Dnâ Barbara de Miaskowsciis Lipska, Matre Eminentissimi Cardinalis Lipski, ex liberalitate Illustrissimi Koźminski Palatini Calissiensis. Post triduum autem anniversarium celebratum, pro anima Perillustris Magnificæ Dnæ Annæ de Koźmindciis Butakowska.

Scholæ tardius inchoantur.

Eodem mense et sequenti, cum annutu Archi-Præsidis Provinciæ; ob defectum lucis, scholæ de manè, mediâ horâ tardius inchoabantur. In his nihil desideratum sive ad pietatem, sive ad doctrinam studentium, cujus maximè profectus enituit in concertationibus, aliquoties per annum habitis.

Annus Domini 1741.

Adm. R. P. Franciscus Retz Præpositus Generalis.
R. P. Thomas Lichtański Præpositus Provincialis.
R. P. Mathias Przanowski Rector Collegii.

Hoc anno Personas Collegium aluit 65. Ex his Sacerdotes 19.
Scholasticos 30. Magistros 3. Coadjutores 13.

Kalendæ Januarii consuetâ Societati solennitate expeditæ sunt. Auxit illarum devotionem, ipse R. P. Rector zelosissimâ sacrâ panegyri, confluente ad illam undique selectissimo auditore.

Bylewski compedibus onerat.

In villis, Bylewski malus oeconomus, in plurimis notatus furtis, compedibus oneratus est, in quibus diuturniori tempore detentus, tandem liber, in vias suas expeditus.

Breve Aplicum impetratum à Civitate.

Sub idem tempus, Breve Apostolicum impetravit Posnania, ut imminutis summis lapideæ reparaventur. Commissio itaque in hoc expedita negotio; de quantitate tamen diminutionis censuum nondum constat nobis, ob decretum hactenus non promulgatum.

Februarius. Toto triduo Bacchanaliorum, in templo, hospes multus et eximius erat. Primos inter Illustrissimus Josephus Kierski Suffraganeus Posnaniensis, inquilinus in Collegio, propter majorem devotionem; omnibus concionibus et solennitati Sacri summi, ac vesperarum conclusioni adfuit semper.

Devotio Cordis Jesu.

Devotio Cordis Jesu, hoc anno sic instituta; pro meditatione exponebatur Venerabile, ante majus altare; cui nostri qui volebant aderant. Studiosi alternis horis, toto diei decursu, in superpelliceis ante Sanctissimum flectebant. Summum Sacrum et concio in illo, habita. Pridie completorium cum expositione, ipsa verò die post collationem conclusio cum litaniis et salvum fac fiebat.

Judæi baptizati et missiones.

In Martio ex judaismo unus ad fidem accedens ætate maturior, Christianis præceptis imbutus, ipsâ palmarum Dominicâ, triumphanti Domino occurrit, à R. P. Rectore sacro baptismate ablutus. Alii sex variis temporibus eodem ritu initiati sunt. Sed non propriis tantum in ædibus, nostrorum labor arctabatur, sæpiùs excurrit per annum etiam ad missiones, maximè tamen pro festis Paschatis, sequente reduces Christi operarios, non vulgari fructu et famâ.

Resurrectio Christi.

Aprilis. In Collegio magnô Sabbathô post collationem, Perillustris Reverendus Dominus Daiewski Præpositus S. Magdalenæ invitatus, levavit Christum de Sepulchro, finitâ processione Clerus in triclinio refecit vires vitrô vini, assatis pisciculis, mendnulis, et reliquis huic tractatiunculæ consentaneis.

Item ad dispositiones moribundorum frequentissimè; etiam unum è Philosophis in viam æternitatis expedivimus, cui, quia ardenter ante obitum sepulturam in templo nostro expetierat, factum satis, eâ pompa et apparatu funeris, qualis primariis personis rarus est.

x

Elocatio Summæ 4m in bona Swigtniki.

Mense eodem, Suma quatuor millium, olim à P. Stanislao Naramowski inscripta Collegio, in villam Swigtniki, ad tres annos, fiduciariô modô elocata est. Bona hæc munda sunt, neq debitis onerata, cum pascuis et Sylvis Piotrowo contigua, quibus caret nostrum prædium.

R.P. Rector Gnesnæ agit cu Celsissimo Primate ratione nosocomii in Stawno.

In Majo. R.P. Rector Gnesnam abiit, Salutaturus hospitem Celsissimum Christophorum Szembek Primatem Regni, à quo humanissimè acceptus est. Ubi comoda occasione habitâ facultatem petiit, ut nosocomium in Villa Stawno combustum, à nobis curandum, ad aliquem pagum nostrum transferri possit; id ipsum repetita excursione promovit negotium, sed spem tantum fecit, finalem decisionem hactenus nullam.

Festivitas S. Regis transfert.

Festum S. Francisci Regis ob concurrentiam cum Pentecoste, ex novo privilegio, hoc annô celebravimus die, in quam translatum est cum indulgentia, in Templo, ac refectorio.

Professio P. Haczynski

Die SSmæ Trinitati Sacra, Solennem Professionem quatuor votorum emisit P. Michaël Haczyński, in manibus R.P. Rectoris.

Melioratio Bonorum.

In Junio Piotrowi diversorium à fundamentis, casæ duæ ibidem, una in Słuszyna, in Daszewice una, nove erectæ. Stagnum quoq Gorarzewii, limô, Sentibus ac virgultis tantùm exundans, expurgatum, alendisq piscibus idoneum effectum est. Longè majora, circa depauperatorum, annis elapsis pagorum, restaurationem egit, providentissima optimi Præsidis cura; sæpius gementium subditorum abstersit lacrymas, egestatem submovit beneficiis, singulis et vultum benignum et liberalem manum dando. Hæc laborârunt integritati Bonorum, sequentia calamitati.

Milites Ulani vastant bona.

Levioris armaturæ miles regius, ad observandos limites Brandeburgiæ contiguos, à Serenissimo Augusto 3tio, Poloniarum Rege, expeditus, iter per nostras villas arripuit, majori calamitate relicta, quàm annis superioribus facta fuerit. Suadebatur nobis ut Perillustris Blendowski Colonellus, pro incontinentia militis, in castro Posnaniensi ad jus vocaretur, sed ne magis exacerbatus sæviret in subditos, citationi renuntiavimus.

Judæi infamant Studiosos.

Iisdem ferè diebus gravem infamiæ notam, Scholis nostris Judæi inusserant, quasi aliqui Studiosorum, Judæos Sepulturæ mandatos effoderint; falsum deprehensum est, dignissimorum ore testium; quare contra calumniatores perfidos, in Castro Posnaniensi, à Studiosis facta manifestatio, in assistentia Patris Præfecti Scholarum.

Cordis Jesu devotio.

Infra Octavam Corporis Christi, devotio Cordis JESU ita facta est: Feria 4ta, 5ta et 6ta, Sanctissimum pro meditatione exponebatur, nostris, Sacerdoti, ex quatuor cursibus, assistentibus. Studiosi istis diebus per singulas horas in superpelliceis ante Christum Eucharisticum flectebant. Ultra hæc feria 6ta sacrum cantatum fuit, in illo concio, et conclusio post collationem.

Sacrilegus dispositus.

Ad Supplicium fur Sacrilegus, hoc mense à nostris dispositus unus; optimæ resolutionis ad mortem, gratam, multorum annorum, post se, tracturus memoriam.

Lis sopita cu Dnô Karczewski.

Facessivit non nihil negotii, Collegio, unus è primariis civibus Dominus Karczewski, cui, prope lapideam Rybska dictam, fundi partem interceperat; actum cum illo amicabiliter, et munimentum productum, pro parte nostra, sicq omnis sopita disquisitio.

Comissio in causa Mederecensi obtinetur.

In causa Residentiæ Mederecensis, ab Illustrissimo Officiali Posnaniensi Josepho Paćzkowski obtenta comissio in Reverendum Dnum Georgium Wetlant, Comendarium Ecclesiæ Parochialis Mederecensis, ex eo: quod in taberna Residentiæ, Comodum, cum facultate R.P. Superioris, exhibentem comædias honestas, collecta plebe cum fustibus et armis invaserit, fores effregerit, congregatum populum dissipaverit, theatrum scenæ accomodatum everterit, et necessaria exhibitioni, secum asportaverit.

Laminâ templum tegitur.

Ut non tantùm internus Templi nitor et majestas spectatorem oculum ad se traheret, etiam externo laboratum est, cum comparatâ laminâ ærea, Domûs Dei superficies tegi cæperat.

Julius Coronam imposuit Professori Philosophiæ, Solenniter cursum suum consumanti, aliquot Mecænatibus defensiones publicas dedicando; quos inter primus Illustrissimus Josephus Kiełki Suffraganeus Posnaniensis, fuit.

Eodem mense diem diximus ad proxima Judicia Illustrissimo Szołdrski Generali Majoris Poloniæ, ratione census à multis annis non persoluti, à Summa

\# 4entum summas designavit. Quas omnes summas Ludovico designatas à Patre ac in variis bonis locatas, Casimirus omnes levavit: ut patet ex quietationibus authenticis datis à Casimiro; quas in Tribunali produxit R.P. Rector. Sed vicit favor pro parte Magnifici Krosnowski: qui allegabat Ludovico onerata debitis bona Casimiri; sed falso quia nemo processu intentavit Casimiro pro summis ullis a Ludovico acceptis nisi Collegium Posn: pro 15m

⊕ negotium tamen per compositionem x amicabilem terminatum Mediatore P. M. Dnô Andrea + Zakrzewski Oscillatore Posnaniensi.

septem millium ⊕ Pari modo processimus cum Synagoga Posnaniensi.

Electio Novi notarii.

Extinctô fatis Perillustri Magnifico Dnô Lucâ Krzyżanowski Notario terrestri Posnaniensi, congregata nobilitas, ad ædes S. Mariæ Magdalenæ, alium in locum defuncti, voluit substituere Notarium. Sed propter contradicentium vota, et candidatorum copiam, electio suum effectum non est sortita.

Anima è purgatorio apparet Studioso.

Dignum visum est eidem anno inserere, quod superioribus actum est. Posnaniæ incola cujusdam lapideæ, longiori temporis intervallô, nocturnis diurnisq affectus terroribus, ut quieti familiæ prospiceret, justam quantitatem pecuniæ, in missæ sacrificia, eleëmosynas, aliaq pia opera erogavit; sanctâ, tamen hac liberalitate, sibi domesticisq, pacem non emerat. Processit in incutiendis pavoribus Spiritus; tandem, serò licet, cuidam è nostris Studiosis, eandem incolenti lapideam, visibiliter comparuit, antiquus dierum senecio barbâ promissâ, olim ejusdem lapideæ hæres ac Dominus, adhuc certum suffragiorum exposcens numerum. Satisfactum desideriis Sanctæ animæ, neq illa defuit religiosæ humanitati. Nam iterum eidem Studioso se visendam præbens, emendationem quorundam suasit defectuum, amplissimasq, per illum, pio benefactori egit gratias; mox disparuit, neq posthac cum suis terroribus redit.

Licet quævis celebrior per annum festivitas suo non caruit hospite, maxima tamen Universæ Societatis Solennitas S. Patris Ignatii, præcipuos in Templo recensuit, in refectorio liberalissima humanitate tractavit. Sed neq in cœlum parcius Collegium, postquam Societati Nostræ duos, comendavit; ad alias Religiones, plusquam duodecim adolescentes promovit.

Adventus R.P. Provincialis.

Professio P. Chrząstowski.

Augustus. Auxit illius majestatem, Archi-Præsidis Provinciæ adventus, R.P. Thomæ Lichtański. Respiravit ab itinere aliquot diebus Siekierecii, tandem in pervigilio Assumptionis Beatissimæ, hospitem gratissimum salutavit Collegium. In crastinum, in illius manibus, P. Joannes Chrząstowski Professionem 4 Votorum, emisit, Pater verò Felicianus Orłowski, gradum Coadjutorum Spiritualium fecit.

R.P. Żółtowski Hospes in Collegio.

Eodem mense, hospitem munificentissimum, Cracoviâ accepit Collegium R.P. Ladislaum Żółtowski Domûs Professæ Præpositum, qui casulas, pluvialia, et dalmaticas, pretio et arte nobilissimas secum advexit, novumq sacrarium, hac divite et copiosa supellectile exornavit.

In 7bri R.P. Archi-Præses Provinciæ, ultimâ visitationi impositâ manu, hinc movit in Prussiam.

R.P. Rector abit Petricoviam in causa Tuliboviana.

R.P. Rector indesinenter circa bonum Collegii solicitus, in negotio causæ Tulibovianæ, agitandæ in Tribunali Regni, excurrit Petricoviam, quæ, novis repertis documentis iterum eventilata est ad lancem Themidis, et prævaluissent allata ex parte Collegii fundamenta, victorq decessisset ex acie R.P. Rector, si jus et æquum respicerent, non sanguinem et affectum Deputati Judices. Licet enim evidenter ostensum quod Casimirus Tolibowski eandem fratris Ludovici fortunam acceperit tamen decretum est nihil de fortuna fratris eum participasse et per consequens non teneri Casimirum pro Ludovico. #

Nobiles ex comissione requirunt thesauri depositum.

Sub idem tempus, magno nobilitatis concursu, habita duumvirali comissio, ex qua deputati aliquot nobiles descenderunt ad Collegium, nomine totius conventûs extraditionem thesauri Palatinatuum urgentes, ante plures annos depositi; sed idem responsum tulerunt quod et alii, id ipsum olim pertractantes negotium; nempe: quàm primum sublevationem inhibitionis apud Nuntium Apostolicum comissio procuraverit, indefessamq solicitudinem, circa prædictum thesaurum collegii compensaverit, libenter extradetur.

Reparatio Bonorum.

Bonorum reparatio, in aliquibus prædiis anno elapso inchoata, etiam hôc, solerti cura R.P. Præsidis continuata est; nam præterquam, quod boves deductos ex Russia, inter subditos distribuerit, Stagnum de novo Jeziorcii, effosa terrâ restauraverit; etiam lapideam ad Collegium spectantem dictam olim Łącciorum

\#15m ex bonis Tolibowo Collegio solvere: approbatusq decretum prius datum 1732 in vigilia SS. Simonis et Judæ Apostolorum; quo remittitur Collegium pro repetitione 15m ad Bona Ludovici, et injungitur Collegio Posnaniensi calculatio ex possessione Bonorum Tolibowo. Porro hoc anno ostensum est ex documentis: quod nulla bona Ludovici extitit: quia Pater in exdivisione Casimiro immobilia oia, et Ludovico #

x

partim injuriis temporum, partim vetustate collapsam, pristino decori restituit, septem cubicula erexit majori utilitati habitantium.

Ad festa Natalitia Christi, plurimos è Collegio indefessos pro gloria Dei ad varias missiones evocavit labor Apostolicus; strenuè in illis sudatum est, non minori in animabus fructu, quàm missionariorum desiderio, ubiq plausu et Religionis æstimatione relicta.

Annus 1742

Adm R. P. Franciscus Retz Præpositus Generalis
R. P. Thomas Lichtański Præpositus Provincialis
R. P. Mathias Grzanowski Rector Collegii.

Hoc anno Personas Collegium aluit 61. Ex his Sacerdotes 21. Scholasticos 23. Magistros 2. Coadjutores 15.

Annum præsentem ut secundus esset, oriens nomen IESU, confertissima populi multitudine undiq confluente celebratum, illustravit. Hospites illustrissimi nobilissimiq, cum quibusdam Perillustribq è Capitulo Posnaniensi Canonicis, frugalitate religiosâ ad mensam accepti.

Mors P. Woyciechowski.

24 Januarii funesta fuit Collegio, ob ereptum fatis P. Ioannem Woyciechowski 4 Votorum Professum. Vir erat non minùs maturus annis, quàm meritis ac virtutibus grandævq; exculta ætate floridâ humanioribq ac severioribq scientiis, vita ubiq exemplari, aliquot annis è Rostris egit Tullium, deinde Philosophq ac Theologus, præcellenti versatissimoq in omni literatura ingeniô, plures erudivit Cathedras; Rector tandem Bidgostiæ ab humanitate, charitate et regendi prudentiâ inauguratus, triennio Collegio præfuit; deposito magistratu, Socii munus obivit Procuratoris in Jeziorki, tandem invalescente in dies hydrope, omnibus in viam æternitatis munitus Sacramentis insensibiliter defecit.

Condescensio in bonis Tulibow.

Feria 2da post Epiphaniam, iminebat tempus condescensionis per decretum Tribunalis in bonis Tulibovo injunctæ, de quo termino condescensionis literæ P. Procuratoris Causarum nuntiantes, 3. Januarii ad R. P. Rectorem venerunt. Hinc nullus ex parte nostra officium conduci in tam brevi tempore potuit, maximè quod remotiora sint assignata. Quare officium ab Adversario Perillustri M. Dño Krosnowski vexillifero Podoliæ condemnationem super Collegio, in loco condescensionis, non obstante manifestatione Patris ministri jussit publicari.

Lis ratione Parochi Stupensis instalandi cum officio Posnaniensi.

Februarius nonnihil litigii facessivit Collegio cum officio Spirituali, hac de causa: Reverendus Faferkowski Parochus Stupensis, nactq pinguius beneficium, nostrum remisit pristino. Reverendissimus Pawłowski officialis Posnaniensis, in locum illiq, primò gratiosè insinuavit Rndo Patri Rectori quendam à suo latere Rndum Skrzebowski, deinde per varias instantias, urSit ad conferendam illi præsentationem; sed quia prudenter timebat R. P. Rector, ne magis invigilaret Cancellariæ quàm Parochiæ, præfatus Rndus Dnus Skrzebowski, excusavit illum officiosè petiitq ut pro placito suo, quem vigilantiorem censeret, huic demandaret tam onerosam curam. Ad hoc postulatum Rndssmus Officialis subjecit, suæ potestatis esse, non Collegii futurum statuere Parochum, ex eo: quòd Rndus Faferkowski in mense Papali resignâsset beneficium. reposuit R. P. Rector hoc non obesse juri collationis tunc, cùm Curatus in mense Papali, ex uno in aliud se transfert beneficium, sed nonnisi cùm fatis cedit; tandem post multas repetitas repræsentationes, justæ prætensioni annuit, et præsentationem à R. P. Rectore, Rndo Piatkiewicz ad præfatum beneficium instituit.

Tragicus Casus Valcii

In Aprili rumorem accepimus, Valciô, quòd impius homo Brodzki illarum Scholarum Rhetor, et Director Perillustris Adami Szembek Castellani Naclensis, grassator et compotator nocturnus, impatiens disciplinæ scholasticæ, tribq globis instructum sclopum, in suum exoneravit Professorem P. Leonem Brodzicki, cum Magistro Lorecki in atrio Scholarum subsistentem, parùmq abfuit, quin utrumq sterneret è vestigio; nisi arcano quodam nutu divinæ nostris succurrente gratiâ, à scopo aberrâsset. Citatus ad castrum Valcense non comparuit; super contumaci banitio promulgata, sed executionem illius præveniens, subduxit se ex civitate.

altaria S. Josepho et S. Xaverio erigunt

Primo vere statim Domûs Dei decor auctus est, gemino construendo altari admota manu. Alterum enim thaumaturgo Indiarum Apostolo Francisco Xaverio, alterum divinissimo Christi Nutritio Josepho, à fundamentis excitari cœpit, primum liberalitate Illmi Francisci Radzewski succamerarii Posnaniensis, secundum, partim munificentiâ Benefactoris nesciri volentis, partim Illmæ Mariannæ de Zakrzewskie Kierska. Et quod prima inter ornamenta Templi ponendum, plurimæ Sanctorum reliquiæ, hactenus in privato delitescentes loco; aurô et vernice in formam Mausolæorum adornatis reconditoriis (ad fovendam in populo majorem devotionem) repositæ sunt. Ciborium quoq novum multa parte ex veteri restauratum, ostendit, quantum pretiosi decoris templo addidit, cum integrum stetit.

Limites inter Jeziora Kalejce Luciny, inter Srem et Mechlin in Dubium vocantur

In Majo à multis annis revocati in dubium limites, cum Perillustri Poninski Capitaneo Babimostensi, inter Jeziora, Kalejce, et Luciny, et inter cives Sremenses ac villam Mechlin, urserant R. P. Rectorem ad excursionem ut penitiùs possent observari; abiit, lustravit, voluitq amicam cum Ildi Capitaneo inire compositionem, sed in aliud tempus eam differre placuit eidem.

Hospites in Collegio Celsissimq Primas et Illmq regni Thesaurariq.

Idem mensis nobilissimorum hospitum frequentiâ fuit celebris. Primos inter numerandq occurrit Illmus Czapski Regni Thesaurarius transiens Posnaniâ in Prussiam, ex Senatus Consilio Vschovæ celebrato. Invisit Templum nostrum, decorem illius laudavit, audito sacrificiô missæ ad cubiculum R. P. Rectoris descendit, in quo, quâ, par erat tanto hospiti, ab humanissimo Præside, religiosâ exceptq reverentiâ.

Paucis post diebq pariter Vschovâ redux Celsissimus Christophorq Szembek, Primas Regni, primò obiter ad portam à nostris et musicis salutatq, in urbe substitit; deinde Dominico die infra Octavam Corporis Christi, Sacro ad majus altare lectô oratione à Patre Rhetorices exceptus, descendit ad sacristiam, vidit ornamenta illiq, et plausum apparatui

dedit. Postea ad refectorium se contulit, in quo humanissimè variis matutinis potionibus et dulciariis tractatus, extendit tempus affabili colloquio, usque ad processionem ex templo Divæ Magdalenæ in circulo absolvi solitam. Ad hanc assumpto in socium sancti itineris R.P. Rectore, Numen Eucharisticum per plateas, totamque civitatem, cum summa ædificatione populi pedes deduxit. Infirmus aliquantum ex hac defatigatione decubuit, sæpius à R.P. Rectore visitatus, humanitatem gratissimo semper tulit animô; jamque vias Domini cogitavit. Sed ultra spem pristinæ restitutus sanitati Gnesnam abiit, ibidem celebraturus secundas primitias. Ad tam solenem actum, etiam R.P. Rector, in gratulatione descendit, ideo vel maximè, ut captata occasione facultatem transferendi nosocomii combusti evinceret ex villa Stawno, in Archidiœcesi sita (cujus olim onerosam curam à fundatore illius nobis commissam suscepimus) ad bona Stupensia, vel ad aliquam villam Collegii Calissiensis; promisit optatam præstare gratiam, sed non efficaciter, hactenus enim nihil certi conclusit.

Combinatio cum civibus Posnaniensibus.

Julius multorum annorum prætensiones civitatis Posnaniensis ad Collegii lapideas et fundos sopivit hoc modô: prætendebat illa pro contributionibus aliisque symbolis sub tempus incursionum factis, item pro arena, lapidibus et materia calcis ex illius fundis ad construendum Collegium devectis, aliquot millia florenorum; sed quia ab anno 1731 censum à summa 12 millium florenorum, habente in curia sua, non exsolvit Collegio, ideo usque ad festum S. Joannis Baptistæ in anno currenti 1742 utraque pars suas extinxit prætensiones, quietationibus non amplius suscitandis. In futurum autem (excepta lapideâ Plesnievicianâ nullis oneribus subjecta) de aliis quinque lapideis, unâ cum Valcensi singulis annis, pendentur à Collegio civitati floreni 66. ex fundis verò extra civitatem sitis (sterili horto per Constitutiones regni excepto) fl. 45. in universum fl. 111. Vicissim Cives à prædicta summa florenorum 12 millium exsolvent censum. Insuper materiam calcis expensis Collegii effodiendam ex propriis fundis, excoquendamque decies in sua lateraria obtulerunt.

Adventus R.P. Provincialis.

R.P. Archi Præses Provinciæ imminentem S. Patris nostri Ignatii suo adventu solennitatem auxit. Ipsa dies Sancto Parenti sacra, multo hospite refecta fuit; præcipuos inter numerabat in Templo et refectorio Illustrissimum Mathiam Koźminski Palatinum Calissiensem, Illustrissimum Lipski Castellanum Belzensem. Perillustres verò Radonski Capitaneum Rovicensem, Miaskowski geminum Dapiferum et Subdapiferum Posnaniensem, Andream Zakrzewski Pocillatorem Posnaniensem et Judicem surrogatum, Daleszynski notarium castrensem Posnaniensem, Dobrzycki surrogatum Judicem Calissiensem. Perillustrem Swinarski Custodem Posnaniensem, Perillustrem Dobrowski Canonicum Deputatum Judicem ad tribunal regni, et alios plurimos.

Laminâ cupreâ Templum tegit.

Per idem tempus et superficiei Templi accessit insigne ornamentum, integrô ferè expectatum seculô, cum ex lamina cuprea, aureâ verò ope et industriâ R.P. Ladislai Żołtowski Præpositi ad S. Barbaram, Viri in promovendo decore Domûs Dei omnium ore ingeniosissimi et felicissimi, totum templi tectum stetit.

Annus 1743.

Adm. R.P. Franciscus Retz Præpositus Generalis.
R.P. Thomas Lichtański Præpositus Provincialis.
R.P. Mathias Przanowski Rector Collegii.

Hoc annô Personas Collegium aluit 69. Ex his Sacerdotes 28. Scholasticos 22. Magistros 3. Coadjutores 16.

Combinatio Illustrissimi Palatini Calissiensis Koźminski cum Illustrissimo Radzewski Succamerario Posnaniensi.

Annique hic Nominis Jesu celebritate nobilissimorumque concursu hospitum initiatique, etiam sequentis operis fortunato eventui præludit, quod pertractandum ad illius exordium suscepit R.P. Præses Collegii. Intercesserunt à multis annis inter duos Magnates majoris Poloniæ, privatæ animorum dissensiones, ratione quorundam bonorum. Crescebant in dies odia et lites, nec facilè reconciliationi inveniri poterat vel ideo remedium, quod idem jam negotium regni tribunal in cassum combinaverit. Sustinuit ejusdem amicæ compositionis spartam, et celsissimus Regni Primas Theodorus Potocki, opere potens et sermone Princeps, litem attentavit dirimere, sed pars utraque non contenta decisione, irrita celsissimi Primatis fecit desideria. Sancto igitur molimini adscitis in consortium sancti laboris, gravioribus duobus Patribus vires adjecit et animum; et consentientibus Illustrissimis, tam profundè expendit rationum momenta, prætensiones allatas libravit tam prosperè, ut ad unionem animorum deductæ partes, multos è nobilitate ad imitationem, stimulaverint, omnes admiratione suspenderint.

Solennitatem Purificationis B.M.V. auxerunt in Collegio Professione 4 Votorum P. Antonius Szapski et P. Nicolaus Odyniec, hic Canonum ille Logicæ Professor.

Fur in Templo

Providentiæ singulari, vigilique Divorum patrocinio, tribuimus quod evenit. Lutheri dogmatum sectator, arte lapicida, septimanis aliquot poliendo marmora, tandem expeditus abiit in vias suas, sed furti aviditate permotus rediit, et semel atque iterum noctu templum Collegii attentavit ingredi, semper tamen quodam horrore perculsus, decidit ex admoto fenestræ assere. Tertia tandem nocte, vi sibi illata, ingressus tenebrio sacrilegus, verum iterum novo terrore planè exanimatus (ut ipse fatebatur) arrepta lampade majore, et cruce una argentea, altera amissâ in illa parte templi, qua se recipiebat, Posnaniâ aufugit. Captus deinde Czempini, et ab Illustrissimo Generali majoris Poloniæ, tradi jussus civitati Posnaniensi; inclususque publico carceri, hæsit diuturniore tempore, sed Collegium propter exemplum clementiæ Acatholicis exhibendum, accedenti ad Romanam Ecclesiam libertatem procuravit.

apparatus Templi.

Etiam hoc annô Templi et Sacrarii apparatus, notabiliter adauctus est: nam præter pluviale, dalmaticas duas, et tres casulas aurô et argentô affabrè distinctas, iterum à R.P. Ladislao Żołtowski Præposito ad S. Barbaram submissas, à variis verò Benefactoribus 19; etiam duo altaria Crucifixi et B.M.V. de novo extructa, in dies majus ornamentum accipiunt.

Exercitiis Sancti Patris Ignatii, licèt multi tum seculares tum spirituales peracti:

Illmus Radzewski absolvit exercitia S. P. Ignatii.

num operam dederint, primas tamen inter omnes obtinuit Illustrissimus Radzewski Succamerarius Posnaniensis, qui per octiduum solitarius in Collegio, sacrâ ascesi excoluit animam.

Ultimâ Augusti praxi ordinariâ in laudem Studiorum dicta oratio: cui praeter selectum Auditorem aderat Illustrissimus Radzewski Succamerarius Posnaniensis.

Multis ab annis litigium, Srzemum inter et Mechlinum ratione scopulorum gliscebat, tandem mense Novembri ut penitus extingueretur, comissio postuarialis impetrata est, quae post multas controversias ab utraque parte eventilatas, decretum dislimitationis tulit, sed quia praejudiciosum plurium bonorum nostrorum erat limitibus, ideo R. P. Rector protestatione in fundio controversis facta, ab illo recessit, et juris remedia, faventioribus procuranda temporibus reliquit.

Sub idem tempus, R. P. Josephum Kobielski novum Collegii Praesidem salutavimus, quâ Philosophicis, quâ Theologicis cathedris notissimum. hic post fasces Domus Probationis ad S. Mathiam, Sors et Fortuna illuxit Collegio, cujus et regimen 10 Novembris suscepit, tam charitate paterna quàm affabilitate animi praeclarum. Abiit cum Antecessore statim ad Celsissimum loci Ordinarium, ubi natalem Theodori diem, à gratulatione et votis Collegii solennem egit. In vim gratitudinis post Principem affectum, pastoralem pro regimine benedictionem et facultates sine exceptione pro Collegii Patribus reportavit.

Festum S. Stanislai Kostka ut solennius esset, Celsissimus loci Ordinarius in Corona plurimorum ex Capitulo et Nobilitate hospitum, Pontificio ritu ad aras operatus est, deinde religiosa humanitate in refectorio, cum iisdem exceptus est.

In Octobri, M. Dnus Radziminski, Collegium citatione data, ad judicia evocavit castrensia, ratione cujusdam transfugae in Collegio nostro ad officium subcoci admissi, qui deinde circa Aprilem cum sibi fugâ consuluisset, gravius onus respondendi nobis reliquit in judiciis.

S. Xaverii natalem, solenni colimus apparatu: Sacrum cecinit Reverendissimus Dajewski Praepositus ad S. Magdalenam. Refectioni in triclinio cum aliquot hospitibus aderat Illustrissimus Succamerarius Posnaniensis. Dies quoque immaculato Conceptui B[eatissi]mae Virginis sacer, à populi concursu et sodalium pietate celeberrimus fuit; quilicet in processione gemina, triumphales numeroso ordine, suae reginae accendit ignes, magis tamen adhuc filialibus exarsit amoribus.

Molendini, in Piotrowo reparatio, commissa vagabundo homini, duplex attulit damnum Collegio, praeter enim expensas, in parata pecunia supra mille florenos, in egsum factas, praeter plura ligna ob defectum artis nulli usui relicta, etiam in uxore subditi nostri intercepta à malemorato lignifabro transfuga damnum pati debuimus. Quare ex novo contractu, reparationem dicti molendini tectique committendam R. P. Rector censuit molitori ex coetu molitorum Posnaniensium delecto adjecta in contractu

De fundo Bursae nostrae donato

In judiciis forensibus hic mensis nobis rigidus contigit, ratione certi fundi Bursae nostrae donati. Causa ab illustrissimo Generali Majoris Poloniae abjudicata, et jus in fundum successoribus Domini Winkler attributum, ex eo quod haeres praefatum fundum prius alteri cuipiam vendidit, deinde donavit Bursae.

Processus juris cum Perillustri M. Dno Krosnowski tandem per media pacis finitus est. Obtinuit ille in tribunali Petricoviensi, super Collegio nostro

condemnationem

condemnationem in causa Tuliboviana, quam viâ appellationis, à duobus decretis tribunalitiis, ad tertium efficaciter defendere non potuimus ex eo, quod totam Justitiae libram in partes Perillustris Krosnowski favorabiliter inclinatam manifestè vidimus; unde praeelegimus potius eandem non attentare, quàm tertio decretô, et simpliciter abjudicari et gravissimè per omnia puniri.

Zelus Collegii nostri specialiter hoc mense enituit: nam praeter festa S. Barbarae et Immaculatae Conceptionis B[eatissi]mae, Nativitatis Christi solennia, plures ultra 20 missiones nostrorum sibi vendicarunt.

Annus 1744.

Adm. R. P. Franciscus Retz Praepositus Generalis.
R. P. Thomas Dunin Praepositus Provincialis.
R. P. Josephus Kobielski Rector Collegii.

Hoc annô Personas Collegium aluit 68. Ex his Sacerdotes 28.
Scholasticos 20. Magistros 4. Coadjutores 16.

Mors Virginis Swinarska

Exordium anni hujus, fuit epilogus vitae Virginis Swinarska. Testimonio Patris Spiritualis virgo fuit mente et corpore integra, ac ab omni labe mortali immunis. A Novembri praesentiens instare mortem, disponi ad illam decrevit, hinc crebrius templum visitabat, plura sacra audiebat, frequentius confitebatur, comunicabat. Domi meditationibus, examinibus, lectionibus sacris, et piis colloquiis de morbo et morte potissimum, animam quotidie disponebat ad agonem. Finem decembri posuit triduanis collectionibus ad votum perpetuae castitatis (quod impetraverat) emittendum, et praemissa confessione generali totius vitae; ac emissô votô, nihil amplius cupiebat, quàm dissolvi et esse cum Christo. Integris tandem tribus diebus et noctibus à nostris Patribus (ut rogaverat) disposita, extrema unctione et Viaticô refecta, inter pia Christi Crucifixi oscula abiit in viam aeternitatis, ipso festo Sanctorum Trium Regum. Proximè post mortem apparuit moniali S. Norberti in Owinska sorori suae, dixitque se detentam in purgatorio, ex eô, quod circa agonem cuidam tentationi negligentius restitisset.

Revisio thesauri Palatinatuum.

Vexatum multoties Collegium ratione thesauri Palatinatuum, quasi illum summam dilapidasset, ideo hoc anno ad eluendas plurimorum fabulas et evidens religiosae fidelitatis argumentum intaminati thesauri obtulit se occasio hôc modô. Illustrissimi Comissarii, cum Illustrissimo Palatino Calissiensi Mareschalco, dum ad praefixum comissionis tempus confluxissent Posnaniam, audito in templo nostro, cantato sacrô à Collegio salutati sunt. Primam officii sui actionem inchoarunt à depositione juramenti 44 deputatorum. Deinde disceptabant circa revisionem depositi thesauri Palatinatuum in Collegio nostro haerentis, quam stante inhibitione nuntiaturae, censuerant Patres Conscripti vel negandam simpliciter, vel cum summa difficultate et arcanissimè idque paucissimis ad hanc revisionem Deputatis concedendam, potissimum ideo, ut infames Societati rumores malevolorum, de distracto magna parte, vel notabiliter diminuto, in privatas templi et Collegii expensas aerario Palatinatuum, falsitatis convincerentur. Itaque à Commissione quatuor Deputatis 1mo locum in quo clausa murô ab annis 9 pecunia erant ostendimus. 2do murô directô, thesaurum in cistulis quercinis depositum aperuimus. 3tio Apertum thesaurum magno integrae noctis labore, ex eo quod cistulae quercinae, carie exesae, locô motae, decidentium foraminibus aurum, pulveribus terrae miscebant, novis paratis scriniis, in praesentia quatuor deputatorum inclusimus.

4to translatum aliò, lustrandum et numerandum postulavimus, non sinè magno etiam minimi decessûs, qui fidelitatem nostram in dubium vocaret timore; sed divinâ gratia protegente innocentiam nostram, post seriam idq repetitis vicibus auri calculationem; post rigidam quantitatis summæ ad depositum ab ultima inchoatioe commissione ad præsentem usq, importatæ investigationem; tandem post lustrationem summarum deposito hocce contentarum et elencho Actis Castrensibq Posnaniensibus roborato specificatarum, non tantum absq ullo decessu, sed etiam cum notabili, integra ut specificabatur pecunia, incremento reperta, quia stupentibq Illustrissimis Commissariis, plura quam 40 millia accrevere. 5to Sic numerata cum suo etiam incremento integra pecunia propter tutiorem conservationem, paratis ad id consultò æreis lagenis imposita, clausa, et pluribus sigillis Illustrissimorum Commissariorum munita, ad depositum Collegio consignata, cum adjectis in vim gratitudinis Collegio 100 aureis, Templo triginta.

Coronationis dies Serenissimi Regis anniversaria.

Anniversaria Coronationis Serenissimi Regis nostri dies, auxit Templo nostro solennitatem. Illustrissimus enim Palatinus Calisiensis Mareschalcus, cum tota commissariorum Staba, ab Illmo Suffraganeo Sacrum Cantatum solenniter audivit, publicis pro felici successu Regni supplicationibus interfuit, et Pastorali benedictione accepta, totam Stubam liberalius tractavit, propinantibus Serenissimo Vivat tormentis.

Juliboviana Causa tandem composita.

Hoc annô processus juris in causa Juliboviana tandem extinctus est. Aliquoties ad Regni tribunall movimus, semper cum damno Collegii. Duplex jam decretum sibi favens nobis injuriosum Perillustris Dñq Krosnowski obtinuit; procul dubio, obtinuisset et tertium, in pejus malum Collegii. Ex consilio igitur Jurisperitorum R.P. Rector amicabilem cum illo statuere decrevit compositionem. Quam primum hospes venit Posnaniam præfatq Perillustris vexillifer, illico R.P. Rector ex parte Collegii invitato Perillustri Reverendissimo Swinarski Custodi Cathedræ Posnaniensis, ille ex parte sua, Perillustri Zaydrzewski Canonico totaliter litem componendam commisit. Certatum utrinq rationibq et documentis, unâ et alterâ ferè septimanâ, tandem ultimato conclusum est ut redimendo vexam Collegium, ratione calculationis iisdem in bonis numeravit in parata pecunia

Boleslai Chrobry exuviæ exhumatæ, iterû sepeliuntur.

In majo, exuvias Boleslai Chrobry Ducum Poloniæ ultimi, Regum primi, à septem sæculis et ultra in Cathedrali Ecclesia conditas, et suo cineri insepultas, pietas Illustrissimi Capituli exhumavit. Reperta erant in Mausoleo tres urnæ, una Regis, secunda Reginæ, tertia filii supponebatur fuisse; et purgato decentius loculo, post solennia funebria, suo iterum Mausoleo inclusæ sunt.

Fung Illmi Pawłowski Lvoveci.

Ima Junii Illustrissimi Adami Pawłowski Castellani Biechoviensis celebrata est, ad hoc nostri etiam Patres sumptu Collegii, duodecim expediti, eidem Illmo parentârunt Lvoveci.

Blasphemi cujusdam executio.

5ta ejusdem mensis, tragica executio cujusdam hominis blasphemi, ex bonis Illmi Mycielski Castellani Posnaniensis, in urbe peracta est. Multis vicibus Patres adierant miserum et nunquam non dolendum in sua caecitate hominem illum, motivis et rationibq variis ad agnitionem veritatis, detestationemq blasphemiæ inducentes, sed semper animum pertinacem ad sua invenerunt desideria. Judicium igitur Magistratûs Posnaniensis decretum tulit ut 1mo in theatro ad hoc constructo averso vultu elinguaretur. 2do ut candentibq forcipibq blasphemum os laceraretur. 3tio ut vivq extra urbem cremaretur. Omnia ad effectum deducta.

S. Ignatii celebritas frequentissimo hospite in templo culta et aucta, primis verò è nobilitate invitatis viris illustribq in triclinio, cum religiosa modestia ad refectionem, peracta est.

More solito ultima Augusti habita in laudem Studiorum oratio coram numeroso Auditore.

Pro festo Nativitatis Beatissimæ, ad missiones à variis Parochis nostri invitati abiverunt, quas non solum cum fructu singulari populi, sed et cum laude magna Societatis absolverunt.

Festum S. Stanislai Kostka solenne fuit multorum concursu nobilium, selecti deinde, religiosâ mensâ accepti.

Non minori cultu populi undiq confluentis et Sancti Xaverii absoluta devotio.

Annus 1745.

Adm R.P. Franciscus Retz Præpositq Generalis.
R.P. Thomas Dunin Præpositq Provincialis.
R.P. Josephus Kobielski Rector Collegii.

Hoc annô Personas Collegium aluit 69. Ex his: Sacerdotes 34 Scholasticos 17 Magistros 3 Coadjutores 15.

R.P. Rector æger abit Brudzynum.

Festum Circumcisionis Domini, consuetâ Societati solennitate absolutum ornavit nobilissimorum hospitum concursus. Paucis post diebq R.P. Rector diuturniori morbo afflictus, ivit Brudzynum ad bona Illustrissimi Radzewski Succamerarii Posnaniensis, ut commodius ex viciniori loco, cum Dño Ryez Physico Urbis Thorunensis de sua infirmitate conferre posset, aliquamdiu ibi moratq, nulla valetudinis melioris spe facta ad Collegium rediit.

Bacchanaliorum festivitatem Pontificali apparatu Illustrissimus Kielski Suffraganeus Posnaniensis conclusit.

Calumnia injuriosa Collegio

Per idem ferè tempus, Braxatorum Posnaniensium confraternitas, injuriosam famæ et honori Collegii, in Castro Posnaniensi manifestationem fecit de clandestina propinatione cerevisiæ, quæ iniquè objecta, quia nunquam probari potuit, facta à Collegio remanifestatio. Proceres ad Commissionem Aradii Palatinatuum confluentes, innocentiæ nostræ non ignari, parti adversæ amicam complanationem suaserunt in ordine ad eliminandam manifestationem, et publicam Collegii deprecationem per viros honoratos, ad id munus deputatos. Placuit medium, sed mox illiq effectui Braxatores illuserunt. Citati igitur pro calumnia ad Consistorium, inquisitiones pro parte Collegii deductæ; finalem tamen causæ decisionem, sua impedivit authoritate Illmq Szołdrski Majoris Poloniæ Generalis; siquidem apud Illmum evicit Officialem, ut ad illum causa remitteretur. Evenit. At cum diuturniori tempore, nihil certi concluderet, etiam converso tum per unum ex Patribq gravioribq expeditum, tum per P. Ministrum, iterum Collegium reassumpsit litem in Consistorio, promovit strenuè, decretum obtinuit, quod hactenus non est publicatum ad iteratas instantias Illmi Generalis.

R.P. Rector volens mederi, in dies magis et magis serpenti intra viscera affectioni, et medicinis ægram levaret valetudinem, excurrit 6ta Maij Kotnarsff ad Bona Illustrissimi Palatini Smolensk, ubi non imperitq artis medicæ prædicantius, cum in curandis infirmis, plura suæ industriæ dedisset specimina, etiam R.P. Rectori vires pristinas et valetudinem spopondit.

ultra mensem in villa illa sub curâ hujus medici delituit, tandem viribq aliquan:
tum à morbo recuperatis (ut visu erat non paucis) 24 Junii descendit Sezioviios; ad
triduanas vacationes Patres cum Professoribq evocavit, mensæ accubuit.

Mors R.P. Josephi Kobielski Rectoris.

2da Augusti feralis Collegio illuxit dies, quæ post annuam et amplq infirmitatem,
pato omnibq luctuoso R.P. Josephum Kobielski Collegii Rectorem Professum 4 voto:
rum extinxit. Quatuor et quinquaginta annorum erat, cum vivere desiit. Vocationem
à teneris quam ad Societatem conceperat, rigidior Parens, quà minis, quà blandi:
tiis, quà Sæculi illecebris nitebatur impedire, at in cassum egit omnia: nam vexan:
do mirum in modum filium, constantiorem semper in proposito invenit. Hinc cu
aliquando Parenti associatq, ad comitia Regni generalia se reciperet, Dunajecium
trajiciens à Patre requisitus adhucne vellet Religionem Societatis ingredi? et af:
firmativè respondentem, equô arripuit, in medios fluctq præcipitavit, extinxissetq
vitam, non vocationis amorem, quô tunc plus exarsit juvenis, nisi naufrago, ma:
nus Divina tulisset opem. Voti tandem compos sæculum exuit; omniq literaturâ in:
ter coætaneos cum egregiè perpolitus esset, finita Theologiâ, Indicam missionem expe:
tiit, quam nisi præter opinionem celerior Pontificiæ navis expeditio impedivisset, exple:
visset. In Patria ergo Suis campum nactq laboribq florentissimas ingenii dotes
quà politiorum, quà graviorum disciplinarum studio exercuit. Utriusq doctri:
næ, primariis in Collegiis præcepta dedit, pro nostris Philosophus ac Theologus.
Solenne illi erat, etiam cum theologicis distineretur lectionibus, magnatum dis:
sidia et tricas, in unionem devinctissimi affectûs coadunare semper felici even:
tu. Nullus delinquentium carcer fuit, cujus non lustraret latebras, affli:
ctis non ferret solatia, tragico non assisteret agoni, ad oppetendam mor:
tem pia cohortatione ac dispositione non animaret. Hinc velut jure
quodam sibi videbatur deposcere hoc officium: ne ullus talium hominum
Sanctô illius privaretur obsequiô. Insignem deinde prudentiam religi:
oso admovit regimini; quo in munere non minus evisceratâ charitate, quàm
animi suavitate, religiosam temperabat disciplinam. Domum Probationis Cra:
coviæ gubernavit cum magno elogio, tam omnibus carus, quàm singulis amabilis.
Fasces Posnaniensis Collegii, non expletô administravit bienniô. Mirâ in tra:
ctandis regendisq subditorum animis pollebat dexteritate, semper tranquillo et
affabili vultu, semper patenti corde (etiam cum decumberet) recurrentium ad se
votis et necessitatibus prospiciendo. Vitæ religiosæ observantissimus custos et
vigil exactor fuit. In extricandis pœnitentium conscientiis, singularem à Deo
habuit gratiam, hinc etiam cum Rectorem ageret, ordinariè ad excipiendas de:
scendebat confessiones, cum satisfactione omnium ad sacrum tribunal accedentium.
Consumptus tandem diuturnæ infirmitatis malignitate, munitq omnibq sa:
cramentis in viam æternitatis cum hæc pronuntiasset verba: Deo gratias, com:
plevimus omnia obiit Sezioviis. 5ta Augusti Optimo Patri parentavimq:
in partem doloris etiam Illustrissimus Kierski suffraganeus Posnaniensis
venit, funq Sacrô cohonestavit. Braxatorum verò contubernium quod ca:
lumniosa manifestatione ejus irritavit animum, quasi resarciendo famam, ex
Congregatione Germanica, cum facibus ad templum deduxit urnam, adstitit tam:
diu, quamdiu tumbam, Patrum sepulchro non intulimq.

Vice Rectorem luctuoso Collegio R.P. Georgium Ryzner Ministrum, piissimè de:
functq R.P. Rector constituit, eundem R.P. Provincialis confirmavit.

Augusti ultima

Augusti ultima dies celebrata est oratione in laudem literarum haberi solita.

Studiosus captivatur.

18 7bris. Perillustris Magnificus Miaskowski Dapifer Posnaniensis, infensus Perillustri
Præposito Sancti Adalberti ex eo, quòd illum impediverit à propinatione cerevisiæ, in fun:
do, ad suam jurisdictionem spectante; cum alium vindictæ modum (quem ultro quæ:
rebat) non haberet, præfati Præpositi nepotem ex sorore, Dnum Sikorski anni primi Rhe:
torem, ex schola pomeridianis horis domum redeuntem captum compedibûs oneravit,
sub prætextu, quòd cum in suprema classi navâsset operam, complex cujusdam homicidii
esse debuit, licet per strepitum juris, hæc olim causa eventilata, jam erat sopita. Cum igi:
tur nobis insciis aguntur talia, ex fenestra lapideæ Perillustris Dapifer, turmatim conflu:
entes observans studiosos, futuriq non obscura prævidens tumultûs initia, per famulum
suum, P. Præfectum Scholarum, cum P. Professore Rhetorices ad sedandos illos studio:
sos invitavit. Iverunt; factum privilegiis scholarum dissonum exposuerunt; manu:
mittendum Dnum Sikorski suaserunt; nihil tamen apud pertinacem Magnificum,
quà precibûs, quà demissione, quà periculi mentione, quod in tali casu evenire so:
let, evicerunt. Itaq valedicendo Perillustri Dapifero, ipso præsente, P. Præfectus
studiosos commonuit, ut gravissimis sub pœnis, nullus attentare quidquam auderet.
Sed vix Patres ad collegium se receperunt, studiosi ad lapideam effractis foribq, liberari
vinculis Dnum Sikorski postulârunt; paruit importunis hospitibq, et quod postulanti:
bus non præstitit Patribq, coactq fecit. In crastinum descendit ad Collegium, principi:
lorum tumultûs exclusionem promovit et urget: qui essent? nec ille nec nos, in cer:
tam eorum notitiam venire potuimus; aliquos tandem innocentes in scheda Patri Præ:
fecto porrexit, ni excluderentur, manifestationem intentavit, ad extremum ad instanti:
am quorundam nobilissimorum Juvenum, in templo nostro, minas deposuit, neq
amplius innocenter delatorum exclusionem promovit, sed omnia condonavit.

S. Stanislai Kostka Solennitatem Reverendissimus Swinarski Custos Cathedra:
lis Posnaniensis Sacro Cantato ornavit. Oratoris manè et à prandiis in lau:
dem divi Tutelaris Poloniæ sacram dixerunt panegyrin RR.PP. Franciscani.

25 9bris. Collegium, Novum Caput suum R.P. Adalbertum Bystrzono:
wski salutavit, nuper per Cathedras Mathematicas, Philosophicas ac The:
ologicas, pro Nostris Professorem celeberrimum, hodie Præsidem

Miles regius per idem tempus ultro citroq, vicibûs quinq per villas nostras se
recipiens, non leve damnum prædiis intulit. Nam non computando fœnum, stra:
men, gallinas, anseres, cæteraq altilia, quæ, nullo numerato pretio consumpsit, mille
insuper medimnos segetis et ultrâ, in pabulum equorum distraxit; subditos alimentis ex:
hausit, et sola relicta fame, in vias suas abiit. Posnaniæ, tumultuosè in se ipsum de:
saviens, quinq vitâ exuit.

Annus 1746

Adm R.P. Franciscus Retz Præpositus Generalis

R.P. Thomas Dunin Præpositus Provincialis.

R.P. Adalbertq Bystrzonowski Rector Collegii.

Aluit Collegium Personas 69. Ex his Sacerdotes 32
Scholasticos Theologos 18 Magistros 3. Coadjutores 16.

X

Anni præsentis exordia, funestavit villarum calamitas; cùm pestifera lues circumcirca grassando, postquam multa aliorum affecisset ovilia, etiam in nostra pecora vim suam tabificam exeruit, majoremq illorum partem absumpsit.

Auxit Collegii cladem Ignis Pistrovi subitaneus, qui, fatô quopiam, ita prædium repente flammis undiq involvit: et licet omni conatu atq industria reprimeretur, non prius tamen sopitus fuerit, quàm integrum in favillam redegerit.

Mors Fratris Gąsiorowski.

23 Januarii vivere desiit Bartholomæus Gąsiorowski domesticæ rei administer, hic plerisq in Collegiis religiosè laboribus perfunctus, orationis tam mentalis, quàm vocalis cultor erat assiduus, paralysi deinde affectus, vitam ægrè traxit aliquot annis Gezioreiis; ad extremum apoplexia tactus obiit ibidem, ætatis annô 62, Religionis 30, sepultus in templo nostro.

Mors Patris Josephi Cerbs.

Martius, alterum de familia Patrem Josephum Cerbs Scholasticum approbatum Majorem Polonum, in viam æternitatis evocavit. Triginta trium annorum erat, cum lethali gutturis apostemate et febri calidissima, in medio laborum cursu, intra septimanæ spatium, terris ereptus est. Finitis studiis, strenuam procurandæ animarum saluti adjecit operam; nam præterquam quod concionatorem egerit zelosissimum, magno quoq externorum plausu, munus operarii sustinuit, tam omnibus amabilis, quàm carus singulis, disciplinæ religiosæ cultor eximius, regularum observantissimus, modestiæ et quietis amator. 9 Martii tumulo Patrum illatus est.

Mors Perillustris Magnificæ Rogalińska.

Aprilis, nefastus erat morte Perillustris Dnæ Rogalinska Notariæ terrestris Posnaniensis. Hæc matura annis, maturior virtutibus, in viam æternitatis omnibus Sacramentis munita, abiit. Cordis Jesu Congregationem fundavit. Exuviæ illius ad templum nostrum deductæ, absq omni pompa ex præscripto piè defunctæ Magnificæ. In crastinum, quàm plurimis celebratis sacrificiis, corpus tumulo illatum est.

Mors Patris Gronowski.

Nondum sævire mors desiit, iterum enim in Majo unum è nostris extinxit. Is erat P. Stephanus Gronowski major Polonus, Coadjutor Spiritualis. Annum ætatis egit 74 Religionis 58, cum pretiosa Sanctorum morte vitam terminavit. Lucro animarum totum vitæ impendit curriculum: cùm plures per annos, universam Podoliam et Ukrainam peragrando, Apostolicis excoluit laboribus. Magnâ deinde animi tranquillitate, variis domiciliis superior præfuit; extremos vitæ annos ferè sacro tribunali immolavit, populi nostrorumq ædificatione assiduus et indefessus operarius. Noctu diuq ad moribundos evocatus, alacris et promptus, non tam ibat quàm volabat ad illorum dispositionem. Paupertatis observantissimus, ad imitationem sui Patroni, inimicorum amator præcipuus; voti cum facultate superiorum emissi, nullum laborem recusandi observator rigidus. Consumptus tandem seniô plenus meritis et virtutibus, omnibusq sacramentis munitus, innocentiæ florem illibatum (teste confessario) tumulo intulit. 7ma Maji.

Novus Generalis.

Novus Generalis majoris Poloniæ Illustrissimus Ladislaus Szołdrski 9 Maji triumphalem ingressum fecit in suam Præfecturam, plausum, quem adornavimus in crastino Almo Honorio in templo nostro, unà cum Juventute Scholastica ob infirmitatem notabilem excusavit.

Exercitiis S. Patris Ignatii plures è Clero vix non singulis mensibus animum excolebant; quos inter eruditione et pietate præcipuus, Perillustris Rndus Zgski Canonicus in Collegiata et Pœnitentiarius Cathedralis, aliis præivit exemplô.

X

Celsissimus Primas

In Junio, reducem ex Senatus Consilio Vschove celebrato, accepit Posnania Celsissimum Primatem Regni Christophorum Szembek, substitit pro prandio in horto nostro, deinde ad templum descendit; salutatus à Professore Rhetorices, grato tulit animo humanitatem, Patrem Cywinski paralysi tactum visitavit in Collegio, tandem Gnesnam abiit.

R.P. Rectoris casus reduces ex Congregatione

Ejusdem mensis dies 20 feralis penè extitit R. P. Rectori. Redux ille ex Congregatione Provinciali Cracoviæ celebrata, cum in pago Zielonki, duobus milliaribus Cracovia dissito, in rheda pontem prætervehitur, planca in ponte fracta, valido impetu percussit equum, quô alii consternati, rhedam per devia et invia, raptantes, in præsentissimum agebant periculum. In tali casu saluti consulens, atq excensum adornans, adeo graviter læsit pedem, ut toto hoc itinere à portitoribus ad id conductis, retro Cracoviam, in lecto deferri debuerit. In Collegio S. Petri depositus, Sancto Parenti Ignatio se commendavit, ut qui Sancti Petri opem, ipse illius patrocinium in sanando pede experiretur. Audiit vota Sanctus Parens, sensim enim sine sensu (adhibita medicorum curâ) tumore et dolore decrescente, pristinæ sanitati R.P. Rectorem restituit, ad suumq altare, in gratiarum actionem cum sacro votivo 31 Julii stare fecit.

Introductio reliquiarum ad PP. Franciscanos.

Per idem tempus, introductio reliquiarum facta est ex templo nostro ad RR. PP. Franciscanos. Sacro igitur cantato et concione habita à Concionatore nostri templi Illustrissimus Suffraganeus, duobus Abbatibus stipatus, et pluribus Canonicis præcedentibus, in assistentia Scholarum, ordinum religiosorum, varioq concursu populi, Sanctorum deduxit cineres.

Condescensio in Villa Murka.

In Julio R.P. ViceRector fecit excursionem pro condescensione agitanda cum Perillustri Radonski Capitaneo Sovicensi ad villam Murka, ratione 5 millium hærentium in prædictis bonis. Causa remissa ad tribunal, quare ut possessori bonorum data nova citatio ad eadem emundanda.

Illustrissimus Generalis salutatus in templo.

October Illustrissimum Generalem majoris Poloniæ, hospitem, nostro templo dedit, cui quia ob infirmam valetudinem, in aditu Præfecturæ non plaudebamus, hoc mense omnes scholæ, præeunte Professore Rhetorices, vota votis cumulando, Illustrissimo honori dixerunt panegyres.

Causa cù braxatoribus finita.

Eodem die, causa cum contubernio braxatorum Posnaniensium, cujus series fusiùs anno superiore 1745 descripta, per Illustrissimum Generalem exintegro sopita est. Non inscius ille nostræ innocentiæ, recta ex templo nostro ad Castrum se contulit et manu propria, ex protocollo facta eliminatione manifestationis, injuriosæ famæ Collegii, solennem deprecationem injunxit, cum restitutione curriculi braxatorii. Evenit: dum primariæ personæ descendendo ad Collegium, ignoscendi delicti veniam à R.P. Rectore impetrarunt, curriculo honorificè per braxatores restituto.

Summa locata ex villa Swigtniki.

Mense eodem, summa 6 millium annis superioribus in villa Swigtniki locata, in toto recepta à Magnifica Dna Brudzewska.

Cù Parocho Dulcensi lis componitur.

In Xbri. Extinctam olim causam, iterum Adm Rdus Swirczynski Parochus Dulcensis suscitavit, et in consistorio Posnaniensi promovit, ratione prætensæ manipularis decimæ ex Villa Krzyżowniki et Nagradowice, sed ipso festo S. Xaverii per Illustrissimum Officialem Josephum Pawłowski et Reverendissimum Swinarski Custodem Cathedralem, ad antiquum morem amicabiliter est composita.

Annus 1747.

Adm R.P. Franciscus Retz Præpositus Generalis.
R.P. Thomas Dunin Præpositus Provincialis.
R.P. Adalbertus Bytrzonowski Rector Collegii.

Aluit Collegium personas 66. Ex his Sacerdotes 31.
Scholasticos Theologos 16 Magistros 4 Coadjutores 15.

Annus praesens felici omine sub nomine Jesu inchoatus, tam hospite nobilissimo templum implevit, quam Collegium missionariis, cum fructu spirituali non parvo redeuntibus ex festis Natalitiis Domini.

Virgini Raczynska 10 millia reddita.

In Martio. 10 millia, quae, Magnifica Virgo Raczynska olim dederat R. P. Kobielski protunc Rectori Collegii, ut per septem a centum stante vita sibi census penderetur, post sera autem fata in pios usus cederet praedicta summa, reddita est eidem, tantoque onere liberatum Collegium.

Dimissus Nadolski

Ipsa die Sancto Josepho sacra Charissimus Paulus Nadolski Coadjutor temporalis, multoties in ante a Superioribus monitus, tandem lecta poenitentia ad initium mensae dimissus est ob demeritum Superioribus notum.

Fabrica Collegii et Templi.

Aprilis continuationem fabricae Collegii anno elapso inchoatae, resumpsit plures conducti murarii, ut pars illa quae respicit Sacellum Germanicum, dum altius in dies assurgeret, etiam decorem Collegii augeret. Templo quoque nitor accessit major, non solum a columnis opere marmoreato perfectis, choro exornato cum facie templi, sed et altaribus decoratis, duobusque de novo S. Borgiae et S. Francisco Regis constructis.

Congregatio Germanorum translata.

Maius. Siquidem in dies linea Collegii protendi suumque incrementum sortiri coepit, Germanorum Congregatio, in alium locum transferri debuit. Offerebatur illis templum Sanctorum omnium extra muros situm, sed haec illis non placebat translatio. Quare adhibito Magistratu Posnaniensi pro instantia, ad R. P. Rectorem descenderunt, allegarunt pro ratione non solum Germanorum, sed etiam Civium olim, hanc Congregationem fuisse, veniam redeundi ad eandem postularunt et commodiorem devotioni locum. Civibus reditus approbatus ad Congregationem; Germanis vero ad interim templum nostrum concessum est.

Lis cum Duo Szperna ratione Studiosi.

In Junio, Discolus juvenis Venceslaus Szperna, Civis Posnaniensis filius, nulla ratione habita, praeter verba scommatica in publica via, etiam colaphum inflixit cuidam Philosopho, eruberit ad tantum autum innocentia. Interea undique ex abrupto convolantes Studiosi cum vindictam dorsuant nefario Juveni, ille fuga saluti consulit. Actum est deinde jure cum illius Domino Parente pro incontinentia filii: semel atque iterum citatus pro contumacia, quod non sisteret filium judicio (qui per Parentis ambages interea fuga elapsus est) in aresto detentus, tam diu ab illo non absolvendus quamdiu laesae parti marcas et Judicio Civili non numeraverit. Agere praeterea cum illo debuit Collegium de injuriosa famae suae manifestatione multis in illa confictis mendaciis et calumniis in P. Praefectum Scholarum. Sed cum ad regni auram, post aliquot dies, Magistratui citationem misisset, dimissus e carcere, eademque decisionem impedivit causa.

Census a Summa Brosiewsciana.

Eodem mense per decretum tribunalitium vindicatus est census a 7 millibus Summae Brosiewscianae apud Illustrissimum Ludovicum Szołdrski Palatinum Inovladislaviensem, per quatuor annos detentus magnifici Ostrowski et Dominorum Zakinsciorum interveniente aresto, atque in Tribunali S. Joannis in Castro Posnaniensi per medium exsolutus est.

Inscriptio 100 millium ab Illma Radzewska.

In Julio. Ex quo R. P. Provincialis certis de causis in ante recesserat a 100 millium inscriptione nova facta est ab eadem Illustrissima Radzewska Succameraria Posnaniensi super bonis Stęszchow scilicet: Collegio 40, Templo 40, Provinciae 20 millia, et jam intromissio per R. P. Rectorem in bonis praefatis admissa.

Hoc ipso mense horis pomeridianis ex templo nostro facta introductio S. Catharinae ad P. P. Dominicanos. Ante egressum cantatae vesperae et concio dicta ab uno e nostris, deinde Illmus Kierski Suffraganeus Posnaniensis Pontificaliter cum Praelatis & Canonicis processionem inchoavit, Studiosis & magno populi concursu Religiosisque ordinibus assistentibus.

Festivitas S. P. Ignatii.

Julio una ac studiis literarum coronam imposuit festivitas S. P. Ignatii, cujus solennitatem Illmus Rdsmus Josephus Kierski Suffraganeus Posnaniensis auxit celebrata Cantata Missa, atque idem in Comitatu praecipuorum e nobilitate Palatinatus istius Religiosae mensae adhibitus grati animi significatione refecit nostros.

Oratio in renovatione Studiorum.

Augusti dies ultima vacationi consuetae a literis finem dedit. Habita a P. Rhetorices oratio; argumentum illius Apologia pro Scholis publicis Studiorumque in iis ratione teneri solita contra frivolas Lucifugorum (ita Celtocius appellat illos qui domi privatim erudiunt) obtrectationes. Auxit solennitatem atque Oratori animos addidit hospitum Illustrium concursus. Inter quos praecipui censebantur. P. A. R. D. Josephus Pawłowski Archidiaconus Vicarius in Spiritualibus & Officialis Posnaniensis nonnullique e gremio Canonicorum Cathedralium, tum Perillustres Magnifici DD Jacobus Działyński Praefectus Naklensis, Gorzyński Colonellus S. R. M. Rogaliński Praefectus Obornicensis nuper e Galliis redux multique ex Academia atque aliis Religiosis ordinibus eruditi viri.

September nihil memoria singulare transmittit posteris praeter usitatam Juvenum ad Studia regressionem.

Causa ratione Bonorum Mechlin Kotow.

In 8bri nova facta citatio Mci D Josephi Dobrzycki ad Tribunal Regni in Causa limitum inter Bona Kotow ad Mechlin spectantia ac Bona Łąk Łążek ad possessionem praenominati Mci D Josephi Dobrzycki ex resignatione Illmi Francisci Radzewski Succamerarii Posnaniensis spectantia, ac insuper Bona Sroczow haereditaria Mci Janowski. Cum ante in Augusto Condescensio post Bartholomaei super iisdem bonis ex Decreto Tribunalitio injuncta suum non esset sortita effectum, stante adhuc possessione Illmi Succamerarii ex causa non conducti a partibus officii. Mensi huic

Funus Petri Rogalinski Studiosi.

qui dies finem, labori idem fabrorum murariorum circa Collegii a fundamentis hoc anno usque ad 3tiam contignationem murorum productam partem finem imposuit, operis usque deinde in Aprili revocatis.

Item infantis Dapiferidis.

Novembrem gemina funestarunt exequiae, altera Mci D Petri Rogaliński Syntactici piissimi & innocentissimi Juvenis. altera p. Mcae Ponińska infantis paucorum mensium Dapiferidis Vschovensis solenni pompa in Templo nostro tumulatorum.

Tricae cum Inspectore Castellanidarum Posnaniensium.

Arrogans an stulta Inspectoris R. Lubierski Presbyteri Illmorum Castellanidarum actio, vetantis maximo natu Castellanidae funus primum oratione honestari, excitavit tricas nonnullas Professorem inter ac discipulum, quae submissione ejusdem, tota facti invidia in Inspectorem rejecta ac magnorum Virorum intercessione sopitae in Februario spe amovendi proxime Inspectoris, dummodo Illma Castellana Posnaniensis mater ex Roxolania, ubi tum dimorabatur, redierit.

Festivitas S. Stanislai Kostka

Luctum funeris secuti plausus, quos Celsissimo Illmo Theodoro Czartoryiski Episcopo una cum Juventute Scholarum deprompsimus, grata animi significatione excepit vota atque Festum deinde S. Stanislai Kostka cantato sacro

in nostro Templo honestavit, Religiosæq mensæ unà cum Illmo Francisco Radzewski Succamerario Posnanien plurimisq Hospitibus adhibitus, omni nostros est affabilitate complexus. Auxêre diei hujus solennitatem P. R. D. Kral & R. D. Kocietkiewicz, quorum primus Doctorali Suadâ matutinam devotionem, vespertinam alter dulci eloquio exornaverunt.

Hospes in Collegio Princeps Victorinus Nessor Maronita.

In Decembri hospitem accepimq Principem Victorinum Nessar Maronitam ad conquirendam Eleemosynam literis patentibus Pontificis, Regum, Præsulum, nostriq A. R. P. Gnrlis instructum; quem singulari humanitate festo S. Xaverii R. P. Rector acceptum tota hebdomada liberalissime habuit, atq Eleemosynâ instructum magna cum charitate dimisit.

Solennitas S. Barbaræ introducta.

Mense eodem solennitates nonnullæ veteribus adjunctæ. ac Imum quidem Festo S. Barbaræ Sacrum Cantatum, Vesperæ geminæq Polonica itidemq gemina Germanica Concio per nostros habita. Occasionem solennitati dedit locq in nostro Templo destinatq devotioni Germanorum hac in Urbe vicinisq pagis dimorantium diruta vetere S. Barbaræ Capella ædificationi Collegii obstante parte utpote murorum vetusti Collegii. Auxêre pompam Cives, Processionem Imam cereis accensis illustrantes. Æquè solenni ritu Immaculatæ Conceptionis B. V. M. festivitatem media Sodalium Congregatio cumulavit; Laudesq Mariæ Rosæ veluti inter spinas innocuæ, Rosinq Orator Poraytarum Spes illustris Theodorus Koźmiński Palatinides Posnanien Eloqntiæ Auditor non sine suo præconio, quas illustrissimi ex Capitulo dedêre Auditores, nominatimq Illmq Loci Suffraganeus celebravit; Festo quoq S. Valentini concursus pii populi celebrantium ac Concionantium nostrorum auxit.

Chori Musicorum in templo nro ac Capellæ Szredensis instauratio.

Huc refero ornando choro Musicorum subtus & supra, geminisq ex utroq Valvarum latere Divorum Statuis manum impositam; Necnon Scamnorum partem aliquam veteribus ætate arrosis opere elegante instructam; Nec non hoc Anno Capellam Szredensem ad nos ex Fundatione spectantem ære novo contectam, vetustis laminis Cœli injuria penè exesis, in eaq quidquid usus & ævum ad ruinam inclinaverat, instauratum.

Nova Solennitas in decursu anni.

Demum Dobri ac Anno toti ex novella ordinatione R. P. Josephi Domaradzki Præpositi Provincialis solennibus vesperis ac Concione exhortatoria ad reparanda anni elapsi damna, gratiasq Deo agendas Corona imposita

Annus Dni 1748

A. R. P. Franciscus Retz Præpositus Generalis

R. P. Josephus Domaradzki Præpositus Provincialis

R. P. Adalbertus Bystrzonowski Rector Collegii.

Aluit hoc Anno Collegium Personas 66. Ex his Sacerdotes 31 Scholasticos 16 Magistros 3 Coadjutores 16

Anno præsenti fortunatissimum dedit initium Nomen JESU SSmum, pii ad Templum Nrum populi concursu singulari honoratum, quos inter multi ex Proceribq nris matutinæ vespertinæq Devotioni interfuêre. Atq

Lorum

lorum aliqui Religiosæ mensæ Convivæ adhibiti.

Missionariorum nrorum labores et fructus

Ad eundem annum refero labores Patrum Missionariorum scilicet R. P. Nicolai Wypranowski Superioris & P. Joannis Wolfowicz Missionarii, qui ex dispositione Anni superioris in Ubri apostolicam falcem in messem miserunt, opimosq pœnitentiæ legerunt fructus. Nempe Babimostii suum Imo exeruêre zelum invitati a P. R. D. Laurentio Swinarski Custode Cathedrali Posnanien Loci Parocho. Inde Dobnicam progressi bona Illmi Naklensis Præfecti Jacobi Działyński in Archidiœcesi Gnesnensi jacentia. Tum Bugum Episcopalem Nram Civitatem Grodziscum deinde & Opalenicios, Inilio tandem Quadragesimæ in oppidum Illmi Palatini Calissien Mathiæ Koźminski Wronki dictum. postremò Obornicios Præfecturam P. M. D. Rozaliński Judicis Vschoven excurrerunt, magna eos ubiq zeli Apostolici præcurrente fama, infinito animarum sequente fructu. Cujus non leve documentum, concursus populi tantus, ut templorum parietibq capi non potuerint. Exomologeses inveterata non sinè lacrymis & mutuis amplexibus exuta odia, Sacrilegæ multorum Annorum Confessiones emendatæ resarcitæ injuriæ Famæ damna palam à nonnullis reparata, Demum gemitq populi, suspiria ac lacrymæ nostrorum sunto Missionariorum laudes. Nunc dum hæc Majo vertente scribo, in Archidiœcesim proficiscuntur invitati a P. R. Parocho Skalmierzycensi, quo Festis Pentecostes concurrentem undiq populum ad gratiosam B. M. V. imaginem eodem loci sitam sacræ suæ doctrinæ pabulô reficiant, atq sub patrocinio Mariano ad recipiendas sancti & Divini munerum Largitoris gratias, peccatorum per pœnitentiam disponant Corda; Abeuntes secundet Deus.

Tragœdia exhibita

Februarius solitis Juvenum nrorum exercitationibus in Theatro reclusit Campum. Dramata quatriduo exhibita non sinè ingenti spectatorum plausu ac solatio. Clausit actus ejusmodi Tragœdia Tytus Japończyk Carmine Polonico inscripta, per P. Rhetorices elaborata, quæ quia in Auribus Auditoris invenit gratiam atq in Oculis spectatoris, sub prælum deinde missa lucem in Majo aspexit, sumptus in Typum providente P. M. D. Andrea Zakrzewski Pocillatore Posnanien & Judice surrogato uno è spectatoribus præfatæ Tragœdiæ. Hospites nobilissimos præcipuosq è Clero & primoribus, dum ageret, habuit, plures si locus pateretur, habitura. Iidem hospites triduanam deinde in Templo nrô devotionem auxêre piâ præsentia majus promerituri elogium si quam alacri passu ad scenam convolabant, tam sancto tumultu Divina frequentarent mysteria. Sed pro dolor! intempestæ commessaones nocturna Convivia, diem verterunt in noctem. Quæ tamen Censura neq ad omnes pertinet, neq civis diei servit. Somnolentiam suam vespertina Feriæ 3tiæ devotione exemplo plurium reliqui desidiores emendaverunt, atq sacros postero die inter Cineres omnem Bacchi consepeliêrunt memoriam. Illmq Loci Suffraganeus Josephus Kierski triduanæ huic devotioni Coronam imposuit solita nrorum & studiosorum cum accensis cereis processione peracta.

Mors C. Joannis Ostapowicz.

Qui primus Cinerum dies Quadragesimæ dedit initium, idem finem vitæ Charissimo Apothecario Joanni Ostapowicz attulit. Phtisi ille consumptus, Sacramentisq in viam æternitatis præmunitq postquam vitæ totius 40 Religionis 20 annos exegisset, obdormivit in Domino die 28 Februarii, horâ circiter 1ma matutinâ, Singulis vitæ piæ exemplum & ob Charitatem circa infirmos animiq mitissimam Indolem desiderium Sui relinquens. Audivi á nonnullis eâ illum fuisse abstinentiâ, ut cum nusquam extra Domum, quanquam frequens prodiret ad ægrotos, potum hauserit; prece licet & illustrium Virorum authoritate adduceretur.

Quadragesima usitato populi Concursu & pietate peracta Singulis feriis 6tis ingens Confessarios omnes labor in Tribunali longius detinuit. frequentissimiq ad Mensam Eucharisticam accessere Convivæ. Quos Nostrorum labores, lætiores Paschæ dies auxerunt non minuerunt, Patribus plurimis in messem animarum e Collegio evocatis

Fabrica Collegii resumpta

Aprilis dies 1ma Operas evocavit ad laborem. Plurimi tum murarii, tum lignarii Fabri conducti, qui jam muros Collegii ad fastigium perducerent, Jam fibulationes tignorum ædificio proxime consumando tempestive præpararent; Jam quia Ata adhuc Collegii pars aliquando ponenda restat, veterisq Collegii diruendi muri, quo ædificationi huic Annq hic quoq præluderet. Adi hoc mense potissimum cum Civitate Captum de reparanda publica platea Scholas inter & Praposituram D. Magdalenæ Collegii ponendam Januam respicientè; ac de amotione Sepimenti, quod Moniales S. Benedicti convulsis de viis publicis legibus posuere; atq ita liberum plateæ totam Urbem Secantis interclusêre meatum. Visio fundi hujus publici facta † a Commissariis Epscpi tum ab ipso Celsissimo Episcopo loci ad cujus jurisdictionem Moniales ne Spectant, tum a nobilibus impetratis. Decisio negotii Sub lite.

Lis de platea, Sepimento cum Monialibus D. Bened[icti] duti.

Fung[us] Illmæ Raszewska.

Eodem mense funq Perillris Grosæ D. Lucillæ Raszewska Virginis piissimæ in templo nro celebravimus. Quæ matertera Suæ feminæ Nobilis & devotæ Benefactricisq nræ Secuta vestigia, ætatem teneram pietati addixit, atq quod frequens adibat precatura Deum, in Templo nro, a nostris in viam æternitatis disposita, voluit tumulari. Tristem funeris

Adventus R. P. Provincialis.

apparatum lætissimus RP Josephi Domaradzki Præpositi Provincialis per Poloniam excepit adventus, quem hospitem ad Solitam visitationem Collegio dedit dies 28 Aprilis Festo Ssmi Sepulchri Sacra.

Eorundem infirmitas.

Maji Exordia faustissima affulsere præsentia Præsidis nri illustrata atq gemina festivitate Patrocinii Josephi & S. Stanislai cumulata; quarum 1ma RP Provincialis Josephi altera RP Stanislai Popiel Secretarii Provinciæ Tutelaribus Sacra. Parabamq utriq plausq, sed qui laudanda agunt, laudari noluere: majus modestiæ meriti elogium quod non quæritur, sed tenetur. Solatia hæc tamen Sequentes nobis abstulere dies RP Provinciali Febri Tertianâ deposito; quæ ipsa RP Secretarium quoq afflixit infirmitas, omnibq, dum duo decumbunt, mœrore prostratis. Oravimq Suspiravimq pro utriusq incolumitate, votaq nra propitius audivit Deus, post duarum Hebdomadarum infirmitatem Præside Provinciæ & Secretario Sanitati pristinæ restitutis.

†X. Sacerdos qui moribundu disposuit testatq nulla unqm mortali labe innocentiæ ab illo læsam. PP. quoq Dominicani affirmarunt ea nocte qua decessit P. Gwinski vidisse se flammã Collegio imminentem, putasseq quod Collegium conflagraret.

Junius haud fausto omine illuxit: Incuriâ quippe Fabri Ferrarii conceptus ignis domu simo ejusdem Eripuit, tum totam Urbis partem Garbary dictam latè depopulatus, non ante Subsedit, quam 34 ædes absumpsisset. Incendium hocce cœpit hora noctis 12 ex die 2ma Junii in 3tiam pervigilio corporis Sti Ssmi Sacramenti; Toti Urbi præsens periculum flammæ vehementia minabat, jamq Urbis portam Suburbium Waliszewo dictum respicientem invaserat, neq alteri Parochiali templo S. Magdalenæ vicinæ, turribusq interiorem murum ambientibus pepercerat, sed elato venerabili Sacramento hinc e Basilica Parochiali, inde à PP. Dominicanis intra plateæ Garbary angustias regressus quodam quasi claustro contineri visus. Elemento ignis Creatori suo non auso obluctari. Multi cum nihil reliquum præter vitam ex incendio extulissent ad incitas redacti: quorum famem et miserias liberalitate Sua levaturus RP Rector per longum tempus esculenta ac cerevisiam, magnum in estrema Calamitate subsidium suppeditavit, pietatem tantam acatholicis; quibus potissimum officium istud exhibeatur, mirum in modum delaudantibus. Movit ea Civium Calamitas non urbanum præterea Magistratum (qui et justis Fabri Ferrarii quâ negligentiam, quâ malitiã pœnis, confiscatione bonor ac exilio mulctavit, et eleemosynis Solatus egestatem;) Sed congregatã ad Comitia Boni ordinis nobilitatem, quæ summam 17 millium florenorum polonicalium ex censu Palatinatûs Czopowe dicto in subsidium miserorum exsolvendam decrevit. Mensis idem dulcem RP Provincialis præsentiam abstulit. Die quippe 16ta S. Franc: Regis festa RP Præses abiit in villam Jeziorki, inde personarum Provinciæ dispositione confecta calessium de scensurus. Solitam at verò Ssmi Corporis Sti festivitatem solenni processione conclusit Illmus Josephus Kierski Præpositus loci ac Suffraganeus. Nec eo contentus favore sequente mox die Divo ALOYSIO Sacra et subsequentibus Theologis anni 3tii Ignatio Cerbs Joanni Lipinski, Joanni Pierzchlinski; Josepho Karsnicki Josepho Sypll Ottoni Wacholtz bene vole majores ordines impertivit.

Conflagrão Suburbii Garbary.

Levamen inopiæ exhibitum à nostris incendio ad incitas redactorum

Levamen incendis à Palatinatu.

Ordinão Theologorum anni 3tii

Julius Collegium nostrum imo et Provinciam novis in vinea operariis auxit. Nuper quippe Sacris ordinibus initiati Theologi festo Visitaonis BVM. 1mam Deo litârunt hostiam aliqui in nostro templo, in vicinis aliqui Parochiis: Biechovum Dobrowkam Gorkam à Parochis Societatis nostræ amicis invitati. Cum novos tn mystas acciperemus, veteranum amisimus. Fuerat P. Joannes Gwinski 4 Votor Professus. Natus ille ex illustri in fore Polonia vetustaq familiâ anno 16 claritudinem generis Servitii Divini fervore illustravit. XX

Obitus P. Joannis Gwinski

Dies 8va Julii lucem eripuit cum vita P. Joanni Gwinski, dies mensis ejusdem 25 Solem insolita Eclypsi subduxit mundo Eclypsis ista, totum pœnè in Circulo Solem occupans duas ac amplius ab 11ma meridiana ad 1mam horam tenuit. Terruit illa Spectatores, non Sola, ab oriente ad nos et meridie locusta venit, quæ totum pervagata regnum, cum magnam alibi campis et segetibus invexisset stragem, ad nostras terras singulari Divina providentiâ solum præmisit justos ac vindicis Dei manus timorem. Erat et alta quæ nostris prædiis cladem minabat lues pecorum, Sensit plagam istam circumquaq vicinia, indemnes nos servavit Deus, servatq diutissimè ut ini servaturus. Julio et scholis non nostro plagarum Dei timori dies 31 Julii S. P. Ignatio festa finem attulit; celebravimq illam solenni pietate atq in Societatem cultus invitavit RP Rector Illmum Poninski abbatem præmetensem, qui aram prius Sacro Cantato, mensam religiosam præsentia ornavit.

Eclypsis

Lues pecorum

Augustus Solitam Scholis vacarem dedit non literis, quippe 1mis hujusce mensis P Rhetorices orationem in renovaone studior dictam Illmo Josepho Pawlowski Brzezewensi in ecclã Cathedrali Archidiacono, Officiali Gnrli Posnaniensi typis excusam nuncupavit, Dedit et nobilitati Comitiola ante Comitiola congregata magno cursu Fredam: locum ordinarium Comitiolor nobilitas fer: 2da post festum S. Barthol: ad quæ allegatus qui literas à Majestate deferret desideraret. Soluta illico, consulturos ne quidquam ad concordiam animor adhortante concionatore nostro ad eunde aliu in ante invitato.

Septembris dies 1ma labori Scholastico initium dedit, Quæ qm in diem Dominicum acciderat quare Oraõ in Solita studior instauraõe dicendæ dies 4ta à RP Rectore destinatus Dicta illa Procerum et Religiosor cursu singulari potissimumq Illmi Præsulis Nicchensis nuper Romã inaugurati præsentia exornata. Argum: oraõis erat Cur Juvenes minorem quandoq in literis progressum faciant Laborem unum P Rhetorices excepit alter. Qui à enim Illmus Ludovicq Szoldrski Palatinus Inowladisslaviensis ad Palatinatum Posnaniensem Curulem gradum fecerat, Filio Illmo Vladyslao à Szoldry Szoldrski Majoris Poloniæ Præfecto Gnrli Palatinum Inowladisslaviense subsellium occupante, Gratulaoem honoris utriq nuncupari oportuit, Commodum se obsequio huic occasio obtulit Comitiolor electionis Judicum Deputator item Boni Ordinis quod altas q ulq Illmor Palatinor Suâ honestarunt præsentiâ utriq proinde inscriptam nomine Collegii Reverendiq P. Rectoris huic actui præsentis P. Joannes Bielski Professor Rhetoricæ dedicavit grato animo à Palati-

Renovatio studiorum

Comitia Panegyrisq et ... forum tempore Illmo Palatino Posnaniensi addicta

nis et ab Universa Nobilitate plausu acceptam singulari, Neq ille duntaxat eruditi laboris fenis extitit Illmus Josephus de Werbno Pawłowski Archidiaconus in eccla Cathedrali Plocensis ac officialis Gnrlis Posnaniensis cum justum magnor suor in eccliam Deo meritor præmium Insulam Nicopolensem Româ accepisset: die 22da 9bris in eccla Cathedrali Posnaniensi consecrabatur ~~Praesul~~ Præsul. Consecratores habuit Celsissimum Theodorum Antystitem Posnaniensem Illmos ac Reverendissimos Josephum Kierski et Reverendissimum altum Posnaniensem, Cujavid altus Suffraganeos. Die ipso Consecraois, Consecrato applausit Academia, Nos in Crastinum Laudes debitas Præsuli meritissimo rejecimus Dies hic destinatus erat Electioni Succamerarii adquem Ceu frequenti agmine præcipua Majoris Poloniæ confluxit Nobilitas, ita quo jore apparatu perageret electio, Illmus Neo Præsul invitatus erat ad Cantandam de Spu Scto votivam, Sub qua Concionator Smo ordinarius Illmo Præsuli è Cathedra applausit tum absoluto deinde Missæ Sacrificio scholæ gratulaoem honoris depromserunt præeunte Sibi ad homagium P. Professore Rhetorices, qui bene longa Laudaoe virtutes illius non Nicopolensi duntaxat d Amis in Polonia Insulis dignas celebravit.

Tricæ Studiosorum Nostror cum Academicis excitatæ

October nihil nobis singulare exhibuit præter tricas Studiosor Nostror cum Academicis. occasionem rixarum adtulit Panegyris Divo Cantio in Æde Cathedrali Posnaniensi ab uno è clarissimis academiæ Magistris dicta. Confluxere ad illam nostri adolescentes, atq ut puerorum ingenium proclive e ad dissidia nescio quæ seges discordiar jacta certavere primum verbis utriq tum ubi Orator finem dicendi fecit, in ipso templi vestibulo ventrem ad pugnos intra quos stetisset fortasse contentio nisi duos Rhetores à reliquis sejunctos Koreski et Nowicki frameati invasissent Academici, quorum impetum inermes ferre non possent, coacti ad sui præsidium imbellibus pueris ferrum evaginare, quô ad tuitionem suam usi, cum duos audaciores levius mutilassent, duas frameas spolio onusti Civitatem repetiere. Serpsisset profecto tumultus acrior nisi providè et tempestivè informatus P. Rhetorices gravi interdicto suos repressisset. Querelæ hinc contra nostros studiosos ab Academia ad Illmum Capitulum, tum ab hoc ad R. P. Rectorem delatæ, Deputati ex Illmo Capitulo duo illustres Canonici ad R. P. Rectorem, à clarissima Academia querelas in scripto datas obtulerunt, Scripto vicissim respondimus nostror innocentiam vindicante

Sopitæ

Secuta amica conventio, in qua in unum è nostris in multos ex Academia statuta pœna: Sancitû præterea, ne deinceps studiosi nostri academicor. Academici nostror actus frequentent, sicq frequentium rixarum intercludat aditus.

Exequiæ Cordis Illmi Radzeski Succamerarii

November Varsaviæ dissolutis Comitiis infaustus nec nobis lætior extitit. Celebravimus in illo Lugubres exequias Cordis Illmi Francisci de Bnin Radzeski Posnaniensis Succamerarii: Viri hujus profecto Magni obitus die 5 Augusti contigit quo rebus humanis Xtianè ac piè excessit. Ex ordinaoe Chrismæ suæ conjugis intestinis viri à reliquo corpore sejunctis in Ecclâ Sierakoviensi Ptrum Bernard. Reformatorum vulgo, S. Francisci strictioris observantiæ parentatum. Exuviis corporis destinatus locus oppidum hæreditarium Gostyn apud Rdos Ptres Congregaois S. Philippi Nerii. Jam quemadmodum Societatem nostram singularius in vita adamavit, ita suum eidem post mortem Cor credidit. Die 13tia 9bris hora 8va vespertina tam Sancto pignori depositio destinata, Sequenti frequentissimis Missæ Sacrificiis ac Solenni Officii defunctor Cantu à Religiosis Ordinibus et clero parentatum eidem. Sacrum requiem cecinit Illmus Josephus Kierski Præpositus et Suffraganeus Posnaniensis. Concionem funebrem dixit R. P. Josephus Wilewski diu ante Concionator Posnaniæ piè defuncti Succamerarii Theologus Aulicus. Conductum majorem celebravere invitati Illmus Suffraganeus Posnaniensis tum Illmus Josephus Pawłowski Nicopolensis Antistes: deinde Illustris Lotka Abbas Obrensis et Illustris Setowski Abbas Coadjutor Sandensis, cumq 5tus Infulatus Prælatus Illustris Abbas Koronoviensis Chrzastowski in via infirmitate correptus subsistere coactus fuisset, in Illustrem Mysłkowski Decanum Cathedralem Posnaniensem officium istud ~~ducit~~ devolutum. Oraoe funebri meritissimum hunc de Republica virum Laudaverunt, primum Illustris Skoroszewski Castellanides Premetensis tum Illustris Franciscus Dobrzycki Judex Surrogatus Calissiensis, quos secutus P. Rhetorices oraoe Lugubrem elogiarem panegyrim Illmæ Succamerariæ nuncupativa. Laudes et Lacrymæ Czarnkoviæ fascia colligatæ inscripsta Sepultura dehinc corporis Magnanimi secuta in tumulo non in animo. Trybes exequiar ferias secuta festivior dies S. Stanislao Kostka sacra, multi ex Nobilitate

Panegyris in funere à nostris dedicata Illmæ Conjugi

Amaria præter frequentem populum usitatæ devotioni interfuere præ reliquis Solennitatem auxit Sacro Cantato Illmus Iwanski Gnesnensis Archiepiscopatus Sede vacante Administrator, Concione quoq panegyrica Illustris S. Adalberti Præpositus Eodem mense sepium in publica urbis platea veterem Collegii portam respicientem a Monialibus S. Benedicti plures ante annos positor (cum nihil privatæ eadem Monialium hac supre conventioes ac amicor interpositiones proficerent) jubente Civico Magistratu, nostrosq potissimum, quod instinctu amotum credidit sepimentum Abbatissa querulatura Varsaviam excurrit, sed æquitate Causæ Urbi nobisq suffragante nil in lucro vice ea anni tempestate impeditioris, præter impensar jacturam retulit

Exscisio sepium inter Scholas ac Præposituram D. Magdalenæ plateæ sitæ

Platea eadem perpurgata et canali constructa

Quia verò præfata platea nulli hucusq permeabilis, tota luto et sordibus squallebat quare industriâ R. P. Rectoris et impensis Collegii perpurgata lapidibus magna parte instrata, munitaq canali perquem urbis fæces commodè defluerent instructa, commoditati transeuntium servire cœpit ~~[illegible]~~. Neq solitaria hæc fuit plateæ instauratio: mensis ô ejusdem initio ædificationi 3tiæ partis Collegii manus extrema imposita, celeritatem operarum atq R. P. Rectoris industriam externis demirantibus quod intra angustum triennii sui spatium ingentem ~~hanc molem~~ à fundamentis ad fastigium usq perduxerit. Continet ea Collegii pars officinas, apothecam vestiariam Typographiam, commodissimis habitaoibus tum depositoriis instructas. Cubicula aliquot ac vastam præterea Magnificamq satis Bibliothecam ut fornices præteream omnia magnam partem Concamerata, foribus antepagmentis, claustris pavimentis, fenestris omniq proprio Cuiq officinæ apparatu instructissima, tegulisq benè ad Cœli injurias præparatis contecta.

Fabrica Collegii

Adjecta fabricæ Collegii instauraô Lapideæ Bursæ vulgo musicor quæ quâ vetustate qua defluentibus per tegularum rimas imbribus ad ruinam inclinaverat. Imo cum difficillimis ante ob angustias valvar periculosas ob concamerationum periculum impeditus ob scalarum ruinam foret aditus ad Scholarum aulam ipsumq theatrum nomen revera solum theatri haberet, spelunca foret semiruibus habitanda, parietes ad ruinam inclinantes instaurati, valvæ in ampliorem fram reductæ instructæ scalæ pavimenta posita Concameraoibus dirutis trabes inductæ sarta tecta colliquiæ reparatæ teatrumq ipsum elegantibus super tela picturis ad commoditatem diuturnam adhibentium adornatum, Hæc plateæ publicæ hæc Collegii hæc aulæ theatralis instauratio; Nec templum ab operis vacavit

Scamna nova in templo posita et Fenestræ

nam Anno cum Scamna vetustas ipsa et Caries arrosisset nova quercina eleganti opere elaborata templo hic Annus dedit. Dedit idem fenestras in 2da navi ex choro ad Nostror devotioes instructo, aliaq parte ab adversa prominentes, Statuæ cæterea pulvere et squallore obsitæ innovatæ novos vultus formamq induerunt. Quæ instauraoes alta R. P. Rectoris Collegii Nepe... P. Francisci Koźmiński Præfecti templi industriæ et Curæ merito tribuuntur Justa istaec retribuere meritor præsunt Roma atq ad in tantar præmium curarum vel si penitius interpretari intentiones Romanas liceat ad ampliora Collegior commoda, R. P. Rectore nostro jussu pergere ultra triennium eidem meritissimos prorogavit fasces. R. P. vero Koźminski Collegium ostrogiense pro Rectoris potestate regendum demandavit.

Patentes ad Rectoratum Ostrogiensem R. P. Koźminski

Neq sua Romanæ spes lusit, nam ut Ostrogum ostrogio relinquam, novam R. P. Rectoris pro bono Collegii sollicitudinem suspexit december. Nam quoniam indulgentior nobis fulsit hyems, novum portæ Collegii jacta fundamenta, vetus deinde Collegium quartæ Collegii parti locum præbere incipiens cœptum dirui, totamq hyemem ruderum amovendorum labor operas in opere distinuit ut commodè deinde partis hujusce fabrica veris initio potuerit aperiri.

Dirutum vetus Collegium

Celebrati mense eodem conventus smo Electionis Succamerarii dissolutus: tum Judicis terrestris eventu simillimo, notarii postremo terrestris in quo ex electis 4 Candidatis officium istud ab Aula demandatum Perillustri D. Starzenski æmulis frustra concurrentibus.

Electio Notarii Terrestris

Commissio quoq fisci Majoris Poloniæ agitata, in qua cum nonullæ Civitates et oppida tributi à se exigi soliti tempore dicti raonem reddidissent communi Commissarior consensu continuaô illius in ferias 2das Dnicæ ... reductus rejecta.

Commissio fisci Majoris Poloniæ

Mensis Dec ad usitata Natales Xti festa Parochis splem operam natatu operarios evocavit. Ivere ad sanctum hunc Laborem 30 amplius, Finem labori Novum dedit dies quietem anno. Conclusimus illum anno superiore introducta pietate, oratore Sacro ... exedra ad agendas Deo gratias pro beneficio hoc Anno impertito populum hunc adhortante.

Missiones ad festa Natalis Xti

Conclusio Anni

Jam qd Munia Societatis propria, fructusq ex illis colligi solitos attinet, ... annuæ hujusce Anni prolixius edoceant singulariora tn huc refero. Ac primum quidem DEO per nos operante ab erroribus Lutheri Calviniq ad Orthodoxam Catholicam fidem reducti 29 ex Judaismo 1. Simultates et odia inter Complures Nobiles Personas sopita, ad supplicium dispositi 2 ad mortem 50 Exercitiis S. P. Nostri Ignatii in Nostro Collegio exculti personæ sæculares 15. Familia ad hæc Sanctimonialium S. Benedicti universa. Fructusq Exercitiorum istorum unus potissimum viro nobili Aulæ cujusdam Illmæ Præfecto. Mare ... Thallum nostrates vocant, eluxit. Variis iste in electione status fluctibus jactabatur neq ... an Spiritualem præ sæculari statu amplecteret certi quidpiam potuit statuisse. Cum in hisce Cogitationum perplexitatibus, Exercitiis (quor vim magnam hac in parte ope aliquando inaudierat) S. P. N. è nostris excolendum se tradit. Et verò felici planè successu. In exitu namq sacræ Eduandæ ascesis ita se omnino Divina luce collustratum sensitut

ut dissipata omni dubitationis nebulâ illico ab exercitiis, Congregationis S. Philippi Nerei Clericorum accenseri non dubitaverit. Magnâ secutâ conscientiæ perturbatæ tranquillitate. Refero ad historiam Beneficia quædam Divorum Nostrorum ope Collata. Primum haustu aquâ benedicta S. P. Ignatii multi ab infirmitate Curati. Laborantes in partu mulieres quinq admota ejusdem Divi icone feliciter enixæ prolem. Vermes campis nostri Locustæq pessimum aspersione aquæ Benedictæ SS. Ignatii et Xaverii propulsata. Communis quoq pecorum lues eâdem benedicta aqua in Nostris prædiis sopita. Singularem quoq S. Aloysii favorem experti aliqui. Primus ope Magni hujusce Patroni non solum à periculosa infirmitate corporis voto ad eundem S. concepto sed etiam à gravissimis carnis tentationibus pessimaq adulterii consvetudine Liberatus. Prout ipse Confessario suo, dum votum exsolveret Testatum fecit. Alter dum ex Consilio sui Confessarii per 6 Dominicas dies usitatæ devotionis ad eundem Sanctum insistit, à vita Lasciva ad pudicam revocatus. Tertius in peccata carnis prolapsus ad præpostera pertinaciq erubescentia à Confessione deterreretur, instituta ad S. Aloysium devotione non modo Sanctum robur, quo pessimum hunc ruborem profligaret sed et Cordis compunctionem ac lacrymas uberes quibus noxas elueret impetravit. Similem aliqui S. Xaverii opem expertum se affirmavit. Visus ille sibi in somno ad barathrum devolvi, ad ecce labanti in infelicissimo illo præcipitio adest Xaverius manum porrigit, à casu præservat, utq ille confiteatur peccata monet Salubri somnio admonitus vitam vir ille emendavit, gratusq monitori suo, instituta decennali Sancti sibi opem perrexit demereri. Hæc sunt quæ præstita attinent nostrorum operum. Jam Zeli nostrorum documenta hæc sunto. Comprimis innumeri à peccatis expiati Extinctæ plurimorum inimicitiæ; Admoti ad varias Religiones ex Scholis 17. Exercitiis S. Patris exculti aliqui, ab erroribus Lutheri et Calvini revocati ad fidem orthodoxam 27 Multiq alii quos uberius annuæ exhibent vitam Xtianam edocti.

Annus 1749

A. R. P. Franciscus Retz Præpositus Generalis
R. P. Josephus Domaradzki Præpositus Provincialis
R. P. Adalbertus Bystrzonowski Rector Collegii

Aluit hoc anno Collegium Personas 63 atq in his Sacerdotes 32 Scholasticos 17 Magistros 2 Coadjutores 12.

Festivitas SSmi JESU Nnis

Initium huic Anno, ut alias SSmi JESU Nominis dedit festivitas, quam pietate sua et Sacro Cantato exornavit Illmus Josephus Pawłoski Juris U. D. Officialis Posnaniensis Niochensis Antistes. Decursus Januarii tristem nobis invexit scenam Exuvias scilicet Amici nostri in paucis Protectoris et Benefactoris Illmi Mathiæ Koźminski Calysiensis Palatini.

Mors ac Exequiæ Illmi Palatini Calysiensis in nostro templo

Die illa Natalis Xti cum magnam matutini temporis partem nihil causatus aeris intemperie devotissimè sacris Confessionis ac Eucharystiæ refectus Sacramentis, consumpsisset, tandem è templo redux subitâ qua paralysi, qua apoplexiâ tactus, cum denuo Confessario suo matutino P. Joanni Bielski S. Jesu luculenta doloris dedisset signa (neq enim linguæ prærepto usu confiteri licuit) inter uberes Conjugis Charissimæ, prolis Lectissimæ, complorantis aulæ Lacrymas, subditorum ejulatus et suspiria, pissimè intra horas 10 ipsa scilicet noma ante mediam noctem, præreptus vivis, Cælo cum nascente Jesu renatus abiit non obiit. Exequias opem animæ quantocyus latura mæstissima Conjux in diem 14 Januarii indixit. Accepimus pridie amicas exuvias intra templum P. Rhetorices Joanne Bielski Panegyrica oratione Lugubri virum de republica meritissimum, Societatis amantissimum (ut qui detrectatores Societatis nunqm sustinuit) abexedra dilaudante super eo thema, Plorate ante exequias, num ignoratis quoniam princeps et maximus cecidit. Postridie ac per triduum frequentibus Missæ sacrificiis eidem parentatum, donec Illmus D. Alexander Gorzenski Officialis Gnrlis Gnesnensis ad Celebrandum Conductum majorem invitatus, tumulo pios Cineres intulisset. Levatum eodem mense debito notabili Collegium, quia enim summam 25 millium florenorum Polonicalium, mutuo olim à Provincia acceperamus ad emendum Pagum Mechlin, Summa præfata singulari R. P.

Summa 25 millium flor: Provinciæ à Collegio resti tuta

Rectoris industriâ collecta atq per manus R. P. Provinciæ Procuratoris 19 Januarii exsoluta. Februarius nuncium nobis indictæ Congregaõis Provincialis ad eligendum Procuratorem Romam pro die 12ma Junii adtulit. Adtulit novos superioris Scholæ uno et inferiorum tumultus. Primi superiorum Scholæ origo sequens. Ex ordinaõe R. P. Provincialis statutum est pro superioris Scholæ studiosis examen, quo periculum suæ doctrinæ facerent. Visa hæc res insveta, neq ferenda iis potissimum qui inani Studiosi nomine contenti de medulla haud curant. Quare Rectorem Academiæ suæ adeunt, consultationem nescio quam instituant hac de re, fit Consensus an verius Conspiraõ, indieq rebelle conventiculum, in quo paucis renitentibq excutiendum examinis jugum decernit. Verum inconsulta hac consulendi temeritate effectum nihil, nisi ut Presbyter Sniegocki Academiæ Rector à Scholis alienaret, cujus pœna reliqui terrefacti sensim examen subiêre, jamq dum hæc scribo è Theologis è Philsphis 20 ac amplius profectq sui fecêre periculum. Alterum inferioris Scholæ excitavit qua insusitatus à Judæo Laniatore repetendi debiti modus, qua Judæi ejusdem temeritas. Datos sibi florenos duos pro Carne Laniarius pernegabat Matri cuidam familias, hos suus alumnus studiosus dum repetit, atq reluctantem Judæum pugno invadit, pugnis exceptus pessimè aliis occasionem præbuit, ut accincti ferro Judæos invaserint, ab admonitis tamen Scholæ Moderatoribus tempestivè repressi pœnas properatæ succinctionis dederunt, Laniatore Judæo aliisq complicibus publica castigatione pariter mulctatis. Eodem adhuc mense Professores Scholæ Syntaxeos Poëseos ac Rhetorices Drammata sua non sine auditorio frequentissimi plausu novo super theatro exhibuerunt. Festiviore infinities scena in templo nostro 40 horarum devotionis reclusa quam Illmus Josephus Pawłoski Niwchensis Præsul solenni processione conclusit.

Tumultus Scholarum superiorum

Inferiorum

Drammata

Ad Martium (quo Judicium Tribunalis regni Petricoviæ coronis imposita) lites ibidem decisas refero, triaq favorabilia obtenta decreta. Primum solutionis summæ 7 millium Broniesciana ab Illmo Szołdrski Palatino Posnaniensi in Crastino Joannis. 2dum solutionis 5 millium summæ Szaniecianæ hærentis super Murca à Perillustri Radonski Capitaneo Povidensi, 3tium Condescensionis Franciscalis (quæ vox quanquam à latio exclusa in jure obtinet) bonorum Dąbrowa ac Hołowo nostrorum cum bonis Tąll Tązek Mgnfici Dobrzycki et Srocowo Mgnfici Janowski. Aprilis vex omnibq reclusit, nostris operariis patentem ad Labores apostolicos campum: Excurrêre 30 ac amplius Personæ in varias Parochiarum vineas eosdem exculturi, verbiq Divini semine locupletaturi. Sed dum tellus incipit reflorescere flos Mag Poloniæ Majoris decidit Illmus Ludovicus à Szołdry Szołdrski Palatinus Posnaniensis die 18 Aprilis. Aprilis dies 20. Hoc mense agitata Posnaniæ Commissio Fisci Majoris Poloniæ quæ cum timeret à nonnullis è Nobilitate repetitura summam 100 ac amplius imperialium apud nos depositam, aliq in agro Piotrow ad Collegium spectante interdicto vulgo Aresto nostros strinxerunt ne extraderemus præfatam summam. Atq eum arestum idem contra fas Canones locq immunitatem intra Collegium per Ministerialem proclamare tentarunt, repulsi ex atrio, præ janua Collegii idem proclamârunt. Querela inde justissima pro violata loci immunitate ad Illmos Commissarios delata, meruisset rigidam animadversionem nisi pati et exerceri nostrorum eet.

Summa Broniewsciana et Szanieciana repetenda ex decreto.

Condescensio inter Tąll Tązek Dąbrowa ac Hołowo

Missiones nostrorum ad festa Paschatis

Mors Illmi Szołdrski Palat. Posna:

In decursu Maii die scilicet 23 R. P. Rector in villam nostram Piotrow excurrit, Mechlinum deinde unde festis Pentecostes evolutis Cracoviam movit, in ordine ad Celebrandam Congregationem Provincialem pro die 12 Junii indictam. Mense eodem deprehensa initia Conspirationis cujusdam insolitæ Religiosorum Ordinum contra nostros: Cum enim ad oppugnandas theses invitarent pro more Thlgiæ Philosophiæq Lectores, excusârunt usitatum obsequium et nonulli admissas theses ad Collegium remiserunt, quærentibus nobis Cur id facerent silentium pro responso fuit. Fassq aliquis conspiraõem hanc sufflatoribus PP. Dominicanis coalitam atq ab omnibq Lectoribus puncta nescio quæ querelæ subscripta. Factum istud quo forsan nostram vult exercere patientiam Deus, eò paratiore, quo innocentiore animo accepimus. Putoq ubi iniquas hasce querulationes nobis adhuc hodie occultas tempus detexerit, suis cum fomitibus odia facile extinguenda.

Junio ineunte solitis Philosophiæ Thlgiæq disputationibq campus apertus. Ex Philsphia tres extrani theses propugnârunt, totidem anni 4ti Thlgi è nostris concertârunt. Quia verò Religiosorum Ordinum Philsphi Thlgiq quasi quodam classico evocati contra nostros, neq

nostros repetitis invitationibus adduci ad tranquillitatem potuerunt. Quare Deo adversitate ad Nostram gloriam vertente factum ut è clero sapientissimos impetravimus qui theses oppugnarent; Prælatos et Canonicos. Præprimis eluxit Illmi Capituli Posnaniensis erga nos favor atque Nicochensis Antistitis Officialisque Gnrlis Illmi Josephi Comitis de Verbno Pawłowski qui prope omnes Disputationes præsentia sua honestavit, Illmi Swinarski Custodis ac protunc Tribunalis Regni Deputati qui una cum P. A. R. D. Kraut I.U.D. Canonico Cathedrali Posnaniensi Judiceque Surrogato oppugnandas accepit theses et singulari eruditionis suæ ostensione propugnavit. Aliique ex Illmo Capitulo qui gratia sua et præsentiam nunquam defuerunt. Collegiata quoque S. Magdalenæ Illustrium Prælatorum ac Canonicorum favor eluxit, qui et Argumentis et præsentia pariter actibus istis addidere splendorem. Atque ac Illustres multi Præpositi è clero, Affluere ad oppugnandas easdem theses è Cisterciensi Landensi Conventu Theologi duo qui non modo suæ erga nos propensionis et insignis Scientiæ memoriam odoremque suavissimum apud Nos reliquere. Ita paucorum Theologorum è Religiosis Familiis Posnaniensibus multo fœnore pensatam habuimus absentiam. Nam et tantis tamque eximiis et plane doctis Viris Magnates alii ipsi provocati ad nostras numerose confluxere Disputationes. Multique enim è Religiosa S. Francisci familia Minorum de observantia Prælati et Theologi (: quod Capitulum eodem tempore celebrabat :) temperare sibi non poterant quin frequentes ad nos convenirent. Inter hos quantum Disputationum plausus, quia cum religiosis tricas Junius effludit,

Julius faustiore sidere affulsit, reddita Nobis R. P. Rectoris Cracovia reducis præsentia, quo ad Congregationem indictam excurrerat, Secretariique Congregationis totius functus munere longius coactus ibidem substitisse. Attulit idem mensis dispositionem Nostrorum qua et demum dispersæ varia in Collegia Personæ nonnullæ in Gostinio S. Patris moverunt. Solemnitatem S. P. Ignatii Sacro Cantato Illmus Antistes Nicochensis Josephus Pawłowski ornavit, cum frequentissimis Hospitibus religiosæ Mensæ adhibitus.

Augustus Solitam tum a Studiis vacationem Scholasticis, tum Nostris in diversa Provinciæ loca ex dispositione R. Provincialis Missionem tulit; Ad cujus tamen decursum habita est a P. Rhetorices in solita instauratione Studiorum, dici solita oratio. Argumentum illius erat, quam inutilis, quin imo damnosa sit Studiorum brevitas. Argumento huic occasionem dedit Oliverius Rhetor Romanus Scholarum Piarum, qui superiore Anno Orationi quam habuit in apertione Scholarum recens Munificentia Pontificis fundatarum titulum ~~[illegible]~~ præfixit: de Utili Studiorum brevitate: in qua non rationibus, quam scommatis, Heterodoxorumque Scriptorum Auctoritate conatus est ostendere posse Scholarum gradus omnes breviore temporis Curriculo absolvi, dum ea tam in Humanioribus quam in Superioribus Scientiis resecarent, quæ ille tanquam otiosa et ad torquenda ingenia inventa criminabatur. Orationem hanc tum R. P. Provincialis Noster Communicaverat P. Rhetorices, tum R. P. Glogoviensis Rector in Silesia, Carolus Regent S. J. eidem sua manu descriptam misit: rogans: ut qua eloquentia publicarum Scholarum, Grammaticarum item Alvari institutionum criminationes absterserat, eadem levissimis illis, quibus prolixiora Studia carpebant, objectis satisfaceret.

Regent

September. Scholastico labori evocata ad literarum interruptam non nihil tractationem Juventute, initium dedit. Aspeximus

novam

novam docendæ Rhetoricæ non tam Methodum, quam faciem. Ex dispositione quippe R. P. Provincialis annuente A. R. P. Nostro, dati sunt ad docendam Rhetoricam duo Professores. Alter qui matutino tempore Præceptiones Rhetoricas traderet, atque ad illas conformiter exercitationes Oratorias injungeret, repeteretque. Alter a prandiis explicationi Ciceronis ejusdem Imitationi, docendæ historiæ aliisque Authoribus prælegendis daret operam. Utrique novæ præscriptæ leges, quibus laboris et jurisdictionis administrandæque justitiæ confusio, cavebatur, quibusque cancellis Magisterii uniuscujusque ratio clauderetur, præscribebatur. ~~Lutheranij~~ Sectarii quoque Posnanienses Novas hoc Anno moliti sunt Scholas, conducti Scholigeræ qui cum literis una Pueros erroribus Hæresique imbuerent. Verum re ad Nostros delata cura P. R. D. Præpositi D. Magdalenæ Authoritate Magistratus post publicam in prætorio flagellationem Urbe exacti Pseudo Magistri isti; Privilegio illi ostenso Anni 1723. in quo liberum illis sub secta exercitium concedebatur insuper causam suam tuebantur: Sed coacti privilegium reponere surreptitium veluti: Nec cessant adhuc negotium suum in integrum restituere, causa ad Generalem Præfectum Poloniæ cum Magistratu evocata. Num causa cadet, docebit tempus. Ne vero Germanicæ genti Pædagogus suus desit qui Pueris linguæ illorum vernaculæ elementa traderet Christianisque rudimentis imbueret, in proxima Parochiali Templo ædes Catholicus Scholirega opera Nostrorum Constitutus. Dum ita Studiis Hæreticis it obviam: quo Nostris Scholis Christiana pietas amplius sumeret incrementum, feliciter Ecclesiam regens Benedictus 14. qua veteres confirmavit qua Novas concessit, Apostolicoque Diplomate Communivit Sodalitatum Indulgentias; Bulla cum de re Pontificio in Oratorio lecta atque ad ferventiorem hujusce beneficij Usum adolescentes non una Cohortatione Compulsi.

Octobrem quam amabilem Nobis reddidit adventus R. P. Provincialis pro Visitatione Collegij ejusque prolixior dimoratio, tam infamem geminus Scholarum tumultus. Alterius fomes erat, discors Rectoris Academiæ electio, aliis suffragium offerentibus D. Szczukoski jurisdictioni Scholasticæ in multis refractario, paucis, sed magis morigeris eligentibus D. Warszewski Inspectorem P. M. D. Radolinski Usho: venis Succamerariidæ probi optimique in Theologicis ac Philosophicis

versatum

versatum, cui idcirco etiam Patres Nostri electionis hujus Præsides favebant. Priori tamen electione, deinde repetita officium istud cessit, neq tamen ad solitam promulgationem ventum. Alterum excitavit, furore, ex priore tumultu præconcepto, sti: mulatus, Antonius Mykowski Logicus, qui Nobilitati suæ corporisq viribus confisus, Nostram in Nostram jurisdictionem clam obtrectare, deinceps palam debacchari, convitia in Nostros jacere, atq ut amenti erat similior etiam pugnos minari, non destitit. Et quoniam superiore Anno ex ordinatione RP. Provincialis Examen pro Scholis Superioribus constitutum introductumq fuit non sine exclusione Lectoris Academici R. Smigocki eidem rebellantis Imperio. Præfatus Mykowski socios adlegebat qui in abolitionem hujusce sancti Instituti secum conjurarent, exclusus idcirco, Schola digredi recusavit aliosq ab adeunda eadem qua minis, qua pugnis, qua tacita alio: rum conjuratione adjutus deterruit. Vacarunt Logici a consvetis Scholæ exercitationibus unam alteramq hebdomadam, donec metu Sacri fulminis, quod illi tanquam loci sacri inva: sori armato (: Scholar namq atria armatus obsidebat, atq Concio: natorem Nostrum, interpretatus de verbis illius petit in Cathe: dra aggredi parabat, ni a Fratre Coadjutore aditus illius esset prohibitus:) in foro spirituali cudebat, territus discessisset atq a magno ita Scandalo Scholas liberasset. Impositus hocquoq mense circa fabricam Collegii labori Murariorum finis, Veteri murorum parte diruta, Cellarium conservandis vino aut Cerevisiæ præreliquis Collegii fornicibus oportunius positum. Cubiculaq duodecim Fratrum Coadjutorum mansioni, atq Exercitia S. P. N. Secularium absolutiorum exceptioni commodum servitura, magnificentiorisq portæ fundamenta in altum cœpta provehi.

November. RP. Provinciæ Præsidem nobis abstulit abiit enim hisce die aliquantum solennitatem S. Stanislai Kost: ka præcedente; auxit et vero Tutelaris hujusce cultum Illusmq ac Rdissimus Josephus Comes de Werbno Pawłowski Episcopus Nilchensis Officialis Generalis Posnaniensis, et Archi: diaconus in Cathedra Pszczevensis. Cujus etiam eluxit favor in abluendo Sacra Baptismi Lympha Stanislao Mo: ska Wiener ex Judaismo converso, atq a Nostris instructo Medicinæ doctore, totiusq deinceps Capituli Illusmi medico. Ex decembri nihil singulare occurrit præter usitata Festis S. Xa: verij. Barbaræ ac Immaculatæ Conceptionis Populi pietatem Laudes intaminatæ Virginis ex Cathedra peroravit P. M. D. Radolinski Succamerandes Wschovensis Rhetor, in conferta Illustrissimorum Rdissimorum, Perillustrium Magnificorumq Corona.

Jam pro Xti Sacro Natali ad missiones varias ultra 30. Personæ excurrere, quos omnes dies 31. Xbris bono cum Amore Animarum redeuntes adspexit. Actæ Deo laudes, Concio habita in gratiarum actione pro Benefi: ciis elapso Anno Collatis, Cantatum Te Deum laudamus atq veteri ita Anno imposita Corona.

Annus 1750.

ARP. Franciscus Retz Præpositus Generalis.

RP. Josephus Domaradzki Præpositus Provincialis.

RP. Adalbertus Bystrzonowski Rector Collegii.

Aluit hoc Anno Personas 61. atq in his Sacerdotes 28. Scholasticos 14. Magistros 5. Coadjutores 14.

Januarij initium duximus a solita SSmi JESU Nominis Devotione quam Sacro magno Cantato auxit Illustrissimus Nilchensis Episcopus Officialis, adhibitus idem Religiosæ in Re: fectorio Mensæ, quo etiam Illusma Sophia Radzewska vidua olim Illustrissimi Francisci de Bnin Radzewski Succamera: rij Posnaniensis Consors invitata Fundatrix munificentissima, quæ scilicet summam 100 florenorum Polonicalium qua Provin: ciæ, qua Collegio, qua Templo adhuc Marito superstite et ap: probante inscripsit, eandemq inscriptionem in Statu viduali superiore Anno ratam habuit. Affuere una non nulli è Prælatis præcipuaq Nobilitate.

Februario Mense dum Scholæ geminæ Rhetorica ac Poë: sis in concursu magnorum hospitum Tragœdias exhibent. Sce: nam longè terribiliorem exhibuit quidam Koherzewski latrociniis Nomen celebre. Captus ille atq pro ratione deli: cti judicatus a Posnaniensi Magistratu, pœnam colli subivit. Affuere Animæ illius in viam æternitatis disponendæ PP. Nostri. Rem hic, et vere singularem audi: Publica Urbis platea ducebatur ille ad locum sup: plicij: euntem infinita populi sequebatur multitudo; ad: fuit immissa plebi Energumena tam vicina Nostris disponentibus, ut et nostros audire operi suo sacro in: tentos, et audiri vicissim clamans immane posset. Quid hic et vero ex obsessa dæmon: in casum agimus excla: mat, præda casibus nostris parata excidit, Magni Dei gregarij (: hoc Nomine Nostros Confessarios designabat,

Circumd

circumsistunt illum, et trucem., Nec eventus respondit quem Dæmon extimuit, animo compuncto, accusatoribus suis veniam impertita, rogataque vicissim, suffragiis Populi expetitis ferro subiecit collum. Tragædiam hanc excepit 40 horaria devotio in Templo Nostro. Habuimus multos hospites Illustres etiam in Triclinio, quo munificentia Illustrissimæ Sophiæ Radzewska invitavit, sanctæque una cum Nostris Nostro in Triclinio habuit. Triduanæ huic devotioni finem imposuit publica Scholarum et Nostrorum cum Cereis processio Illustrissimo Episcopo Nicheno agmen illius claudente, deportanteque Venerabile.

Martius nihil singulare porrigit ad historiam præter Veteres Studiosorum Nostrorum cum Academicis inimicitias ansa hoc Mense data, innovatas. Res ita se habet. Die solitæ Vacationis Adolescentum Nostrorum aliqui ex Classibus novis deambulatum ivêre ad ripam Vartæ fluvoi, quem in locum Academicorum quoque nonnulli confluxêre. Certatum primo Verbis, tum ad pugnos itum, quibus Nostrates pauciore utpote Numero pejus habiti. Verum ubi latius rumor serpsit, atque ab Academicorum Studiosis Nostros injuria se tractos percrebuit, tumultuari Nostri, ire obviam, ultionemque parare. Res tunc tota intra Verba stetit, Academicis qui lacessiverant suas se in Caveas referentibus. Et plane res omnis sopita videbatur: sed ecce Novas furori subiectas faces: tertio post die Versiculi aliqui Studiosorum Nostrorum famæ injuriosi sparguntur, quibus ad Commune duellum evocabatur temere Nostra Juventus. Ibamus malo huic obviam: verum (: ut mos est omnis Impatiens Juventæ:) Mense uno vix tempus fluxit, quo ipso infamium versuum serpsit disseminatio:) effudere se Nostri in Campum, armati bacillis, quibus singulare provocantium certamen exciperent repellerentque, quem quam inconsulte fecerunt tumultum, tam jure, (:cum aliquantisper evocantes frustra fuissent præstolati, admoniti a Magistris suis ex acie, ac Puerili verius arena discesserunt. Neque deinceps redintegrata hæc bella, illi, qui de gruum ac Puerorum certamine memorans, non absimilia.

Aprilis Duo nobis tulit. Usitatam: alteram Nostrorum Scilicet ad festa Paschatis in Varias Diœceses Archidiœcesesque Parochias Missionem. Alterum Serenissimi Augusti Tertii una cum Serenissima Conjuge adventum. Excepti a Nobilitate et Urbe magno plausu. Dies hæc qua inter desideria adventus, qua inter gaudia salutationis exactus. Serenissima Regina Nobile pietatis reliquit documentum. Duæ vix enim a suo adventu fluxêre horæ, cum illico oblita incommodorum viæ præteritæ ac imminentis, præsentis quæ

frui posset quietis

frui posset quietis, ad visitandas se Divorum ædes contulit. Nostrum primo Templum tum PP. Carmelitarum Calceatorum Moniatium deinde S. Theresiæ maxima et Procerum et Nobilitatis et Populi, Antistitumque trium Posnaniensis Bolinensis, et Nichenensis cincta Corona invisit. Ubique amplius dimidiam cum tenerrimo, et in tanta Principe admirando sensu pietatis horam insumens. Insumptura nec dubium tempus prolixius, Ecclesiasque plures invisura si tardior ad occasum sol prorepsisset. Verum occasus solis Reginæ Serenissimæ præsentiam Templis, non Exemplaris pietatis memoriam; ortus vero utraque Regalem Majestatem Urbi Omnibusque eripuit. Serenissimo Rege audito Missæ Sacrificio festo S. Adalberto luce Varsaviam abeunte.

Maji Feriæ salubres alioqui, hue tamen seditionis afflatas suspexêre rursum; Tumultus hæc semina progressus est et sequens: Studiosorum nonnulli, seviores illi, atque temerarij (: quos tunc Urbs querula indicare non potuisset:) Artificum Sutorumque præsertim adjutores ac famulos artem eandem professos cingulis per superiore vestem cingi indignati, eosdem qua Verbis, qua fortasse levioribus pugnis, cingulorumque discissione præsertim lacessiverant. Eorum unus audentior, an prorsus temerarius, vindicare facinus ferro constituerat; Temeritatem adjuvit casus. Adolescens ex Scholis Academicis D. Brzechwa Nobilis ac ingenuus ibat tum forte ex Academia in Claustrum A.R.P.P. Ordinis Prædicatorum loci Præsidem Necessarium suum invisurus. Neque qui aut opem ferret aut furentem famulum retineret prope aderat. Hunc igitur ab aliis illatam ulturus injuriam præfatus sutoris famulus cultro invadit, ternoque ad latus lævum inflicto vulnere sibi in idem Monasterium fuga consuluit. Academicis injuriatis, a Nobilibusque nonnullis concitati junxêre se Adolescentes Nostri ulturi injuriam. Repressimus tumultuantes: Actio a Consanguineis intentata est ac a Scholis Academicis, cui quia D. e Nostris Studiosis se immiscuerunt, ac Scholarum Nomine (: quod sibi a jurisdictione nequaquam habuere commissum solemniter sunt manifestati; causamque una cum Academia attentarunt, idcirco illis ad pœnam Nobis reservatis, manifestatum est in Castro Posnaniensi Collegium se huic causæ nolle intermiscere, et quidquid actum nonnullos

nullos

per non nullos Seditiosos, totum hoc improbari a Nobis, mirariq vehementer qd Urbs gnara legum Polonia citationi aliqbus Studiosos obtemperasset, atq nullius è Nostris presentia expectatam, tanqm Causam a Nobis intentatam decidisset.
Junio Mense solitæ a PP. Anni 4ti Disputaones peractæ opugnantibus (: necdum enim ordinum Religiosor contra Scholas Superior Professores conspiratio inita finem accepit :) viris Doctissimis de Clero, oppugnantium clausit agmen R.A.D. Krall Canonicus et Judex Surrogatus Posnaniensis. Superioribus pariter Mense eodem initiati sunt Ordinibus Theologi Anni 3tij: scilicet: Balthasar Wysocki, Ignatius Sabatyn Joannes Zaleski Michaël Czapiewski Michaël Zurowski Ordinante Illusmo Josepho Kierski Suffraganeo et Praeposito Posnaniensi. Eodem Mense Summa Bronieviana 7. millium florenor Polonicalium in bonis Karcze locata

Summa Broniewiana

Consumptibilis, ex Decreto Tribunalitio et Terrestri Wschovensi levata est Ab Illustrissima Szoldrska vidua Palatina Posnaniensi. Ex qua Collegio 3. millia, 4. millia cessere Templo. Julius nihil præter Scholastici Anni Coronidem exhibet singulare. Festivitatem D. Ignatij Fundatoris Cantatam Missa, solemniorem fecit Illustrissmus Rdissmus Lotka Abbas Obrensis, Panegyri eundem SS. Patriarcham exornantibus A.R.R.P.P. Carmelitis Calceatis; qui omnes una et Illustrissma Succameraria Posnaniensis Radzewska Religiosæ Mensæ adhibiti.

Augustus Regnum universum Comitiorum Labore quæ extra ordinem celebrabantur, distinuit, Musæ vacabant, sed has ultima Augusti ad solitas studiorum curas revocavit, Oratio hac die habita in conferta Illmorum Rndmorum Perillustrium, omnium Ordinum Religiosorum, ac Academicæ Corona, Argumentum illius erat, Latini Sermonis inter reliquos Principatus.

September. Nihil nobis perscribendum posteris reliquit, præter usitatum Studiosorum confluxum, et examina illorum, qui circa illorum absolutionem Superiori anno tergiversati; ~~[illegible]~~
~~[illegible]~~

October. Lætis tristia permiscuit, Amum Presentia Serenissimorum Poloniæ Regum hac in Saxoniam Varsavia transeuntium Cives omnes lætitia incredibili affecit, Tum Illmi Palatini Posnaniensis Parczynski adventus ad Commissionem Regiam Urbem inter et Moniales S. Benedicti ob succisum abhinc annis sepimentum quod præfatæ Moniales ante multos annos in publica platea vulgo między nogi dicta posuerunt magno Urbis præjudicio, et incommodo, Scholæ praeunte P. Rhetorices salutarunt Illmum Palatinum, atq hanc quam paucis ante mensibus consecutus est Palatinam dignitatem, gratulatæ. Magno deinde motu commissio agitata. Commissariorum fungebantur munere Illmi ac Perillres Parczynski Palatinus Posnaniæ, Andreas Lipski Castellanus Lanciciensis, Kolaczkowski Judex Terrestris Posnaniensis Gąłkowski Notarius Castrensis Posn: Morawski Notarius Castr: Gnesnen: et quamquam apertis et gravibus documentis causam suam Civitas tueretur, pro Monialibus tamen favor in Judice decidit, Sententiæ decisiva hæc summa, Plateam pro publica Judices recognovere, Nihilominus ex eadem 4. cubitos idest dimidium plateæ in latum attribuerunt Monialibus sepimento dividendæ a publica. Præterea pro succisione sepimenti pecuniariam mulctam Civitati imposuere, atq geminos Cives ex quovis ordine eorumq indeterminatos ad turris sessionem damnarunt. Movit Civitas ad Regia Judicia ubi (: quoniam partes Civitatis haud strenue Patronus tueretur :) approbatum in parte commissoriale decretum, mulcta pecuniaria et turris sessione Civitati condonata. Parabat Civitas instaurare suam causam eodem in Judicio, sed interim Moniales sepimentum ex muro non attenta nova sui ad judicia aulica citatione, imo posthabita prohibitione Celsissimi Loci Ordinarij cujus jurisdictioni præfatæ Moniales subsunt, murum perfici vetantis, in amplitudine majore quam decretum permitteret, plateæ dehonestamento, non parvo impedimento transeuntium, et discedentium majore, portæq Collegii inumbratione crexerunt. Julio sequentis Anni. Levata eodem anno Summa Pliniecciana exponibilis flor: pol: 1000 a M.D. Perzynski ex qua Collegio floreni quingenti polon:, quingenti cessere templo, Ad decursum quoq mensis istius PP. anni 4ti panos actus absolverunt Oppugnante Clero, necdum enim Religiosæ Scholæ de suo contra nos maligno actu deferbuerant. Afflixitq quoq nos non modice Deus Lue pecorum in bonis Powarzewo, Wydrzierzewice

et Piotrowo, quæ pecora pæne omnia consumpta, verum dum una nos manu flagellat mox altera levavit manu, ut mox afferam.

November. mensis magna reliquis memorabilis liberalitate Illmæ de Kozminsciis Jaraczewska Castellanæ Rogoznensis, hæc Missionariorum nostrorum capta laboribus donum Templo nostro dignum sua munificentia obtulit. Tabernaculum videlicet, multo auro, multoq argento splendens, opus istud Augustæ Vindelicorum exquisita et elegante opera elaboratum mille ac ducentis Ungaricalibus æstimatum Benefactrix optima impendio summo conduxit, et quamquam a multis solicitaretur ut illud aliarum Religiosarum familiarum templo donaret, non nostro, atq idcirco Missæ Sacrificia sibi multa sponderentur a concurrentibus Religiosis viris. Nostro tamen cessit Divina benignitate cor Benefactricis disponente, in augmentum ornamentorum magnifici nostri Templi. Grata Provincia nostra eidem Missæ Sacrificiis gratias habuit, habebitq immortales. Primus quo opus istud ostensum populo atq in ara majore collocatum, dies erat D. Stanislai Kostka Sacer, quem etiam præsentia sua Sacroq cantato exornavit Illmus Rndmus Swinarski Custos Posnaniensis Canonicus Gnesnensis: Cancellarius Primatialis, ac protunc Judex Tribunalis Regni inclytus. Exitu hujus mensis lugubris Societati universæ mors incidit, ob suum Paternum per annos 20 regimen qui immortalis regeret Societatem a R.P. Francisci Retz Præpositi Generalis q. a Summo Pontifice in morbo extremo visitatus indulgentiis donatus, munitus Sacramentis piissime 13 mensis istius decessit, relicto Vicario Generali annis abhinc 10. consignata A.R.P. Ignatio Visconti Assistente.

December. Solita Immaculatæ Conceptionis festivitate celebris quam auxit oratione panegyrica in Templo magno, et pæne singulari Illmorum Hospitum concursu, Religiosorumq una, habita a P. M. D. Michaele Malechowski Venatore Calisiensis: S.R.M. et Reip: Vexilifero concludente Solemnitatem istam Perillri Rndmo Myszkowski Decano Cath. Posnaniensis: Ultimo tandem Mensis hujusce postquam Patres nostros a Missionibus ad quas copiosi pro festis Natalitiis Christi excurrerant, revocasset Solemni Deo gratiarum actione Anno huic Coronam imposuit, Jam quo fructu plausu et commendatione Societatis Missionarii atq hujus

Collegii R.P. Gabr: Sedell Superior, et P. Thomas Grodzicki Missionarii missiones suas obiverint, multis esset perscribendum, cum audiverimus alicubi numerum Auditorum ad 30 millia excrevisse, duq de Eleemosyna disserent, feminas, virosq nobiles multos, etiam mundo muliebri, etiam vestibus pepercisse, dum egestatem pauperum levarent, inveterata odia aliis palam deposuisse suisq inimicos reconciliatos esse, factas restitutiones, nequam sine lachrimis et gemitibus dictum — pro Concione. Sed quoniam hic et nunc particulari informatione destituor, quare ex sequente Epistola Perillris Rndi D. Szczytnicki Præpositi Wrzesnensis: perscribentis uni e nostris seriem et fructum Missionis sua in Parochia absolutæ, de reliquis habe conjecturam. Ledwo co odetchnąwszy sobie (tenor est totus præfatarum literarum digni Viri fide et Ecclesiastæ optimi) pióro biorę in amplexus WMPana Dobrodzieja: participem czyniąc tych konsolacyi, ktorymi napełniony iestem z nieuymowioney pracy, fatygi, szczęscia y pozytku duchownego Imsciów Xięży Missionarzow Dobrodz: Cedat WMPanu Dobrodz: in potiorem partem meritorum przed Bogiem za Ich kooperacyą. Zeby zas gaudium nostrum sit plenum Cathegoricum Missyi tey WMPanu Dobrodz: defero relationem. Początki Jey tak nas martwiły, zesmy o małym sukcessie ominowali sobie ustawne pluszcze będące przeszkodą blisko dwoch Niedziel 11 dnio przy zaczęciu Missyi ranny deszcz znaczny, znacznie nas zalterował, ale przecie circa horam nonam wypogodzone Niebo pozwoliło nam solennie przyiąć Imsciów Xięży Missionarzow, u S. Krzyża, witał Ich ore condigno R.P. Rzeszewski nomine meo y całey Parochii, potym processionaliter in millena frequentia ludu pospolitego y Imsciów Szlachty introduximus Imsciów przy rezonancyi kapeli JW. ImPana Kasztelana krzywinskiego Dobrodz: y huku moich armatek, aderat tym początkiom Imsci Pan Antoni Gniazdowski Dziedzic consulto proszony ode mnie ziachał, Francuszy u Fary przy napełnionym ludem kosciele zagaili Imsc płace swoie y dispozycyą uczynili całego czasu, Tandem przez tydzien tepiditas magna apparuit w Ludziach ze mało ich bywało na naukach, tak zesmy się obawiali żeby nie same sciany słuchały onych, tandem po tygodniu dopiero zabrawszy ust wszyscy tak adimplebant kosciół, że ostatnie kazanie być na Cmentarzu musiało, Aderat tey pracy multum Imsciów Szlachty y o mil 4. niektorzy aderant, Imsciów Duchownych osobliwie ex Diœcesi Posnan: ktorzy dopo:

magali tey pracy w słuchaniu Spowiedzi. Et quod maximum Tota Coronatu opus przez JW. Jmci X. Konstantina Jelowickiego Opata Lędzkiego ktory przyiechawszy do Wrzesni in vigilia S. Simonis et Judæ proszony w nocy zektycum decorare raczył osobą swoią konczące się nabożenstwo Missionis qua alacritate et promptitudine deklarował się y na całą noc postawszy po Pontifikaty Solenną Processyą pontificaliter Statuę N. Panny (:ut moris e:/ Jmciow Xięzy Missionarzy od S. Ducha do Fary przez miasto niosąc Jmci Panie y Panny, odprawił, przy tym ludzi konkursie ze dwiema Szwadronami od Kościoła S. Ducha uszykowani, aż do Fary wystarczyli, a między tymi Szwadronami processia była Aderat konczącemu się nabożenstwu J.W. Jmci Xiądz Opat Lędzki, Jmci Xięza Dziekani, Kostrzynski, Pyzdrski z Bielowa Congregatio tota, et vicini confratres namnie laskawi. Ex secularibus JW. Kasztelaństwo z Nekli: W. Pułkownikostwo z Gorki JW. Kasztelaństwo nasze Zakrzescy y innych dosyć Jmciow Szlachty. Statuę N. Panny niosły w Processyi 4. Panny Jmci Panna Płonczynska, Derpowska, Roznowska y Siostra moia pięknie przybrane. y dwie Panie Jmci Pani Kasztelanicowa Zakrzewska. y Jmci Pani Prusimska należąca do Jmci X. Opata Umbellę nad Statuą niosł JW. Kasztelan z Nekli. Pod czas tey Processyi huczało Bractwo Strzeleckie y moie moździerze. Po skonczoney Processyi na Cmentarzu godzinne Kazanie prze Jmci X. Superiora miane de cultu Beatissimæ, na ktorym wszyscy z Jmciow in circulo siedzieli, a ludzie aż na parkanie się miescili. Po skonczonym Kazaniu spiewał Wotywę solenną J.W. Jmci X. Opat de Sma Trinitte z racyi 40. horarum po tey mszy processia cum Smo po Cmentarzu y Te Deum laudamus. Po skonczonym tym nabożenstwie pożegnanie przez Jmci X. Superiora nastąpiło tak orc ze nie było tego ktoryby nie płakał, zgoła tak vo cales były lachrymæ populi, że ledwie mowic dały Jmci X. Superiorowi Po Jego skonczoney mowie slidem z ambony było podziękowanie Jmciom Xięży Missionarzom, y J.W. Jmci X. Infulatowi y przytomnym Jmciom za kondekoracyą Nabożenstwa przez X. naszego Rzeszeskiego. Post hæc wziąwszy Jmci laski w ręce w kosciele receperunt a nobis z wielkim płaczem, zalem ludzi, ktorych wyprowadzalismy aż ku Młynowi przy rezonancyi kapeli; y bicia z Armat.

Annus 1751.

A. R.P. Ignatius Visconti Vicarius Glis Soc: JESU
R.P. Stanislaus Popiel Præpositus Provincialis
R.P. Adalbertus Bystrzonowski Rector Collegii.

Aluit hoc anno Collegium Personas 62. atque in his Sacerdotes. 29. Scholasticos 14. Magistros 5. Coadjutores 14.

Initium anni solita Smi JESU nominis festivitate, festivitatem pietate atque devotione consecravimus. Eodem mense tum Suffragia pro anima Sanctæ memoriæ Generalis nostri indicta, nempe Sacrificia Missæ 6. tum Congregatio Provincialis determinata in diem 19 Martii, qua tandem electi sunt futuri Electores, R.P. Josephus Domaradzki, et R.P. Thomas Dunin, atque in casum impedimenti quo aliquis Electorum proficisci non posset Substituti R.P. Ignatius Moszyński Vice Provincialis deinde relictus. R.P. Adalbertus Bystrzonowski Collegii nostri Rector. et. R.P. Thomas Baczyński. Præpositus Domus Professæ.

Februarium dum alii Baccho impendunt nos 40 horarum devotione Sanctiorem reddidimus, quam Solennitatem auxit pietas, et concursus Procerum, ac Nobilitatis, nec non Celsissimi Theodori Czartoryjski Præsulis nostri benevolentia et pietas qui Conclusionem hujus festivitatis et Processionem in Templo solitam habuit. Tragedias eodem mense exhibuerunt Scholæ. Rhetorices. et humanitatis, quas numerosissimi lectissimique ex Capitulo et Palatinatu Hospites exornarunt. sua præsentia, Adolescentes vero egregia actione. Purificatæ Mariæ panegyrim dixit Bertrand Adolescens eximius, tridui non amplius moram nactus et quidem cum laude.

Martius nobis abstulit suavem R.P. Rectoris cum P. Malczewski præsentiam ad Congregationem Provincialem dec mensis hujus 1ma: abeuntium Festum Annunciationis Marianæ temeravit aliquorum e Congregatione majori rebellio, tumultuantium idcirco quod oratio extradita fuerit M.D. Michaeli Nabrzeski optimo Adolescenti et ideo multis inciso, quam tamen eruberunt illico fautores et ad mane processioni adesse nollent. In Vesperis audito optime perorante Oratore affuere eidem pene omnes.

In Aprili Operariis nostris et Patribus æque ac Scholasticis campus ingens apertus ad solitam Paschali tempore Verbi Dni per Parochias disseminatio:

nem Reddidit nobis mensis ejusdem dies 3tia RP. Rectorem ex Congregatione Provinciali reducem.

Majus. Jubilaeum Generale Posnaniensi Dioecesi aperuit dies 10 Mensis initio Maius destinata. Introductio per Celsissimum loci ordinarium coepit a Parochiali Collegiata S. Mariae Magdalenae. Clero, Ordinibus Religiosis, Scholis ac Civitate assistentibus. Templa ad consequendum Jubilaeum 4. assignata Cathedrale, S. Mariae Magdalenae, Nostrum, et PP. Franciscanorum Tantus et vero populi concursus, pietas, modestia, hoc Sancto tempore observata, ut quovis raperet in admirationem hetarodoxos etiam Ex oppidis ac villis etiam remotioribus processionaliter aderat plebs et nobiles cantilenas pias decurrentes imagines Sacras et reliquiaria portantes Circa ultimas Augusti communicantium in nostro Templo numerus crevit ad 60000. Initio ejusdem mensis ordinati 4. Patres 3tii Anni Theologi graves Socii et adjutores laborum Jubilaei.

Junio mense Primum actus publici Patrum anni 4ti Theologorum habiti tum Philosophici opugnarunt ex Clero invitati, tum RRPP. Theologiae Lectores Ordinis S. Francisci de Observantia seu Bernardinorum tum Ordinis S. Francisci strictioris observantiae seu Reformatorum a communi illa in nostros scholarum aliarum conspiratione recedentes. Salutavimus eodem mense Gnesnae Celsissimum Regni Primatem Adamum Komorowski, ab eodem satis benevole accepti. Scholae quoque nostrae magna aedificatione populi ordine associati templa Jubilaeo destinata per 5 dies visitarunt. Festivitatem Corporis Christi conclusit Perillustris Admus Swinarski Custos Cathedralis Posn: Canonicus Gnesn: Litem eodem mense intendit nobis M.D. Skorzewski vice Palatinus ad castrum Posn: ratione Judaeorum, quos RP Rector non solventes census a Summis Collegiorum atque Syngrapham dari solitam annuatim dare detractantes in Collegio diebus aliquot detinuit, donec rationem provisionum retentarum redderent. Multa iidem Judaei mendacia et calumnias in nos manifestatione ad acta porrecta sparserunt, ut proinde RP Rector coactus pertinaci non solutione provisionum in hunc annum Collegii nostri et alia concernentium easdem suo et aliorum Collegiorum nomine ad judicia Castrensia citaverit, Lis usque indecisa nec census persoluti Judaeis Palatini Posn: et vice Palatini patrocinio quotidie

Julius iisdem cum Judaeis nos tricis exercuit. Causam quoque habuimus in Consistorio Posn: cum Parocho Tulcensi eamque geminam, alteram ratione decimae ex praedio Gowarzewo non acceptante Parocho 30 florenos juxta compositionem anni 1636. in 9bri factam solvi solitos alteram ratione decimae patensa ex praedio Nagradowice nunquam antehac solutae. Lis utraque indecisa.

Anno huic Scholastico coronam imposuit festivitas Divinissimi Patriarchae nostri quam Sacro cantato Illmus Niochensis Antistes Josephus Comes de Verbno Pawlowski Officialis Posn: et Archidiaconus in Cathedra Pszczevensi. Concione Perillustris Admus D. Miaskowski Scholasticus Cathedralis Posn: multique pietate sua e Proceribus et primariae Nobilitatis Illmum totum Capitulum, multosque alios hospites prandio excepit RP. Rector, multaque humanitate tractavit.

Augustus celebris nobis exstitit, tum nunciô acceptô Româ, de electione feliciter peracta Admodum R.P. Ignatii ViceComitis in Generalem universae Societatis die   Julii; tum applausu Illustrissimi Augustini Działyński Palatini Calissiensis; distulerat ille usque ad festum Tutelaris sui vota Collegii, quae ipsi in ante, ex occasione Palatinae curulis, conabamur depromere. Quare ubi illuxit dies S. Augustino Sacra, descendit in templum nostrum, aliquot optimatibus, magnoque nobilium stipatus numerô; auditô igitur Sacrificiô missae R.P. Rector vernaculo Sermone, nomen illi et purpuram facundissimè gratulabatur; id ipsum latino idiomate unus ex Professoribus Rhetoricae praestitit; deinde R.P. Adamus Malczewski, Seniô et meritis gravis, librum à se conscriptum, nunquam satis laudatum, sub titulo: Eloquentia propugnata, et brevitas Studiorum impugnata ejus nuncupatum honoribus, non minus graviter, quam ornatè dedicavit. Animô gratissimô accepit plausus, et vota votis reposuit.

Ultimâ ejusdem mensis, more solito, in corona multorum hospitum, tum Saecularium tum Religiosorum, dicta in laudem Studiorum oratio.

In Septembri et Octobri nil memorandum venit, praeterquam: quod electio Lectoris Academiae, aliquoties attentata, nunquam ad effectum deducta est, nemine ex discipulis altiorum Scholarum, id muneris suscipere volente.

In 9bri. S. Stanislai Kostka festivitas (in quam incidit Jubilaei conclusio) magno hominum concursu peracta est. Celsissimus Theodorus Czartoryski Posnaniensis Episcopus Sacrum cecinit; et quia in hanc diem, octava illius Indigetis incidit: R.P. Rector finitô Sacrô, postquam descendit in Sacrarium, vernaculâ lingua festivitati ipsius applausit, deinde Professor Rhetoricae, et tandem Scholae.

Xber. S. Francisci Xaverii cultus ac Divae Barbarae solito confluxu

x

populi celebrata est. Sed nec pietas ac splendor, par defuit Sodalibus Im̃aculatè Concep. Virginis. arsit dies cumulatis ignibus, sed magis arserunt in Suam Reginam Corda Sodalium.

Annus 1752

A.R.P. Ignatius Vice-Comes Generalis Præpositus
R.P. Stanislaus Popiel Præpositus Provincialis.
R.P. Sebastianus Chomentowski Rector Collegii.

Aluit hoc annô Collegium Personas 65. ex his Sacerdotes 29. Scholasticos 17. Magistros 5. Coadjutores 14.

Januarius Calendas mensis hujus initiavit Selectus nobilissimorum Hospitum, plebisq́ frequentia, undiq́ in templum nostrum, ad expiandas conscientiæ noxas, concurrens.

Februarius. Primâ Februarii die, supervenit R.P. Stanislaus Popiel Archi-Præses Provinciæ, comitante illum R.P. Sebastiano Chomentowski futuro Collegii Rectore. In crastinum, ipsa nempe Purificationis B.V.M. die, coram eodem R.P. Provinciali emisit professionem 4 Votorum, P. Samuel Swieszewski, et gradum Coadjutorum temporalium Michael Moskalski.

Die 6ta ejusdem mensis, R.P. Adalbertus Bystrzonowski, Vir ad Sum̃a in Provincia natus, post magnos labores, pro bono hujus Collegii, per sexennium continuatos, insigniterq́ ejusdem provectam fabricam: R̃ndo Patri Sebastiano Chomentowski, olim, pro nostris, philosophicis Cathedris celeberrimo, Barensis deinde Collegii officio, et munere Secretarii Provinciæ, cum laude perfuncto, fasces illius tradidit; ipse verò im̃ediatè, ad regendum Leopoliense Collegium perrexit.

10 Maji dimissus est Joannes Helmicht Theologus anni 1mi, ipse dimissionem postulavit in fundamento rationum Adm. R.P. nostro propositarum.

In Junio defenderunt nostri actus magnos, oppugnantibus Perillustribus R̃ndis D̃nis Kroll Canonico Cathedrali Judiceq Surrogato Officii Diœcesis Posnaniensis, et Prochowski Canonico Ecclesiæ divæ Magdalenæ; nec non R.R.P.P. Lectoribus Religiosorum Ordinum, quotquot numerantur Posnaniæ. Penitus enim extincto philadelphico contra nostros Professores ardore, cum contestatione optimi affectûs, tam theses oppugnare, quàm oppugnatis assistere in frequentia suorum non renuerunt, im̃ò libenti animo susceperunt, bonamq in posterum harmoniam, polliciti sunt.

Discipuli externi, scilicet Auditores Theologiæ et Philosophiæ, etiam hôc annô, nequaquam induci poterant, ad faciendum examen ex suis tractatibus. Singuli quidem præferebant speciem modestiæ, reverentiæ, et promptitudinis, ad exequenda quævis mandata, ab hoc tamen eximi humiliter postulabant, sub prætextu metûs, ne factô hoc, indignationem odiumq incurrerent Consodalium suorum, alienum animum ab examine habentium; et istud postulatum licèt superficialiter humile, ita tamen forte ac pertinax fuit: ut profiterentur se (quamvis semper morigeros se exhibuerint) magis paratos esse, ad reverenter gratias agendum pro Scholastica educatione, quàm ad subeunda odia condiscipulorum suorum, et periculum injuriæ ab illis inferendæ. Quare visum est non esse tutum fortiter instare, ne imperium, per seditionem, quæ in Scholis istis facilis est, excuteretur, cum insigni dedecore nostro. Hæc circa Scholas.

Jam si divina quoq́ beneficia inter labores apostolicos, benignè nobis concessa, in animarum obsequio, tum in urbe tum extra, ad calculum revocentur, plura sunt æternitatis digna memoriâ. Ac primò quidem: in oppido, aliquot milliaribq Posnaniâ dissito, Civis quædam honesta, ex im̃oderato usu adusti vini vulgò cremati, ita temulentiæ fuit dedita, ut diebq ferè singulis, præcipuè festivis, crapulæ et ebrietati vacaret. Hanc igitur post multas aliorum com̃onitiones, missionarius ad se accersivit, seriò cum ingenti Spiritûs fervore illi comminando: nisi ab ea ingluvie desisteret, se subita morte à Deo puniendam, ac æterno incendio tradendam. Com̃onitio hæc, ita mulierem permovit, ut polliceretur, omnem excessum in potu, se in posterum evitaturam. Quia tamen naturam vincere erat difficilè; remedium quô consuetudo aboleri posset expetiit; hic superiore instinctu ductq, suadet mulieri, ut quotiès avidiq́ sitiret, totiès sibi tantum aquæ S. Ignatii infundi juberet, quantum antea illiq noxii potûs haurire consueverat. Excepit bono animo salubre consilium, et propositi memor, in ea sibi mensura diebq singulis aquam S. Ignatii porrigi præcepit, quantum calix vitreq crematô refertq continebat. Quod ubi per undecim continuos dies consequentes fecit, im̃unis à pravi habitûs consuetudine evasit, nec unquam abhinc visa est se inebriasse, quin imò ita sobria esse cœpit, ut etiam provocata ad temulentiam horreret illam, postquam incredibilis temperantiæ amorem concepit.

In alio Oppido sat celebri, in quo magno concursu Nobilium, Civium, et populi, absolvebatur missio: potissima illorum pars, quæ horrendum in modum blasphemare edocta, altera vitiis dedita, quæ jurare et imprecari omnibq ad singula verba assueta erat, piis missionariorum cohortationibq monenda erat, et vitæ, ab hoc passim vitio jam inolito, ad virtutem convertenda, com̃endabatur. Et si à quo, ab hoc passim vitio jam inolito, quà privatis, quà publicis monitis frequenter excitati sunt; singuli hanc consuetudinem abjicerent: sed culpa, quæ iis in usum jam venerat, duriores effecit animos, tantumq valebat in deteriq, ut peccata ex frequentatione prava, usq adeo aut parva esse, aut nulla crederentur, nec remedio jam locq esse videbatur: ubi quæ fuerunt vitia, mores facti sunt. Sermo igitur et vehementior è suggestu institui debuit, et complura media, motiva, damna, exempla, consilia seriora quotidie proponi: sic enim cum multitudine peccantium agendum erat. Duo tamen juvârunt specialiter ad exactam emendationem, videlicet tum examen particulare super ejusmodi delicta, quod mane, tum universale, quod vespere diebq singulis, modô, ad captum vulgi accom̃odatô instituebatur. Alterum adjumentû fuit, ex D. Bernardi Consilio, ut in honorem Christi Eucharistici per triduum saltim abstinerent, memores quod cibq hic Eucharisticq, quem diebq his suscepturi sunt, in suscipientiû lingua, quâ

illi tam pravè abutuntur, et tam bonum Dominū offendunt, reponendꝫ sit. Fuitq; fructuosa adhortatio: multi enim consilium executi, strenuè contra consuetudinem luctabantur: alii in ipsa colluctatione, varias corporis afflictationes sibi imponebant, nonnulli jejuniis et eleemosynis, delicta redimere, reliqui inadvertenter repetitum flagitium, fusis ad Deū precibꝫ et lacrymis diluere conati sunt. Et quia in aulis nobilium, domibꝫ civiū hoc vitium vel maximè extirpandum erat, non deerant salutaria monita, quibꝫ multi permoti, statuerunt non modò se ipsos, verùm et sibi subditos malæ consuetudini assuetos corrigere, assignatâ delinquentibꝫ pœnitentiâ, præter alias, etiam hac: ut imprecationem quamvis inconsideratè commissam, sequenti festo, vel Dominicâ die sacra exomologesi expiarent.

In Archi-Diœcesi verò Gnesnensi locô non ignobili quidam è Primoribꝫ, misericordiæ operibꝫ aliqdo intentꝫ, post intepuit et totum se libidini dedit, vivendo luxuriosè ad provectam usq; ætatem; Non defuerunt, qui eum monitis, et salutari consiliô ad emendandam pessimam vitam hortarentur: verùm pertæsꝫ monitorum, omnia salutis adjumenta neglexerat. Die igitur quadam, ingrediens Ecclesiam, (Deo sic disponente, hac enim die alterum exercitium missioni consentaneum, visitatio nempe Nosocomii, instituta erat) et pauperes coram quibus sermo habitꝫ est, tam numerosè congregatos, et ordine binos miratur, bellam profecto comœdiam judicans. Verùm ubi sermonem attentꝫ audivit, et ad finem dictionis, Missionarium ad osculum pedum et amplexꝫ egenorum accidisse vidit, ita Dei gratiâ compungitur: ut illico ad pedes pauperum se demittere, manꝫ et caput osculari, et inter gemitꝫ ac lacrymas vix loqui valens, profiteri publicè non erubuerit, se, licèt quandoq; ad contritionem excitare conaretur, nunquam tamen sic dolore ut hodie, compunctum fuisse. Accidit postea ad pedes Confessarii, qui eū blandè solatꝫ, confitentem audivit, et ab infelici statu, quem per viginti jam años, pudendâ verecundiâ prorogaverat, eripuit ac absolvit. Sumo mane angelica Dulci Corporis dape refectꝫ, quid contigerit, ipse ~~[illegible]~~ Divinæ miserationis sibi exhibitæ exemplum fecit palam: et potens apud Deum egenorum patrocinium passim deprædicavit.

Ope insuper S. Francisci Xaverii, ex continua peccandi consuetudine multi erepti sunt. De trium perseverantia constat, qui et depravatos mores, et periculosum locum, licèt cum suo temporali damno, generosè deseruerunt. Quædam eorum persona, prohibitam à Confessario domum semel repetiit, inde revertens, violenter in terram corruit, manumq; graviter læsit. Mox recordata vindictæ Divinæ (quam illi certò eventuram, Confessariꝫ prædixerat, nisi occasionem deseveret) ad Confessarium revertitur, et deplorato scelere, fugiendum periculum firmiꝫ statuit.

Neq; istud reticendum beneficium. Cruciabatur partꝫ doloribꝫ, Præsidentis Žerniensis uxor; et primùm autem icuncula S. Ignatii cum granis S. Joannæ et pulveribꝫ Sacræ Domꝫ Lauretanæ illiꝫ capiti, applicata est, mox cum admiratione omnium et lætitia, infantem enixa est.

Extincta præterea inter multos inveterata odia, sopitæ ricæ et jurgia, vitia innumera, quà concionando, quà confitentibꝫ aures præbendo, eradicata; Ex Judaismo v hæresi accedentes ad fidem, sacris imbuti præceptis, et in viam

viam æternitatis dispositi plurimi.

In Julio. Festum patrocinii S. Xaverii Indiarum Apostoli, majore apparatu, quàm hactenꝫ celebratum. Pridie festi à meridie instituta processio solennis, cum icone Divi, pretiosè adornata, ex Curia Civitatis ad Collegiatam S. Magdalenæ, deductaq; cum cereis et facibꝫ assistente Clero, et urbis Magistratu, ingenti populi multitudine comitante, suum Tutelarem. Ubi ventum ad templum, collocata imago, in ara maxima, mox vesperæ decantatæ. Ipso die Patrocinii S. Xaverii, magnꝫ populi concursꝫ fuit. Finita devotione in templo, rursꝫ imago deportata ad Curiam, simili ut heri apparatu; habitaq; est exhortatio de cultu Magni hujus Patroni ab uno è nostris, in foro Civitatis ad Crucem Missionis, litaniæ de S. Francisco concentu musico decantatæ, in curiæ pinaculo. Pro-Consul Urbis, tam nomine proprio, quàm magistratꝫ ac populi præsentis, devovit se ac totam hanc metropolim, in cultum et obsequium perpetuum thaumaturgo Indiarum Apostolo.

2da Augusti, ultima vitæ fuit P. Francisco Hampel Oriundo Oppaviâ. Hic quatuor vota professus, Concionatorem egit Germanicum annis multis, solidè pium et exemplarem. Operarii quoq; munus non impigrè sustinuit. Magnæ lectionis eruditionisq; vixerat, ideoq; plura historicô stylô conscripsit opuscula, sed singula non benè adhuc digesta; explicando deinde Theologiam de moribus, lenta tabe consumptꝫ est. Illatꝫ tumulo Patrum 3. Augusti, ~~Ætatis~~ 56, Religionis 37. anno.

Agitatæ Anno præterito in variis Subselliis causæ quo successu præsenti anno processerint? brevibus persequor.

Prima in Consistorio Posnaniensi inchoata ratione Decimæ manipularis ex Prædio Gozvarzeviensi vel saltem majoris pro illa pendenda solutionis, quàm hucusq pendebatur, juxta compositionem antiquam per annos longè plures quam centum, per appellationem a Collegio factam evocata est ad judicium Sacræ Nuntiaturæ Apostolicæ, ex eo quod Consistorium Posnaniense non attenta combinatione et usu tam antiquo, novam assignaverit commissionem ad determinandam decimam, vel quantitatem pensionis pro illa.

Secunda in eodem Consistorio inchoata ratione Decimæ ex Prædio Nagradoviensi, terminata est per Compositionem inter Collegium et Parochos Tulcensem Kleszczoviensemq factam in hunc modum, ut ex Prædio titulo Decimæ quotannis extradantur quatuor Sexagenæ tritici totidemq siliginis uno anno servituræ Tulcensi Parocho, altero autem Kleszczoviensi et sic deinceps. Jam vero ex agris Colonorum ut ante proveniebant in Annum Nomine Missalium quatuor metretæ siliginis et quatuor avenæ, sic et in posterum statutæ sunt. Compositio hæc propter debitum robur porrecta est Officio et ab Eo judicialitèr approbata

Sperabatur in Junio præsentis Anni Satisfactio Decreto

Tribunalitio Regni injungenti Solutionem summæ Z̄ una cum retentis provisionibus hærentis in bonis Matków sed spem fefellit Magnifica Domina Łaszewska relicta Vidua recusans solvere provisiones retentas. Ideoq in termino Contraventionis juxta Leges et Consvetudinem Regni facta est Publicatio incursæ per eandem Legalis Infamiæ, negotium vero ratione Contraventionis rediit ad Tribunal Regni.

Non prosperius successit Collegio negotium distimitationis Bonorum Mechlin Kotowo ac aliorum a Bonis Lyg Łazek et Sroczowo. Licet enim Collegium Satisfaciendo Decreto sub Annum præteritum lato in Tribunali Regni conduxit Officium Campestre Posnaniæ, et terrestre Siradiense Nempe unum habens potestatem limites ponendi, alterum injurias et violentias factas judicandi puniendiq, obstante tamen a Magnifico Domino Dobrzycki porrecta manifestatione contra Decretum Tribunalis Regni ac si præjudiciosum Legibus Patriæ remissa est Causa ad futurum Tribunal, in quo iterum disceptandum est de hæreditate Bonorum Mechlin aliorumq illi adjacentium a Collegio emptorum

Ultima Augusti finitis feriarum diebus Scholastico labori apertus est campus per Orationem in Renovatione Studiorum dictam a Patre Professore Rhetorices acceptam magno plausu a nobilissimo itaq numeroso Palatinatus hujus Auditore.

Primi dies Novembris celebrati sunt Actibus parvis Nostrorum Theologorum Anni 4ti Oppugnantibq eosdem R.R.P.P. Lectoribus variorum Ordinum Posnaniæ Sedem suam habentium.

Intra tempus istud insolentia temeritasq quorundam Nobilium Juvenum studio Rhetoricæ operam collocantium nonnihil facessivit nobis negotii. Impatientes enim disciplinæ Scholasticæ promeritam recusarunt pœnam imo facto mutuæ defensionis fœdere cum occultatis armis Scholam cujus aditu indigni erant temerarie adibant. Sed re collata cum Parentibq et Consanguineis turbulentorum sedata sunt omnia per amotionem eorundem.

Ultima Xbris dies Coronam imposuit Anno Solemniter decantatis Vesperis institutaq ad id Concione ac tandem Hymno Ambrosiano.

Annus Dni 1753.

Aluit hoc Anno Collegium Personas 63. ex quibus numerabantur Sacerdotes 30 Scholastici 16. Magistri 5. Reliqui rei familiaris adjutores.

Exordia nascentis Anni inhoata sunt consveta devotione magnoq

magnoq Populi concursu in nostro Templo celebrante Illustrissimo Pa-[illegible]owski Episcopo Niochensi Officiali Generali Posnaniensi

In 9nant Maii incidit Religiosa Mors C. Jacobi Piotrowicz viri optime addicti observantiæ Regulari laboribusq suo Statui convenientibq necnon exemplarissimæ ad ultimum halitum devotionis

Mensis Junii dies 28 novis Sacerdotibus Ordinatis ab Illustrissimo Josepho Pawłowski Niochensi Episcopo Officialiq Posnaniensi auxit Collegium, nempe P.P. Joanne Ryben, Josepho Mietkowski Josepho Pakoszewski, Ludovico Osowski Thoma Złotnicki.

Jam vero Dies 15 Augusti assumptæ in Cælos Virgini Beatissimæ consecrata evexit ad Gradum Professionis 4. votorum Patrem Gabrielem Jedel Superiorem Missionis per Majorem Poloniam et Diœcesim Gnesnensem [illegible], qui annuente R. P. Provinciali vota sua deposuit in manibus R.P. Adami Malczewski siquidem eo temporis tenuit R.P. Rectoren inhoata Condescensio Mechlinensis

Remissa anno elapso ex fundo Bonorum Mechlin Kotowo cæterorumq distimitationis Causa, incidit ad judicandum in Tribunali Regni post Dominicam 3tiam Adrgesimæ estq agitata magno motu et contentione nec minore periculo nostro. Adversarius enim noster non modo obstinatissimus paratusq tamdiu in Contra niti donec vel sua consequatur intenta vel omnem fortunam aut vitam ponat, verum etiam homo versutissimus omnem cogitavit modum, omnemq ad nocendum nobis movit lapidem. Amarissime incessanterq coram Judicibq et numerosissima multorum Palatinatuum multitudine queritabaq immanissime se a nobis vexari injustissime sibi fortunam eripi per fraudes et quamdam quam nobis malitiose adstruebat præpotentiam junctam protectioni infascinatorum amicorum. Implorabat omnium commiserationem Deputatorumq Judicum misericordiam exposcebat, qua nisi moverenq sibiq præsto adessent et faverent negotio, brevi futurum spondebat, ut avaritia Spiritualium Equestrem Ordinem majore Bonorum Terrestrium spoliet portione. Promovebat autem negotium ex duplici capite. Imo ut Successor Venditoris præfatorum Bonorum gravi ter per venditionem et in illa injuriatus. 2do ut Nobis opponens se pro Constitutione Regni, quam inquietabat Novi olasse [illegible] in emptione dictorum Bonorum non servando Clausulas appositas permissioni Reipublicæ nobis factæ ad vendenda una Bona et in locum eorum emenda

alia. Non leve hæc habuerunt robur ad movendos tam Judicum quam aliorum animos jam aliunde infensos et inhiantes rebus Spiritualium. Unde parum abfuit, ne causam perderemus contra quam animatus erat major numerus Deputatorum Judicum Sed Singularis Gratia DEI, Magna activitas faventis Nobis Illustrissimi Mareschalci Tribunalis Regni effecit ut approbaretur præteritum Decretum quo ad omnia sua puncta consequenter hæreditas emptorum Bonorum adjudicaretur Collegio injungeretur Condescensio ad distimitationem quæ impedita fuit anno præterito faciendam. Designato tempore non neglexit R.P. Rector conducere eadem Officia quæ conduxerat Anno præterito irrito tamen ut ante conatu, Siquidem tum ex occasione fatorum Magnifici Domini Laszewski cohæredis Bonorum Łążek ad distimitationem Spectantium, tum ratione Manifestationis ab Adversario Nostro factæ etiam contra hoc Decretum tanquam vim Legi faciens, quod in Regno hoc valet ad protrahendam causam remissum est iterum negotium totum ad futurum Regni Tribunal. Desudabat interim Adversarius omnia quæ in suam rem essent Strenue præstando, innumeris Collegium vexando calumniis, injuriam et confictam Sui oppressionem mirum in modum exaggerando, Ordinem equestrem concitando Potentos amicos comparando. Accidit in Sortem Ejus quod Mareschallum Novi Tribunalis nactus sit et optime sibi addictum, et uxori Suæ Sanguine junctum. E contra vero quidam ex Judicibus primæ inter illos authoritatis activitatisq invenirebatur omnino non bene affectus Societati, multumq timendus Collegio. Præterea convenerant Petricoviam ad reassumenda Judicia Tribunalis plerique Magnates Judicibus Deputatis Considerabiles utpote eorumdem Promotores a quibus negotium Adversarii Nostri commendatum est tanquam negotium Publicum, universum Statum Nobilem concernens. Insuper a faventioribus Societati Judicibus accepit R.P. Rector tunc Petricoviæ præsens, non aliud Judicatum Sperandum esse nisi ut juxta mentem Constitutionis Concedentis Collegio Posnaniensi venditionem Bonorum, aliorumq æquivalentium emptionem designentur Commissarii ad serio investigandam æquivalentiam, quod si fieret amitterent vim suam præterita Decreta, lataq panderetur porta diu duraturæ liti grandibus impensis, et vix restaret modus Sperandi ut aliquando rediret Causa ad pristinum Statum. Ex Consilio itaq tam Nostrorum quam Externorum optime in jure Versatorum Societatiq addictorum visum est non exponendum esse negotium periculo fere evidenti sed ineundam aliam viam Securiorem

nempe

nempe Complanationis amicabilis, quæ intervenientibus utriusq partis amicis conclusa est in hunc modum. Admisit pars Adversa in Gratiam Collegii Decretum novum confirmans duo priora, silentium perpetuum imponens, Condescensionemq Officiorum Campestrium injungens ad faciendam distimitationem Bonorum. Collegium vero in Gratiam Adversarii Sui promisit se in futura Condescensione recessurum esse a prætensione quorundam fundorum minus fructificantium inter eluvies fluvii Wartæ positorum, et finita distimitatione enumeraturum quatuor millia florenorum Polonicalium, ratione quercuum existentium in fundo a cujus prætensione per Complanationem recessit pars Adversa. Concordiam hanc et in parte successum illius, nempe admissum Decretum tertium, gratulati sunt nobis Amici Nostri, quomodo autem in reliquo Succedet edocebit Julius Anni præsentis.

Occurrit et alia non mediocris difficultas ratione Pagi Mechlin, quem per plures Annos post emptionem sui possidebat Collegium non resignatum officiose a Venditore Magnifico Domino Hieronymo Kiesiołowski, tum ob minus Sperate Subsecutam mortem ipsius, tum forte ob alias rationes. Anno itaq 1740 procuravit Collegium resignationem à Magnifico Dno Nicolao Kiesiołowski et Sorore Illius tanquam Legitimis Successoribus quia directis nepotibus Venditoris, quibus titulo Doni manualis (quod Patrio Sermone dicitur Podarunek ręczne) et ob captandam eorum benevolentiam inclinandosq animos ad promptius faciendam resignationem præfatam, obtulit quietationem in Personam illorum faciendam, quam et fecit, de Summa duorum millium, una cum provisionibus retentis inscripta debitaq Collegio ab illorum Antecessore Magnifico Dno Hieronymo Kiesiołowski, adeoq repetenda a Successoribus. Id autem factum est per notabilem errorem, siquidem multis ante annis præfatam Summam recepit Collegium a suo debitore data illi quietatione in quam dum postea incidit Magnificus Dnus Nicolaus Kiesiołowski sentiens illusum Sibi esse a Collegio, coram variis actis Castrensibus reclamavit resignationem a se factam, citavitq Collegium Anno hoc ad Tribunal Regni ratione usurpatæ Hæreditatis Pagi Mechlin, quem alicui alteri vendere et resignare intendebat. Et revera præstitisset id etiam Adversario Nostro nisi R.P. Rector ante decem Annos factum errorem redemisset per enumerationem similis Summæ idest quatuor millium florenorum Polonicalium. Qua posita facile

subsecutum est Decretum Tribunalis Regni approbans resignationem factam Anno 1740 omnesq in contra factas transactiones juridicas annihilans.
In Aprili Anni praesentis praesentatus est a R.P. Rectore et institutus ad Beneficium Stupense R. Dnus Petrus Targoszewski post ascensum ad pinguiorem Praepositurum R. Dni Francisci Sitkiewicz qui licet toto tempore quo Stupensem administravit Ecclesiam amicum se nobis exhibuit, victus tamen obsecratione cujusdam Praelati Cathedralis non aliter Beneficium hoc resignare voluit, nisi in Mense Episcopali, ut per concursum ille qui a Praelato proponebatur intruderet. Sed difficultatem istam vicit R.P. Rector offerens se defensurum jus collationis quod tali modo agendi omnibus collatoribus eripeletur maneret[que] in manu ingratorum Beneficiatorum.
In Augusto Summa 18m haerens in Bonis Civitatis Posnaniensis a qua census difficillime, et nonnisi cum indignatione et querimonia ejusdem Civitatis repetebatur, levata est. Ex hac tamen Summa apud eandem Civitatem locata sunt duo millia inscripta Censu per sex a Cento sine ulla in posterum defalcatione, ut ex proveniente ejusmodi censu solvatur terragium per Complanationem factam inter R.P. Mathiam Przanowski Rectorem Collegii Posnaniensis et Civitatem Posnaniam appromissum efficiens quotannis flor. 120.
Jam in Castro Posnaniensi agitatae attinguntur Causae. Sub tempus Judiciorum in Martio acclamatorum cum Magnfco Dno Bardzki Regalium Bonorum Kleszczewo privilegiato Possessore ratione variarum injuriarum in fundo Nostro Nagradaviensibus Subditis illatarum, emanavit Decretum Inquisitionis. Post eductas inquisitiones et per Judicium lectas punitus est Magnfcus Bardzki sessione turris spatio unius Septimanae, tum poenis litis duodenarum quatuordecim marcarum Polonicalium. Movit ab hoc Decreto ad Tribunal Regni, admissaq a Judicio praefata motione, movit Collegium contra admissam.
Sub eodem Judiciorum tractu agitata est Causa cum Magnfco Bendorski, ratione Subditae ex Bonis Jeziorki ad Bona Collegii [illegible] Aula Jeziorcensi in Matrimonium acceptae et per Sententiam injuncta est Solutio 60 marcarum, cui Decreto jam satisfactum est.
Ad Judicia in Julio inchoata citata fuit Magnfca Trzepczyńska de Censu a Summa in Bonis Kiszewo haerente per tres annos retento sed antequam acclamaretur causa sopivit negotium per soluto praefato censu.
Eodem tractu in Causa cum Perillstri Poninski Dapifero Vschovensi ratione Census per Annos 10 retenti a Summa Sex millium florenorum Polonicalium Templo Nostro in Bonis Urzenia inscripta, injunctum est Decreto ut satisfaciat, et satisfecit ex[...] solvendo bis mille centenosq florenos.
In hunc ipsum Mensem Julium inciderunt nova semina futurae litis facta a RR.PP. Dominicanis Conventus Posnaniensis excitantis Controversiam de fundis inter bona sua Buszewo et Pagum Nostrum Kozle nuncupatum. Plusquam a centum Annis ad mentem judicialiter descriptorum limitum quorum Notorii adhuc exstant Scopuli, pacifice Nostri Subditi utebantur praefatis fundis nullam ad illos hucusq praetensionem formantibus aperientibusq PP. Dominicanis. Nunc nata praetensione juxta praxim nonnullis Secularibq similii in negotio usitatam, inchoarunt causam granitialem, ac perpetratis violentiis; Duo enim ex dictis Patribq Praesbyter unus alter Laicus bombardis armati, collectisq Subditis Scipati totum gregem ovium ad depascendas seu potius proterendas varii grani segetes impulerunt. Facta est visio per duos Nobiles et Ministerialem Regni tum manifestatio in Castro et apud Notarium Apostolicum, Citatio autem non est data ob spem amicabiliter Componendi negotii.
Dissimili quia debito modo per idem tempus processit Collegium cum Bonis Janibora haereditariis Illstrmi Capituli Posnaniensis, quorum subditi appropriarunt sibi fundum aliquot stadiorum cum Prato ad Bona Nostra Wydrzewice spectantem. Facta nimirum requisitio ad Perillustrem Koszuski Canonicum Cathedralem Posnaniensem, tanquam advitalitium eorundem Bonorum Possessorem, ut sine strepitu Juris Causa haec agi terminariq posset. Conclusum autem est ut Subditi Janiborenses abstineant ab usu hujus fundi, tandemq captato opportuno tempore cum assensu et assistentia Illustrissimi Capituli conducatur Camerarius Granitialis, antiquos recogniturus renovaturusq Scopulos et ubi opus fuerit novos erecturus.
Studiorum Renovatio more solito, ultima Augusti habita dicta Gratione ab uno ex Professoribus Rhetoricae.
Dies Sancto Stanislao Kostka Sacer solemni et cultu et selectioris Populi frequentia actus est.
Non impar fere devotio Civitatis in Sanctam Barbaram enituit, cujus sodales ad exemplum Concurrentium hominum aeque cultu ac accensis facibus in Processione praeluxerunt.
In Novembri Sanctimoniales Sancti Benedicti Conventus Posnaniensis, partem fundi Nostri in Suburbio post Ecclesiam S. Martini jacentis per exstructum aedificium a Nobis alienarunt, facta est visio, Manifestatio data Citatio pendet Causa in judiciis.

In Decembri ratione processus perducti supra Generosos Zaydlice Bonorum Chlapowa Possessoribus, tum ratione census plusquam a viginti annis recenti a summa Quingentorum florenorum Potonicalium supra iisdem Bonis inscripta Bursæ Pauperum Studiosorum, subsecuta est per Commissarium traditio sortis in iisdem Bonis. Circa hanc traditionem præter verba Contumeliosa, læsiva, Scommatica, et fere blasphema varias volebant intentare violentias Generosi Zaydlic et Białoskorski, jam ex hypocausto extrudere, jam vulnera infligere Patri Procuratori causarum intendebant. Interim persvasione Gnosi Commissarii sanæ menti restituti publicam posthac fecerunt Patri Procuratori deprecationem. Nihilominus ne tam scandalosi et temerarii actus impunè abeant, facta est manifestatio et data citatio ad Iudicia Castrensia Posnaniensia.

Ultima Anni dies solita devotione Conclusa est. Decantatis enim Vesperis et dicta Concione finem fecit Pietati Hymnus Ambrosianus.

Annus Dñi 1754

Vertentis Anni Kalendas Circumcisione Domini insignitas frequentissimorum Concursus Hospitum ad Sacrum pænitentiæ Tribunal accedentium sua devotione solemniores reddidit.

Festo S. Sebastiani incidente simul Sanctissimi Nominis JESU celebritate Votorum Renovatio instituta.

26. Maii P. Andreas Sumoski Concionator Pomeridianus in Collegiata S. Magdalenæ, dicta Concione, Dominicâ infra Octavam Ascensionis Domini ad villam Piotrowo missus, inde etiam ad sæculum expeditus.

Mors P. Adami Malczewski

1ma Junii P. Adamus Malczewski Major Polonus, quatuor vota Professus, anno quarto supra Septuagesimum omnibus Sacramentis munitus, placidissimè obdormivit in Domino. Raro cum exemplo et ædificatione omnium Vir planè Sanctus habebatur, et rerum spiritualium tractatione singularis. Enituit in eo semper modestia non vulgaris cum animi moderatione conjuncta, Natura lenitas et Sermonis affabilitas. Prælegit Philosophiam et Theologiam Scholasticam, varia deinde Collegia rexit, cum magna prudentia et satisfactione Personarum. Extremis vitæ temporibus, (cum præclara ac recondita eruditione ornatus esset) adjecit animum ad lucubrationes humaniorum

niorum Literarum. Scripsit imprimis: Umbram Ligatæ & Præcursionem Solutæ Eloquentiæ. deinde: Eloquentiam propugnatam et brevitatem Studiorum impugnatam; Tertio operi sub titulo Theophrastus ad calcem deducto immortuus.

Mærens Collegium a morte tanti Patris exhilaravit 29 Junii Serenissimi Augusti Tertii cum Regina et Regiis Principibus adventus Posnaniam, qui obvium sibi Collegium versus januam areæ, quæ Vratislaviensem Portam respicit, signis benevolentiæ in vultu expressis accepit humanissimè, nocte transacta in Palatio Episcopali perrexit Varsaviam.

24. Julii Festô S. Joannis Babtistæ consueta Votorum Renovatio, altero semestri celebrata

Eôdem Mense Dominica 4tâ post Pentecosten incidit Festivitas Patrocinii S. Xaverii, quam Urbs tota confluens cum prænobili Magistratu, ad Curiam, præveniendo pridie deduxit inde processionaliter, Indiarum Apostoli imaginem ad Templum Sanctæ Magdalenæ; Id ipsum præstando finitis Vesperis festâ luce, quam Solemnitatem auxit unus ex PP. Missionariis Nostris dicta exhortatione in laudem D. Indigetis sub Cruce Missionis in foro.

Omnibus Anni partibus, Operariorum in Vinea Domini singularis enituit zelus, non tantum enim cum ad Infirmos evocarentur, ut moribundos disponerent, prompti et alacres currebant; sed et ad Missiones cum invitati essent, non impigram navabant operam, sive præbendo aures Confitentibus, sive sæpissimo dicendo ad populum, sive ad fidem ex Judaismo conversos Christianis præceptis imbuendo. Ex quibus præcipui erant, Mercator satis opulentus dictus Ester, postea de Sau, in Judaismo apprimè versatus: qui a Nostro Patre quodam instructus, in Cathedrali Ecclesia Sacris undis tinctus est. Juvenis deinde professione Sartor benè comparatus ad babtizmum in Templo Collegii ipso Festo S. Ignatii cujus et Nomen assumpsit, Sacro fonte expiatus. Plures ex Lutheranismo in sinum Sanctæ Matris Ecclesiæ reducti, sed horum Catalogum alius liber exhibet.

In diem tertiam Julii ex Decreto Tribunalis (quod ut supra dictum est, fuit ex condicto) incidit Condescensio Granitialis, inter Bona No-

Condescensio in Bona Kotowo Łążek ac Sroczewo

stri Collegii dicta Kotowo, et Łążek M. Dni Dobrzycki, ac Sroczewo M.D. Janowski. Condescensio haec sumptuosa atq[ue] ac laboriosa nobis fuit. Incumbebat enim Collegio pro priori Haeredes Sroczewa et Łążku in suis adinvicem praetensionibus obstinatos, magno labore et persvasionibus, ad media pacis, per longum tempus durantibus expensis notabilibus, inclinare, ut determinatis inter illos granitiebus posset cum utroq[ue] securè suum expedire ductum. Hoc enim facto Scopulus Noster angularis, inter Sroczewo, Łążek et Kotowo Nostrum, per agnitionem Haeredum Sroczewa et Łążku firmaretur, prout defacto feliciter evenit; erectiq[ue] sunt tres Scopuli, unus Sroczoviensis, Łążcensis alter, tertius Kotoviensis. Concluso itaq[ue] inter praefatas partes negotio, descendit Officium campestre ad expediendum ductum, inter Kotowo et Sroczewo Dni Janowski (concurrente tertia haereditate villae Zwola) spectantis ad tractum Kurnicensem, ex altera parte fluvii moderni posita directè respiciente concurrentiam fundorum Kotowa et Sroczewa. Post acclamatum inhoatumq[ue] actum reposita et comprobata documenta, atq[ue] controversias abutrinq[ue] ventilatas, Mgnfcus Dnus Janowski Homo prudens, pacificus, Societati JESU benè addictus praetensionibus suis amicabiliter cedens, (nihilominus tamen debuerunt illi concedi in loco de quo lis erat, libera pascua ad terminum vitae ejus, vel venditionis Bonorum Sroczewa) sponte agnovit concurrentiam fundorum Nostrorum cum suis in loco quem designavimus, seu recognovit, admisitq[ue] fluvium Warta antiquitus illo fluxisse tractu, quem ex documentis monstrabamus, granitialemq[ue] esse deducebamus. Similem agnitionem praestiterunt Bona Zwola per Plenipotentem Illrmae Potulicka Capitaneae Dorzechoviensis Haeredissae illorum. Jam juxta Legem agnitionibus factis, ex mutuo partium consensu, erecti sunt duo duntaxat Angulares Scopuli, Sroczowiensis unus, Kotoviensis alter. Bona enim Zwolensia ex adverso moderni fluvii littore posita inibi suum habent Scopulum. Tum ducentibus partibus processit Officium Tractu antiqui fluvii, novos ad antiquas ripas erigendo Scopulos parietales inter fundos Kotowa et Sroczewa, donec perveniret ad supra memoratos angulares Sroczewa, Łążku & Kotowa. Hic finitus est paries inter Sroczewo et Nostrum Kotowo, inhoatus vero inter idem Kotowo et Łązek, incipiendoq[ue] a nominatis angularibus ducente utraq[ue] parte, erecti sunt duo Scopuli parietales, sed dum juxta Combinationem Petricoviae factam (de qua supra) ductum ulteriorem promoveremus, M. Dnus Dobrzycki contraveniendo combinationi abrupit eundem, aliumq[ue] intentavit, mordicusq[ue] illi adhaesit in praejudicium et summum damnum Collegii quod nullatenus pati licuit. Quare Officium Campestre visâ partium discrepantiâ, remisit negotium ad Tribunal Regni, combinationem quam reservaverat proprio munivit sigillo reddendam Illustrissmo Rydzynski Castellanidae Landensi apud quem deposita fuerat et nunc est.

Eodem

2000 fl. ex Matkow levata

Eodem mense levata est ex Matkow summa duorum millium de qua per plures Annos litigavit Collegium. Summa haec (ut immediate infra habes) elocata est in censum, mille vero florenorum ex provisionibus retentis concretum, simulq[ue] receptum accessit aerario peculii consumptibilis ut patet ex rationibus perceptarum.

Feria 2da post Festum S. Jacobi Apostoli Illrma de Lipscii Kwilecka Castellana Landensis inscripsit Collegio super bonis suis summam 12m millium, quam mutuo accepit in annum unum. Summa haec coaluit ex 10m millibus levatis à Civitate Posnaniensi et duobus millibus ex Matkow. Provisio inscripta est per quinque a cento juxta praesentem hujus Palatinatûs consvetudinem.

In Petricoviensibus Regni Judiciis Anno hoc lucratum est Collegium Nostrum duo Decreta Banitionis contra Dominum Bardzki ex appellatione Ejusdem a Castro Posnaniensi, quo in negotio vide Annum superiorem.

Compositio ratione Decimae et Missalium ex Gowarzewo et Synowice

Hoc ipso Anno 1754. facta est compositio inter Collegium ac Illustrem R. Dnum Swierczynski Parochum Tulcensem et die 16 Januarii judicialiter approbata, ratione Decimae & Missalium ~~ex~~ Villa Nostra Gowarzewo et Synowice per quam Compositionem, ex Praedio Decimae loco manipularis quotannis debent dari quatuor Quadragenae tritici, totidemq[ue] Siliginis. Jam vero titulo Missalium a Colonis Gowarzeviensibus quatuor metretae seu cwiertnie siliginis totidemq[ue] avenae, & a Synovicensibus tres metretae siliginis, tres avenae.

Festum S. Patris Ignatii, solito concursu plebis, civiumq[ue] atq[ue] Magnatum celebratum est. Rem divinam solenni ritu fecit, Illmus Josephus Pawłowski Episcopus Niochensis, et Officialis Posnaniensis. Sacras panegyres pro rostris dixerunt Patres Bernardini.

Archi-Praeses Provinciae R.P. Thomas Baczyński, finita visitatione Collegii, abiit 20 Augusti.

Studiorum initia, praxi consueta, ultima Augusti praecessit oratio, dicta à matutino Professore Rhetoricae, in concursu Selecti Auditoris.

Serenissimus Augustus tertius Rex Poloniae, Varsaviâ tendens Dresnam, venit Posnaniam 18 8bris, hinc in crastinum, horis matutinis, ulteriori se commisit itineri.

Dies ultima 8bris, in gratiarum actione Deo pro beneficiis, consueta devotione, in magna frequentia populi, conclusa est.

Annus Domini 1755.

Adm. R. P. Ignatius Vicecomes Generalis Præposit.
R. P. Thomas Baczyński Præpositus Provincialis
R. P. Sebastianus Chomentowski Rector Collegii

Personas hôc annô Collegium aluit 70. Ex his Sacerdotes 31.
Scholasticos 19. Magistros 4. Coadjutores. 16.

Novi anni exordia Sub nomine JESU inchoata, ut essent Solenniora ad populum, invitatus Illmus Pawłowski Episcopus Niochensis et Officialis Posnaniensis, ad peragendum divinum Sacrificium, Suâ præsentiâ auxit. Conciones dixerunt nostri. Religiosæ mensæ, adfuit celebrans cum aliquot Canonicis et Illmo Sapieha Palatino Smoleniæ, Illmo Działyński Succamerario Posnaniensi, Perillustri Miaskowski Dapifero Calissiensi, ac aliis Selectis hospitibus.

Secunda Februarii, emisit Professionem 4 votorum P. Josephus Artelski; ad gradum verò Coadjutorum Spiritualium provecti P. Adalbertus Swidziński, et P. Jacobus Kozicki.

Mors C. Jacobi Szmit

Die 19 Februarii, morte quievit placidissima C. Jacobus Szmit Coadjutor temporalis. Hic, vestiarii functus munere, ex corruptione Sanguinis, contraxit morbum, quô et extinctus est. Sub mortem ipse ultro, actus quospiam, quos, bene valens, prævisos habuit, Sæpius repetebat. Omnibus deinde munitus Sacramentis, cœlo transmisit animam.

In Aprili. Ad complementum externi decoris, quod, adhuc templum expectabat, nempe: ut Sacellum S. Josepho Sacrum, et reliquis Divis Tutelaribus, à parte occidentali, laminâ æreâ tegeretur: R. P. Præfectus Templi, initia hujus operis futuri, posuit; ex hac occasione. Illma Zakrzewska Castellana Calissiensis, inscripserat decem millia templo, locata apud Synagogam Posnaniensem, quæ Summa fuit levabilis; tria igitur millia, in anniversariam diem mortis Suæ (quæ inconsumptibilia esse voluit), reliqua Septem, in laminam Sacelli disposuit. Sed quia, partim aliunde Divina providentia, impensas huic operi providit, partim Congregatio media, minimam partem contribuit: idcirco R. P. Provincialis, 7. millia fient inconsumptibilia, ut templo fructificent.

Majus. In quartam Maji, incidit mors Adm. Rndi Patris Ignatii Vicecomitis, Præpositi Generalis, universæ Societati luctuosa, cujus, ut primam, Successu temporis accepimus notitiam, de more, parentavimus, communi omnium nostrûm Parenti, in templo nostro.

Eodem mense, morbus contagiosus, dictus: purpura Sanguinis, Seu fryzle, inter Studiosos grassari cœpit; hic, quia in una lapidea, intra unius Septimanæ Spatium, tres extinxit, nempe Dominum Kowalski Rhetorem, Dnum Zieliński Poetam, et illorum Directorem Dnum Wyyna, alios lecto affixit: multi ex metu dilapsi Sunt, paucique ad Signum Campanæ, in Scholis comparebant, donec, circa ultimos dies Junii, remittente contagione, iterum congregari cœpissent.

Julius Novum Collegio Præsidem dedit R. P. Josephum Domaradzki, olim Cathedris Philosophicis et Theologicis celeberrimum Professorem; deinde Collegiorum regimine, ex charitate Paterna et affabilitate, Suavissimum Moderatorem; imò de tota Provincia (cujus nuper fasces Sustinuit) optimè meritum. Hic 25 Julii descendit ad Collegium, in crastinum, ejusdem Collegii regimen ex manibus R. P. Sebastiani Chomentowski recepit.

De Summa Palatinatuum

In Augusto, data est citatio Palatinatibus Posnaniensi et Calissiensi, à Collegio, pro levanda Summa à multis annis deposita, ad Judicia Terrestria Posnaniensia. Permovit aliquos Magnates et Officiales hæc citatio, nonnullis verò causam Suspicandi dederat, quasi Collegium Sub prætextu alicujus decreti obtinendi, vellet uni ex Optimatibus Offenso, Serenissimo Regi, hanc Summam extradere. Quare per emissarium Subordinatum, deferunt Serenissimo, et quibusdam Ministris Regni, hanc Suam ridiculam imaginationem; deputatus ab aula Illmus Lubiński notarius Regni ad indagandam veritatem, qui postquam venit Posnaniam, in absentia R. P. Rectoris, egit cum P. Procuratore Causarum; sed cum motiva, et Solidas, datæ Citationis rationes advertit: tam peremptorii Sui itineris, frustraneam Solicitudinem censuit.

Ultimâ Augusti, more consueto in instauratione Studiorum, habita oratio.

September. Iterum RR. PP. Dominicani (ut dictum est Sub anno 1753) novas intentârant violentias fundo Kuzlensi. Cum enim, omnes simul Kuzlenses Subditi ad excolendam glebam, cum aratris in campos descenderant; Notarius Buszoviensis PP. Dnicanorum, non Suppetente illi alio modô, quô impediret nostros ab agricultura colonos, bombardam exoneravit, ut bovem interficeret: Sed pedem ejus tantum læsit; ipse verò majus vix evasit periculum; Siquidem vicissim noster Subditus, explosit fistulam ferream, et pileum Notarii trajecit globô.

In Comitiis Szredensibus, fortiter promovit Collegii negotium, circa levandam Summam Palatinatuum, Illustrissimus Garczyński Palatinus Posnaniensis, optimus Amicus Noster, qui, adjuvantibus eum quibusdam Proceribus nostræ Societati addictis, commissionem evicit ad recipiendam præfatam Summam et alibi locandam.

October. Nec hoc mense RR. PP. Dominicani finem imposuerant violentiis, quatuor enim boves Subditi nostri Kuzlensis, nulla ratione data, interceperant. Sed vicissim C. Procurator, vix non eâdem hora, per Submissos famulos, equos pariter quatuor, ferè ex prædio Buszoviensi intercepit; quare eodem die, ad invicem restituti Sunt boves et equi.

Mors P. Joannis Borowski.

P. Joannes Borowski minor Polonus nobili genere ortus, Scholasticus approbatus, consummato, cum plausu, primo cursu Philosophiæ, alterum in eodem Collegio vix inchoavit, in febrim malignam incidit, deinde in phrenesim, omnes artes medicas, Superantem, quâ et consumptus est, die 24 8bris. Erat apprimè in Severioribus versatus Scientiis, quietis et pacis amantissimus, modestiæ religiosæ cultor eximius. Enituit in illo Singularis pietas in Beatissimam Virginem; cujus, Singulis diebûs ante Somnum, Coronam decurrebat. Aliquot Septimanis ante obitum, quasi imminentem præsentiret mortem; confessionem ex tota vita præmisit. Ante agonem, ad breve tempus compos rationis, ad Supremum certamen unctus, quievit in Domino.

November. Die 30 hujus mensis, ad Supremum magistratum in Societate universa, per Congregationem generalem, evectus est Adm. R. P. Aloysius Centurione Genuensis, novus Generalis: Sub quo, Provinciis nostris, collata est Assistentia Polona, cui is, multum Suâ operâ contulit, ad promovendos evincendosque Successus.

Decembris ultima dies, vesperis, Concione et hymno Ambrosiano decantato conclusa est.

Annus Domini 1756.

Adm R.P. Aloysius Centurionus Generalis
R.P. Thomas Baczyński Provincialis.
R.P. Josephus Domaradzki Rector Collegii

Aluit Collegium hôc annô Personas 74. Ex his Sacerdotes 30 Scholasticos 23. Magistros 5, Coadjutores 16.

Prima dies Januarii, solita devotione celebrata, confluente ex confiniis Nobilitate ac plebe, ad expiandam Conscientiam.

In Februario, data est citatio RR. PP. Dominicanis ad Judicia Castrensia Posnaniensia, pro violentiis, multoties repetitis, in fundo bonorum Kuzle, ex quibus condescensionis decretum emanavit. Idem mensis dedit hospitem Collegio R.P. Franciscum Koźmiński Vice Provincialem, qui omnes Personas sua lustravit praesentia.

Martius. Hoc mense, aliqui ex Studiosis tumultum concitarunt ex Occasione famuli subditi Illmi Dni Jaraczewski Capitanei Solecensis, qui ante annum Scholas frequentavit, deinde ad Notarii villani officium, ab eodem Dnô suo assumptus est. Is quia iniquè administravit, sibi commissum munus, timens pœnam, aufugit Posnaniam: quem, submissus famulus, cum ad pristinum officium, et calculum reddendum reduceret: à Studiosis implorans opem, ne abiret in villam, tumultuariè defensus est. Tam iniquo facinore offensus Illustrissimus Capitaneus, pœnam requisivit ex Studiosis, in hunc actum influentibus. Cujus quia primipilum egerat Dnus Pierzchliński Philosophus, cum aliis quibusdam, et olim jam refractarius Patri Scholarum Praefecto amotus est à Scholis.

In aprili agitata est Condescensio cum RR PP. Dominicanis in bonis Kuzle, in qua, post lectas inquisitiones, mulctati PP. Dominicani pœnâ sexduplici quatuordecem marcarum Polonicalium. Punitum est et Collegium pro C. Curatore, quòd violenter aggressus est fundum, imò praedium PP. Dominicanorum, octoduplici pœna quatuordecem marcarum. Sed PP. Dnicani, hôc non contenti decretô, moverunt litem, per editam nobis de novo citationem, ad judicia terrestria Posnaniensia, rationem allegando: quòd causa facti, absque dislimitatione bonorum, non possit judicari. Evicerunt igitur dislimitationis decretum, nihilominus C. termino satisfactorio marcarum, obtenta est Condemnatio super eosdem RR Patres à Collegio. Insuper damna illata subditis nostris compensanda injunxit judicium; Patres verò ad competens forum pro pœnis remisit. Haec foris acta, felici eventu, Domi verò

Kukliński dimissio.

Jacobus Kukliński, annis 10 Curator in Mechlin, quia ingentia damna pagis intulit, quae 10 millia ferè attingunt. Capitalem enim Reipublicae contributionem, per temulentiam abligurivit. Multa debita contraxit. Familiae per plures annos mercedem non solvit; Rationes perceptarum et expensarum non scripsit. Ex ebrietate periculum naufragii passus, et vix illi ereptus.[#] maceratus idcirco in carcere, à nona Maji ad 29 Junii et ejectus est.

Mors C. Simonis Krzyczyński

Dies 11 Junii fuit ultima C. Simoni Krzyczyński. Plenus ille dierum et virtutum senecio, antea, per varia munia Coadjutorum temporalium provectus, omnia non impigrè sustinuit; Dispensatoris tamen officium, multis annis cum magna semper charitate, in variis Collegiis, cum laude exercuit. In decrepita tandem aetate, Janitor, paralysi tactus, et Sacramentis omnibus munitus, decessit.

[#] Tandem in haereticas partes clàm profectus animô apostatandi, sed ab hac fuga retractus

Eodem mense nempe 25 Junii horis vespertinis, visitavit Dominus Collegium nostrum fulmine, quod ex nubium conflictu expressum, violatis tegulis et facie Collegii respiciente meridiem, excussa deinde fenestrâ et appenso velô ad arcendum solis calorem in cubiculo R.P. Rectoris, directè ferebatur in eundem R.P. Praesidem; proximè ad eandem fenestram apertam, divinum tunc officium recitantem: Sed vi caelorum arcana repercussum, decidit in pistrinum, ibidemque stantem ad fenestram pistorem famulum interfecit. Cujus exuvias, cum sine pretio majori, nollet tumulare in Caemeterio SS. omnium Illustris Rndus Dnus Grochowski, illatus est sepulchro famulorum Collegii.

Julii ultimam diem, Conclusit festivitas S. Parentis nostri Ignatii, et finem laboribus Scholasticis imposuit; Non tamen Missionibus Apostolicis, ad quas, (praeter Ordinarios duos Patres, huic muneri ex officio deditos, qui cum magno emolumento animarum, ubique gentium, suas Missiones obeunt.) alios, in varias Parecias omni tempore expedivit Collegium, qui operando in Ovili Domini, ad probam vitam, et amplectendas virtutes, suâ sancta industriâ incitarunt homines.

Augustus. Ex Decreto Tribunalis Regni, Petricoviensis, agitabatur causa in bonis Chlapowo, cum Possessoribus eorundem Bonorum, in quibus haerebat summa 1000 florenorum, inscripta Bursae Templi nostri, quam evicimus, unà cum provisionibus ab eadem debitis.

September ut atria scholarum reclusit Studiis, sic convictus Nobilium, apertus est Juventutis educationi. In quem, praeter expensas majores, erogatas in pecunia, quas P. Regens annotavit, expendit insuper Collegium: pro trabibus, unam sexagenam arborum, constantem fl: alteram sexagenam pro asseribus ex pinu constantem fl. Asseres quercinas constantes fl. Laterum 8 millia, singula fl: Pro calce fl. 36. Pro vecturis Collegii, etiam Czerwonatum fl. 40.

Eodem mense, in bonis Kuzle, Condescensio gravitiatis cum RR PP. Dominicanis sua sortita est effectum. Invitatus à nobis, Illmus Gorczyński, Succamerarius Vschovensis, Societati nostrae addictissimus, pro aequitate et justitia, insistendo antiquis documentis, fundum nobis adjudicavit. Interim RR Patres Dnicani evitando pœnas facti, citarunt iterum Collegium ad judicia terrestria Posnaniensia, pro relevatione Decretorum Castrensium, sed nihil evicerunt; imò incompetentem actionem, judicium declaravit.

October. Mensis hic post pluros annorum decursus, optatissimum eventum Collegio attulit. Summa enim 803300 millium à multis annis in Collegio deposita, ab Illustrissimis à Commissione Deputatis, praevia quietatione, recepta, et in Bonis Sierakow locata; designatis Collegio 300 aureis, titulô compensandae desolationis pagorum.

Summa Palatinatuum levata

Idem mensis, Causam ab anno 1744 in Tribunali Petricoviensi, cum Pstri Dno Dobrzycki agitatam, optimô, utinam finali eventu, terminavit. Collegio nostro haereditas Bonorum Mechlin, Kotowo Dąbrowa et aliorum adjudicata. Pro Convulsione anteriorum Decretorum, P. Dnus Dobrzycki 500 marcis parti Judicis per medium punitus. Fundus Kotoviensis Kępa wielka dictus, nobis adjudicatus. Perpetuum silentium eidem impositum. Condescensio Succamerarii ad erigendos scopulos designata.

Causa cum Pstri M. D. Dobrzycki

November. Ut nostrorum Patrum Missionariorum, ubiq Zelus in laboribg apostolicis, singulariter autem, in oppido Krotoszyn, enituit; sic Celsissimæ Castellanæ Cracoviensis Potocka Viduæ, eorundem Bonorum Dominæ advitalitiæ, ardor, ex occasione Missionis, primas sibi partes vendicavit; quem ostendit in castigandis hæreticis, ad eorum conversionem. Hæc, falsa politici Status ratione, et aulicorum corruptelis delusa, libertate quoq gentis provocata, liberam Hæreticis agendi potestatem concesserat, sub prætextu civitatis reformandæ, majoris lucri et annui proventus percipiendi, non verò studiò fidei subvertendæ. Sicq in dies nutriebatur et augebatur numerus infidelium. Multum enim proficiebant ad impietatem, comercia permissa hæreticis, quibus omnes rudes et simplices, ad se allicere conabantur hâc industriâ: ut nimirum pretium taxatum à lege, justum non exigeretur ab ementibg, quod alias exigebant Catholici, atq hôc modô plurimos, ad suas potius, quàm nostrorum officinas pertrahere, consequenter fidem veram eradicare, suam ꝑ verò plantare valerent. Quod ubi successit, nemo non vidit, perniciem, et ultimum ferè religionis exitium, hæreseos autem Lutheranæ celerem propagationem. Itaq studiosè multorum consiliô instituta est missio, Octavo Idus Novembris, non absq mirabili dispositione divina, ipsâ Celsissimâ, verè piâ et religiosa Dominâ superveniente. Cumq jam orationum pietate, jam ex suggestu dicentium facultate, quà concionibus, quà hortatu, et reprehensionibg dies decem in labore apostolico consumerentur: patefactæ sunt à Deo mirabiliter hæreticorum insidiæ. Quibus cognitis, Divini honoris amore permota proba Domina, edictis et statutis in posterum, præcepit cogere populum ad conciones, pueros ad catechesim in Ecclesia orthodoxa audiendam; prohibere autem religionis falsæ, etiam occulta exercitia; neminem, ad magistratum illius sectæ admittere, imò nec opifices, nec mercatores, in numerum civium. Malle se potius (adjecit ad extremum) damnum temporalis proventûs et lucri subire, quam jacturam fidei. Et licet neminem ex civitate expelli jussit, multi tamen domesticâ re divenditâ abiere, aliqui intra hoc breve tempus, ad ovile Christi redierunt; omnes verò Catholici, maximas, Deo, pro tam inopinato successu, egerunt gratias.

Per idem tempus, ex quo, à seculo ferè in hoc oppido Sancti Stanislai Kostka imago claret miraculis, ad augendum Sancti hujus cultum, introductum est Festum ejus Patrocinii, cujus tutelæ, tota civitas, quotannis se devoveret.

Conclusig hic annus, usitata devotione, ultima decembris haberi solita.

Annus Domini 1757.

Adm R.P. Aloysius Centurionus Generalis.

R.P. Franciscus Koźminski Præpositus Provincialis

R.P. Josephus Domaradzki Rector Collegii.

Aluit hôc annô Collegium Personas 73. Ex his: Sacerdotes 37. Scholasticos 17. Magistros 5. Coadjutores. 14.

Januarius. Inchoato novi anni exordiô, Illmi Proceres utriusq Palatinatûs, et Officiales cum Nobilitate, cœperunt confluere ad Commissionem Thesauri continuandam, Dominica

nica prima post tres Reges. Quâ peractâ, solennem manifestationem fecerunt in Castro Posnaniensi, contra Magistratum et Cives Posnanienses, ratione editi ab eodem Magistratu mandati Collegio nostro, ad Judicia Assessorialia, de non aperiendo convictu Nobilium.

occasione Convictus Nobilium

Eodem mense init Contractum Collegium cum civitate, ratione reparationis fistularum aquæductus extra mœnia Collegii, pretium constitutum est fl. 70, Contractus à tribg ordinibg approbatus.

Contractus cum civitte rnē fistular. aquæd. ductus

Adhuc 27 hujus mensis, salutavimus votis, cordibus, et affectibus, R.P. Archi Præsidem Provinciæ, qui ad visitandum hoc descendit Collegium.

À tribus circiter annis agitata causa, cum Posnaniensi Synagoga, eidem mensi adjungitur, quod hoc tandem tempore, optatum effectum ex parte sortita sit. Occasio ejus hæc fuit: Judæi Posnanienses volendo excutere jugum solutionis provisionum, ad mentem inscriptionum originalium, citârunt Collegia et Residentias ad judicia terrestria, añô 1755 Posnaniæ agitata, pro reproductione jurium originalium, quæ, et à quantis summis debeat persolvi provisio? Porro in his Judiciis, patuit astus Judæorum; siquidem ex aliena inscriptione causæ, evicerunt Decretum potioritatis, ex ratione: quòd insufficientes essent ad exsolvendas provisiones per decem à tot et tantis summis Nobilium, et Spiritualium Personarum. Quare condescensio injuncta, ad formandum Decretum potioritatis; quod effugiendo, Pater Procurator Provinciæ et Collegii, dedit citationem ad Tribunal Regni, tam Synagogæ, quàm etiam Judicio terrestri ex motivo, quòd non erat in potestate Judicii Terrestris, Decretum potioritatis formare supra Synagogam. Tum quia jurisdictio supra Synagogam, Palatino Posnaniensi, vel Assessoriæ Regni, per Constitutiones, in tali casu est adjudicata. Non obstante tamen hac prosecutione, Perillustris Judex Terrestris, malè Societati addictus, sententiam tulit: quatenus ad mentem præjudicatorum Tribunalitiorum, per semiquatuor non nisi Synagoga solvat provisiones annuas à centum florenis: Super Collegiis verò nostris et Residentiis, cum cœteris magna ex parte Creditoribus (qui unum Nobiscum sentiebant) obtenta est à Synagoga Condemnatio. Sed iterum data est citatio, à P. Procuratore tam Judici, quàm etiam Synagogæ ad Tribunal Regni. Interim dum hæc agerentur, Illmus Garczyński Palatinus Posnaniensis, optimè affectus Societati, volebat Domi, totum hoc componere negotium. Convocatis itaq Senioribus Judæis, et invitato P. Procuratore, init liquidationem summarum; hæc enim maxima fuit objectio Judæorum, quot et quales sumæ sint locatæ à Nobis apud illos? Facta ergo liquidatione, confecta est sum̃a 223982 gr 10. Et scriptô roborata, manibusq tum P. Procuratoris, tum etiam Seniorum Judæorum subscripta; finalem vero decisionem causæ, fata Illmi Palatini impediverunt. Deinde in Tribunali Regni, obtenta est, super Synagoga, condemnatio, cujus facta est executio. Tandem Judæi ob metum ulterioris processus, per amicabilem compositionem, obtulerunt Collegio nostro, cistam lanionum, ad eximendum pignore, Magnifico Dño Jacobo Swinarski, invadiatam; ex qua possent, Collegia et Residentiæ, tum retentas, tum etiam subsequentes, in posterum provisiones percipere; quod etiam acceptavit Collegium.

Lis cum Synagoga Posn.

Propitiam Numinis gratiam hoc anno in bonis nostris experti sumus ubi dum genus quoddam vermium (: mille pedum vocat Plinius:) olus omne in hortis de. pascebat, non nemo ex Patribus qui Curatoris ibidem Ovium et Missionarium [illegible] vermes quidam grassant

egit spe conceptâ in Deum non mediocri invocata D. Ignatii ope aqua eâ benedicta hortos omnes aspersit cum extemplo frontes aves, passeres aliud genus vorant convolant mille-pedum vorant ac hortos omni malo expurgant.

Causa cum Perill. M. Dno Dobrzycki absoluta

Alterum benevolentiæ Divinæ erga nos argumentum eodem anno eluxit in reconciliato nobis quoque Perill. D. Dobrzycki. Causam nimis molestam ac diuturnam quia amplius annos 40 cum eodem Collegium in Judiciis Regni sustinuit: lis erat, eo formidabilis, ut rote cum potente, id est multarum possessionum hærede tum vero perniciosa quia hæreditati bonorum nostrorum obnoxia: hanc ille hæreditatem scilicet, tanquam iniquam, nobis quia contra Regni legem objicere pro se evincere parabat: id si evicisset notabilem fundationis nostræ amisissemus partem. Etsi autem id minime permisit Divina bonitas quæ Judices eam ad æquitatem disponebat ut pro hæreditate nostra decederent quia tamen ipsatus Dominus negotium amplius acerrimeque promovens ab uno Tribunali ad alterum (: quod Ubi hi annuatim in novis Judicibus succedit) appellabat, trahebat Collegium, cum damno haud exiguo ad ingentes expensas. Enimvero cum litis finiendæ vix spes aliqua, congrediuntur una forte negotii tractandi causa Rector Collegii cum litigante, ac ut brevibus multa participationem meritorum cum universa Societate litiganti Rector a se procurandam spondet, modo ab ulteriore juris contentione desistat: Mirum dictu: ea meritorum cum Societate sponsione ita cor hominis emollivit arcana quædam vis numinis, ut repente in gratiam redierit cum Rectore factus plane ex hoste in perpetuum, ut ille gravissime affirmabat amicus. Mensa dein primæ Festo S. Patris Nostri apud Nos cum aliis adhibitus Amicis, multa ille jam inde suæ erga nos propensæ voluntatis testimonia dedit, sed et ab Amicis nostris plausus non infrequentes gratulationesque ex ea nobiscum reconciliationis occasione accepit. Veri rei hujus causa ut ut dilucide magis perspecta sit a Procuratore

1. Causarum Collegii in hæc verba proponitur. Cum Magnifico Josepho Dobrzycki multum molesta et magnis impensis agitatam per annos aliquot causam habuit Collegium in duplici cathegoria: videlicet in negotio hæreditatis Bonorum Mechlin, Dąbrowa, Kotowo, Lucim, Kaleil et in negotio limitum inter Bona Dąbrowa Kotowo Mechlin Collegii et Bona Lęg Zązek ejusque Mei dislimitatione. Ille ut evitaret, Bonorum hæreditatem nobis controvertebat eamque jure pro se vindicabat ex eo quod in illorum emptione per nos contra legem Regni peccatum esset (: ita ille asserebat:) favente Deo, et decidentibus pro æquitate Judicibus quatuor Decretis Tribunalitiis prædictorum bonorum hæreditatem approbatam nacti sumus, condescensiones in fundum ad faciendam dislimitationem hisce Decretis designabant. Ad eas perficiendas conducebat Succamerarios Camerarios Gramitiales (: terminum

et in Polonia judicium et titulus illorum, qui limites Bonorum obsignant:) Judices Terrestres varios, eosque magnis impensis per aliquot hebdomadas fovebat et sustinebat Collegium non absque præmio pro aliquo illorum labore. Sed has condescensiones variis diffugiis solita sua pertinacia irritabat Mcus Dobrzycki, quare Tribunalia adeunda in quibus causæ tantæ importantiæ invigilandum necesse fuerat, ne illa amissa potissima pars fundationis Collegii in quæstionem abiisset. Tandem Anno 1757 condescensionis tertiæ Deus cor hominis emollivit et ex inimico amicum Societati fecit. Negotium plene conclusum, limites bonorum scopulis per Succamerarium Sradiensem erectis consignati ac decreto judicii circumscripti. Aliunque finetis permissio a Collegio nacta est. Cum R. P. Rector participationem meritorum cum Societate illi procurandam obtulisset modo arcem iniquam Collegii desisteret. L.

Synagoga Posnaniensis varias habet summas notabiles tam Provinciæ quam Collegii Templi ac aliorum Collegiorum ac Residentiarum, a quibus quia per annos aliquot nullam pendebat provisionem, jure cum illa actum est, et præter condemnationem in Tribunali Regni super eadem Synagoga obtentam, ex eodem Tribunali causa hæc via Responsionis ad Officium Castren. Posnanien. devoluta fuit, hæc in prædictis Judiciis non est attentata, quia per compositionem finita est tali modo; Cistam Laniorum quam oppignoratam Mcus Minarski habuit numeratis eidem 15000 Collegium exemit, qui Mcus omne jus suum in prædictam cistam transfudit Collegio. Synagoga vero extriennio in triennium eandem cistam tam in summa 15000 quam in aliis variorum Collegiorum summis originalibus obligavit nobis per contractum Actis officialis roboratum pro percipiendis provisionibus per 5 a cento. in vim vero retentam provisionum, si forte proventus Cistæ hujus non sufficeret, eodem contractu 2000 quotannis persolvere se submisit. Accepit in possessionem ad Cistam hanc ejusque proventus Collegium tam suo quam aliorum Collegiorum et Provinciæ nomine, cujus relatio coram Actis Vice Palatinalibus est recognita et ex his ad Acta Castren. Posn. per oblatam porrecta est sicut et aliæ omnes hic in negotio transactiones.

Cum Synagoga Posnaniensi

Cum PP. quoque Ord. Prædicator. Posnanien. Conventus Bonorum Buszena etc: ratione limitum inter bona prædicta et Hetzle Bona Collegii lis exorta Decreto Succamerarii Vschovensis scopulis erectis finita. Causa facti seu violentiam per eosdem Patres subditis Collegii patratam in parte punita, in parte restat adhuc componendum, compositionem hanc expetunt ipsimet Patres Conventus Posnaniensis, quæ ineunda est, cum damna causata non magna sint et pro his satisfactionem offerunt.

Cum PP. Prædicatoribus

Per plures Annos in Collegio depositum erat aliquot centenorum millium Palatinatuum Posnanien. et Calissien. summa hæc sub tempus revolutionis elapsæ erat occasio desolationis bonorum Collegii, juste metuebat Collegium ne per continuationem ulteriorem pecuniæ istius simile quid vel quid pejus experiretur quare citationes dedit Palatinatibus ad levandam summam in deposito apud se hærentem eoque modo ab hoc onere liberatum est 1756, pecuniam enim sua Palatinatus receperunt et in usus elocarunt

Cum Palatinatibus Posnaniensi et Calisiensi

September Ad Ima Mensis hujus Scholis initium datum Oratio tamen in Renovatione Studiorum propter mutationem Professoris a quo dicenda erat non habita usque 5ta ejusd. Idem Mensis de fato R.P. Dunin primi Assistentis Poloniæ Tristem nobis tulit ab Urbe nuntium cui in munere successit R.P. Andreas Wagner ab A.R.P.N. Aloysio Centuriono cum Assistentibus electus.

October Mensis quia novum Majoris Poloniæ Præfectum Generalem Illmum Georgium Mniszech Regni Curiæ Marschalcum dedit dedit occasionem Collegio et Scholis applaudendi suâ dignitati adornatis ad rem ea Laudationibus Panegyricis suorumque honori ab eod. Collegio dicatis.

Mors P. Thomæ Ruminski

Eodem mense die 26 supremum diem obiit Scitoriis P. Thomas Ruminski Profess. 4. vot. Scrinis Curatoris ibidem egit diu variis olim officiis potissimum Concionatoris munere perfunctus fuisset. Singularis sive eludit Industria in affligendo Corpore qui ab alio flagellari ac cædi voluit.

November Mœrore universam Societatem haud mediocri afficit ejus sublato A.R.P.N. Aloysius Centurionum ad 2da die lapsi mensis renuntians. Lætior fuit ad diem Divi Stanislai cujus Solennia ad Aras Illmus Epps Nicopolensis et Officialis Pawlowski ab exedris P.Pres Carmelitæ quos calceatos vocant audere.

Congregatio in ordine ad Congregationem Generalem

Eodem mense postquam Congregationi Generali dies præstituta ad 8vam Maji anni sequentis, Romæ, tum Provinciali Congregationi in ordine ad habendos Electores in Collegio SSrum Applorum Petri et Pauli Cracoviæ 14. Januarii designata, Porro Electores renuntiati R.P. Antonius Bieykowski Præpositus Domus Professæ R.P. Lierski Rector Domus Probationis Substituti R.P. Josephus Wygonowski idem V.Provincialis in absentia R.P. Antonius Czapski Rector Collegii Gedanensis R.P. Ladislaus Wietrzynski

December Luce Divi Indiarum Apostoli clarus celebrante ad aras Pensili Surrogati Krall nostrisque pro concione dicentibus Missionarios è Collegio in varias vineas Domini expedivit

Annus 1758

A.R.P. Joannes Timoni Vicarius Generalis

R.P. Franciscus Kozminski Præpositus Provincialis

R.P. Josephus Domaradzki Rector Collegii

Actis solenniter Calendis Januarii Jubilæi Societatis die Concreditis, Pater Rector Collegii cum P.P. Electoribus iter Cracoviam ingressus remisso postridie ad Collegium ex præfatis Electoribus uno manere ob infirmam valetudinem domi coacto.

Tumultus cum militibus

Mense sequenti Februario subinde dum Præses abest tumultus Studiosos inter ac præsidiarium militem levissima sane ex causa ortus. Carnes non nemo Theologus moralis, Agacki nomine emebat, dumque seu de carne seu de pretio cum Lanione contendebat a milite gregario qui eodem carnis emendæ causa venerat reprehensus, reprehendentem impatiens Theologus carne, seu magis osse carnis graviter sane percussit quia vulneravit, cum subito a præsidio ad carceres rapitur. Percrebuit ea fama inter Studiosos Condiscipulosque præfati Theologi res ad Præfectum Scholarum defertur. Adit hic Commendantem ut ajunt pro Studioso expostulat, liber hic dimittitur ac ad Præfectum una Commendante vocat. Dum adventus Studiosi in superiore ædis parte a Præfecto expectatur fit interea rumor lacessitos forte a studiosis excubias agentes milites vicissim a militibus sine discrimine læduntur studiosi fuerint Clerici fuerint nobiliores nonnulli. Ad hæc Præfectus cum Commendante accurrit promittitur æqua combinatio, ac tumultus interea sedatur. Enimvero compositâ re atque in hunc modum sopita mercede suo plagatus miles Studiosus e Scholis dimissus.

Dies 12 Martii Divis Ignatio et Xaverio sacer quo nimirum in Sanctorum numerum relati, singulari a nobis devotione hoc anno cultus. Cum enim Societas tot in variis Europæ partibus maxime in Lusitaniæ Regno affligeretur triduum nobis ante hunc diem injunctum quo ad placandum propitium Numen uteremur devotione ferventius; in hunc finem abstinuerunt a recreatione consueta nostri, a refectione altera semel duntaxat in diem contenti cibo pridie porro successit flagellatio in Triclinio publica proposita Crucis imagine in medio triclinii prælegente Psalmum Miserere Collegii Præside.

Mensis Aprilis Zelo nostrorum Claros quos ad varias Missiones obeundas disposuit

Mors P. Joannis Cerbs

16ta Maji obiit in Collegio P. Joannes Cerbs Scholasticus approbatus Operarii munere in præsentem annum loco eodem perfunctus. Fuisset vita istius Patris nondum annis matura sane in desiderio nisi optabiliter sibimet mors vitæque exitus incideret, ut pote qui interdum mentis inopiam passus portendebat periculum ne aliquando ad labores ineptus ac Religioni prorsus inutilis haberetur. Alias dum compos mentis semper Religiosi optimi implevit partes.

Miles Rossiacus Prussiam veniens

Promissus jam dudum miles Aquilonarius copias suas contra Borussos in Silesia moturus tandem ad 24tam mensis Junii urbi nostræ appropinquare cœpit majorem in dies majoremque augendo numerum. Salutatus a nobis non sine Collegii incommodo, nam et multam lignorum struem ad Vartam fluvio sitam quam hiberno parabamus usui, cedere hospiti coacti sumus, et prata omnia in villis pro suis equis ac id quidem tota prope æstate ut nihil plane eorundem pratis fœni collectum sit: currus demum devehendæ inde in Marchiam Brandeburgicam annonæ ad castra sua, nec infrequentes nec semel duntaxat sed repetitis et toties vicibus producendi a nobis erant. Nec fuerat cum aliqua in cuperemus injuriam dum hæc ac eadem onera importune debebant omnes.

Dedit hæc imperia præfatus hospes, dedit et humanitatis officia dum post quam e regione Collegii disposuisset castra et Disputationi Philosophicæ, cujus theses propugnabat Perillis Opolinius in Collegio nostro Alumnus oppugnantibus

Perilli Rndissimo Dno Swinarski Custode Posnanien, et Collegii Praeside in Aio Feld Marschalco Fermer primisq castrorum Ministris adfuit et Sacra eadem lustravit et demum Collegium quem et Cubiculum Rectoris gratiose invisit.

Sacra Divi Parentis nostri Luce extremis Julii illustravit Eppus Stroiński et Officialis Posnanien. dum Summum Sacrum ritu solenni Celebravit, perorantibus ad Concionem nostris. Idem Episcopus nempe in Triclinio nostro cum aliis selectissimis hospes.

Recreavit sane Parentis hac luce nos mensis hic, recreavit itidem Parente altero Admodum scilicet Patre nostro electum in Urbe nobis hoc tempore renuntians.

Parentem universae Societati ad vota dedit Mensis Superiorum alter alter in Poloniam electum tulit Augustus porro Praesidem nobis Provinciae ab electione ex Urbe redeuntem restituit, ad cujus exitum Scholis ad Kalendas Septembres reserandis more consveto idest Oratione publica per Professorem Rhetorices praelusum.

Molesta expostulatio Palatinatuum Posnanien. et Calissien.

Hoc loco referenda molesta nimis expostulatio Palatinatus Posnaniensis cum nostris ac vero potissimum cum Praeside Collegii quae mense eodem accidit de Summa illa Palatinatibus Posnaniensi Calissiensique Communem de qua Anno 1757 a nobis repetiisset locaretque in bonis quibusdam Censum quem a Summa percepit anno elocatae Summae primo precibus Obsecrationibusque eicit quatenus hic ad breve tempus deponere in Collegio nostro; admisit ea Conditione Collegii Praeses etsi aegre admodum praefatum Censum, dum anni Sequentis novus Census iterum in Collegio deponi rogatur, tum vero Praeses Collegii omni conatu reniti; quin pro repetendo Censu Superiore agere, nulla ratione ut admitteret novum hunc, induci potuit voluit. Et quia Primores cum Nobilitate instabant acrius pecuniamque quae in Communi Theologorum hipocausto numerabatur relictam ac veluti projectam nobis esse volebant Rector quem maxime casus spectabat angebatque subduxit se e Collegio. Quamobrem requirentes Rectorem, cum abesse Domo intelligerent nec quidquam dictissima exspectatione proficerent, is vero qui vices Rectoris egit, rem ejusmodi minime sua in potestate esse affirmaret indignati nobis non nihil praesente Censum e Collegio exportari heri atque eodem die, Superiorem porro, qui jam ab Anno in Collegio haerebat postridie repeti fecerunt, qua ratione Collegium nostrum aere alieno, metuque liberatum.

Novus Rector Collegii adest R. P. Ladislaus Wierzyński

Vix Scholis initium datum, cum subito ad Vota nostra adest novus atque exoptatus Collegii Praeses R. P. Ladislaus Wierzyński. Fasces illi hoc loco sane justissime delati sunt in quo per annos complures tradita Theologia facultate mereri studuit, cum ante hos nimirum facile confecit eruditissimo labore ad Secretarii Provinciae Majoris Poloniae munus evocatus fuisset à gubernante tunc Provinciam R. P. Francisco Koźminski post ex divisione Provinciarum in Majorem Minoremque Poloniam Provinciali Amo.

Porro accepit praefatos fasces 8va ejusdem Mensis a R. P. Josepho Domaradzki

R. P. Domaradzki abit cum Xvolkientulo

Praedictus Josephus Domaradzki Praedecessor ejus, quoniam alteri Provinciae nomen suum dedit, movit inde eodem tertia a relicto regimine die una cum Clientulo suo Perilli Josepho Ossolinio Capitaneo Chmielnicensi eodemque Palatini Volhyniae Filio. Fuit is Adolescens sane eximius in Collegio nostro triennio toto, idest integro Praedecessoris Rectoris gubernio hospes, an vero alumnus. Quae emolumenta ex occasione praefati [illegible] loco [illegible] quae damna [illegible] fuerit ex dicendis colligere. Fuit [illegible]

e injuste a nobis tanta Summa percipi spargebant in vulgus. Fundamentum porro istius contra nos invidiae hoc fuerat! Juvenis hic a tenetis ut ajunt unguiculis, educationi et disciplinae nostrae maxime laudati R. P. Josephi Domaradzki (qui apud ejus Illmos Parentes gratia valebat plurimum:) curae commissus cum annos aliquot in variis Collegiis ad regimen sui Tutoris ancuratoris exegisset jamque pubertatis aetatem egressus et Juvenis bene multis annis ingressus demum ad hoc Collegium, quo ad capessendum regimen descenderat P. Domaradzki perductus. Hoc loco Juvenis et remotus a suis, et disciplinae productionis pertaesus quaeri plerumque coram externis, ille indolem sua eximia liberatiore forma non his arctari custodibus non tedari claus[illegible]

Juvenine an Tutori prudentiae mala haec vitio vertat, discantque nostri quam [illegible] esse debeant ab admittendis intra Collegia ejusmodi alumnis

Mense Octobri nihil Singulare occurrit

In Novembri descendit ad nos Calissio visitatione ibidem inchoata ac needum perfecta, visitaturus Collegium Praeses Provinciae, valedixitque tunc Januarii Anni Sequentis.

Porro December clarus devotione Festo Immaculatae per Congregationem item per Congregationem civium Festa S. Barbarae demum Zelo nostrorum per Missiones in variis Locis susceptas

Annus 1759.

Adm R. P. Laurentius Ricci Generalis Praepositus

R. P. Franciscus Kozminski Praepositus Provincialis

R. P. Ladislaus Wietrzynski Rector Collegii

Dies Anni Sequentis ac Februarii primus quidem sane Collegio nostro funestus illuxit dum e vivis sustulit P. Simonem Waber, cum non levi maerore Collegium afficeret fuerunt insignes Patris istius virtutes quibus domesticis exquisitae optimi Religiosi exemplo, externis magna sui cum existimatione famaque Societatis haud mediocri praelibat. Et ne laus sua amplior seu breviter perstricta seu magis consepulta esse videatur, eadem ad gratissimam Tanti Viri memoriam infra referet prolixius. In eundem mensem inciderunt fata Charissimi Bartholomaei Pienkowski cujus itidem Religiosae virtutes recensebuntur posteriore loco. Ita funestum mensem recrearunt non nihil humaniores Scholae productis in Theatro a Rhetorices et Magro Poeseos Tragoediis, cujus demum solatia nobilius auxit, solita in nostro Templo, triduo diem Cinerum praecedente, devotio. Vix haec, cum dies ipse Cinerum nedum initium abstinentiae sed severioris cujusdam poenitentiae an occurrentis aliunde dedit molestiae. Nimirum Statione hyberna fixa alibi Russiacus miles dum relicta eo loci haud mediocri Annona, ab urbe adest, eveniendum minime expectaret adest alter partis adversae quem Borussum seu Brandeburgum vocamus. Diluculo accessit ad urbem dumque primo omnia lustrat sed securitati Stationique provisurus etiam in nostro Collegio Stationem fieri decrevit. Itaque emissarius Rectorem convenit, neque expostulat cum eodem de Statione et loco, sed Stationem quamprimum urget additis sermonibus non paenum alienis ab humanitate responsis ac minis. Et gregario quidem militi designata cubicula ad portam in inferiore Collegii Area respectissimum et negotium erat de militibus in officio et dignitate positis quibus hypocausta aliquod designaret splendidius. Lustrata sunt varia cubicula in superiore Collegii parte dumque minime placuerunt

Mors P. Simonis Waber

Mors C. Pienkowski

Miles Brandeburgicus in Collegio Statione figit

187

186

lum Commissarius, cederet ipsemet Rector suo cubiculo et magna
contentione quin subjecit si opus sit sacram etiam ædem ac Templum
mansioni suæ cessurum, restabat adhuc Provincialis cubiculum non quidem
splendidum, ut neque Rectoris erat sed paulo commodius ac electioni ob-
lum vix tandem placuit. Recepti proin eodem cubiculo sunt digniores
quinque an 6 cæteri prope ducenti per varia cubicula dispersi por-
tis in utraque domus area hinc inde ubi visum erat excubiis. Et quia
repentino itinere fatigatus miles requirebat, ut sibi cibus potusque
et quæ commoditatem facient provideremus quam primum, parendum,
certandum omni humanitate par erat. Interea tamen humanitas hæc die
potissimum ipso adventus a nobis requisita, cum diebus sequentibus
ipsis dignioribus eadem constans exhiberetur, reliquis suo militari
stipendio sibi annonam procurantibus. Rebus ita compositis Collegii
Præses Generalem causa visitandi in Urbe adit, exceptus perhum-
aniter dum nonnihil incommodam Collegio ejusmodi stationem sub-
deret, subridens generalis suavi comique sermone respondit ut ibidem
figeret mandatum esse Regis expressum, sed nec tempore diuturno fore
incommodam, et certe rem ita evenisse eventus docuit: quarta enim
ab hinc adventus sui die summo mane inter humanitatis plena
officia quæ deinde inferius referam valedixit Collegio miles

Sub id dum is Domi nostræ moratur hospes acciderunt huic rei
nonnulla quibus nisi Rectoris insignis prudentia occurrisset mo-
lesta magis ipsa statione fuissent. Fuerat cui aliquis militum de
annona quæ eo loci Rossiaco militi substracta sibi in spolium ce-
bat, cui Rectore ea redimeret arcana conventione paucisci voluit de
Rector non sibi facultates suppedere et illegimis satis interea esse
reponens, renditorem cautissima excusatione expedivit, fuit cum nonnulli
secreto cum Rectore sermone et remotis ut ajunt arbitris uti opta-
verunt, sed Rector propalam agi omnia ac manifestum cæteris ser-
monem voluit. Pridie sui abitus gregariorum nonnemo cubiculum
Rectoris dum minime observaretur achuis subiit, et quia Rector
Gallico plerumque sermone cum hospite suo conferebat tum ille
positis humi genibus Gallice orare Præsidem loco securo abderet
promittens, ejurata hæresi Orthodoxam amplecti fidem, reponebat
Rector sibi ejusmodi securitatem deesse, at dum miles fervem-
tius instaret, prehensa manu militis cum ad suos Præfectos
duxit, utrumque sinum, quid optaret quidve rogaret aperit

Et suspicari licet in oratione illa fraudem fuisse militis, nam a Præ-
fectis suis non promere severius acceptus sed leniter admodum repre-
hensus, atque abire jussus. Fuit item dum diligentius a nobis quæ-
situm nimirum annona Rossiaci militis apud nos servaret inspicere cel-
lam frumentariam ipse in persona parabat Generalis Rectore præsen-
te, et dein quominus inspiceret ob constanter apud se nostrorum explo-
ratam fidem admonitus. Porro ita placuit hospiti nostrorum hæc cau-
tio ut ad eam hortari nos inderet impensius dum diceret Patres esto-
te cauti et estis securi. Hæc dum omnia et æquo animo sustinere
et prædicare debueramus rigidius fuit sane non levis agnitudo non
ea tamen quæ non aliquam relaxationem allevationemque admit-
teret. Conferre ad hanc non parum videbatur rigor quidam seu disci-
plina militaris, an singularis modestia in milite, qui fines statio-
nis suæ excedere, ad superiores Collegii partes ascendere, huc illuc
per Collegium grassari haud audebat religiosius, quin post signum
ad quietem nocturnam datum, quietudine ipse et Religiosi silentii
eo temporis potissimum servandi custos fieri veluti quidam volebat
tantoque illud servabat religiosius necum aliquo e nostris ~~protervæ~~
proterve ageret neve gravis ac intempestivus occurreret. De man-
datum ita sibi ~~compertum est~~ fuisse compertum est. Nam ubi semel ea ratione odiosus
non nemo occurreret dedit suæ audaciæ pœnas non leves. Eam gra-
tam, quasi beneficii accepti memoriam relinquebat hospes, et alia
quædam grati animi sui erga Collegium et Præsidem argumenta
adjecit. Ac inprimis nullam præter stationem, molestiam Collegio
afferre voluit: hinc minime nobis difficilem ex urbe egressum con-
cessit, seu in hanc ingressum, non commeatum daremus non cur-
rus non equitatum. Maxime vero in discessu dum valediceus Colle-
gio, Rectorem his, signis veluti benevolentiæ suæ erga nos, affa-
tus verbis: Nuntiabimus Regi nostro humanitatem vestram
ac nosmet ipsi vobis grati erimus. Jam in Urbe ac inter nostros
quoque ex hac occasione opinio rumorque varius, affirmabant
hæretici, qui hoc loco non infrequentes, præfatum eo fine venisse
militem, ut quoniam sibi non locus, non ullum receptaculum
foret ubi suum superstitiosum cultum fidemque exercerent
Templum aliquod, nostrum vero maxime, quod hoc loco splen-
didius suo huic exercitio tribuerent, ad hæc supellectilem Templi
militi cessuram, eo a Collegio requisitum iri per militem ex

nostris

nostris quosdam acceptum iri in servitutem quin et trucidandos quosdam suspicari neque illud omisere: Regem ipsum statione illa in Collegio nostro aut saltem Regis fratrem habiisse, cujus rei argumenta producebant, et quædam salus ad speciem vera si vera fuissent altera at risu digna.

Discessit proin hospes ille nulla ut dicti Collegio præter stationem molestia relicta et nisi sequentibus in mansione sua relictis versiculis

Ignara mens rebusque non exercita
Veratur atra mortis incertum diem
Perversus animus quique se nullo videt
Scelere inquinatum, semper est liber metu.
Item
Pereat triobium pereatis Russi
Gallus et Austriacus cadant vi Borussi

Miles Rossiacus revertitur Posnaniam

Excepsit iis, dum alter, Rossiacus scilicet, proxime ineunte vere adnes et Prussia redit posuitque castra ad Urbem locis variis: inde quod damni Collegio, facilis sit conjectura nam rursum pars lignorum pro hiberno Collegii usu haud exigua ponti ab illis in Varta fluvio substruendo cessit rursum currus et equitatus a nobis tribui equis provideri debuerant ac dum needum succrevissent prata, manipuli in horreis hærentes adhuc frumento pleni, ab iisdem extracti pretio imprimis admodum exiguo demum et nullo oblato. Cladem interea hoc tempore maximam sustinuerunt tria prædia Jezorcensia et hortus uterque alter post Urbem altere regione Collegii post vallem an fossam situs. Ac quod cladem prædiorum attinet Posuerat Rossus ad Urbem castra, ut diximus locis iis, quibus nullum nocumentum imprimis fuisset dum subito fit conspicuus Borussus atque ad omnem Regionis an Urbis plagam Rossus ea ratione irritatus nec sibi constans unde hostis erumpat seu irruat, adigitur ut tentoria et militem pari ratione urbis nimirum ad omnem partem disponat eo sibi consilio dum prospicit ægre prospicit circa Urbem segeti needum adhuc maturæ ac ad messem paratæ quæ partim ferro prosternebatur partim calcibus aut turma equorum atterebatur. Dum hæc, cum Borussus gradum in Silesiam revocat quem dum insequitur Rossus, atque per vicos arrepti itineris positis tentoriis quiescit, audit sibi quies hæc in præfatis bonorum nostrorum prædiis tam inquieta iisdem ut messem fere omnem, ut equos quadraginta qui haud recuperati amplius ut rem familiarem illam clarum quod minori seu nulli usui foret milli

damno æstimato 20 millibus amiserit. Verbo ita molestus miles ille prædiis nostris accidit, ac si hostis in hostiles partes venisset. Jam quod hortum utrumque attinet, ut breviter perstringam; suburbanus ille stationi sua imprimis demum direptioni cessit, prata quæ ibi haud exigua per equos camelos variumque pecus vastata plantæ per eidem pecus sæpta per militem diruti. Ædificium variis incommodis affectum, fenestræ imprimis aliquot sublatæ. Neque ab hac injuria hortus alter e regione Collegii immunis fuit, vallibus palisque circumdatur urbe cœpta a Rossis, cui præsidio dum obiri quinque cessissent horti, nostri quoque pars quædam cessit. Et needum malorum finis quem anni scholastici sequentis declarabit decursus.

Continuatio Anni 1759.

Gesta P. Simonis Waber.

Quia vero multo ante quam hæc contingerent, non obscure prædixerat, de quo paulo superius mentio facta est. P. Simon Waber Major Polonus non incongruum nobis visum est quæ cum præcipua tam præstantis Viri laude commemorari possunt, in hunc locum referre. Natus ergo hic Pater est in Oppido Sarnova honestissimis Parentibus 24 10bris Anno Salutis 1707 in Societatem cooptatus 1724. 13 Augusti. ad Professionem 4. Votorum admissus 1742. 4ta Martii. In singulis Tyrocinii muneribus ita se gessit, ut omnes probi Tyronis partes cumulatissime impleverit. Ab exacto probationis biennio operam dare Philosophiæ jussus de pristino fervore, quod contingere non infrequenter solet, nihil omnino remiserat, eadem illi semper ad precandum alacritas, eadem vultus, oculorumque modestia, eadem cum observantia silentii, tum inter colloquendum prudentia. Neque cum docendis Magister esset Scholis inferioribus præfectus, neque cum absoluto Magisterii curriculo Theologiæ facultati navasset operam, de primæva P. Simonis virtute est quidquam diminutum. Pro ea qua valebat ingenii acrimonia singulari, Philosophiæ, Theologiæ, quin et humaniorum litterarum scientiam assequutus est eam, ut dignus à suis judicaretur Præsidibus, qui Rhetoricas primum difficultates, tum Philosophicas etiam quæstiones Magister discipulis explanaret. Confecto biennio Philosophiæ curriculo sacri munus Oratoris obire jussus, non facile dictu est, quanta Apostolici fervoris commendatione in omni obsequiorum et charitatis genere versatus fuerit. Matutinum tempus, quod magna confitentium vis quandoque ultra meridiem produxit audiendis quotidie peccatorum Confessionibus, pomeridianum cum invisendis ægris, tum parandis ad ultimum agonem moribundis dabat. Quotidianos labores, quos ultro sibi sumebat P. Simon, late per totam diffusa viciniam raræ probitatis existimatio majorem in modum auxit. Etenim nemo ferme Posnaniensium incolarum fuit, qui, si proximam sibi præsentiret imminere mortem, non illius ad hoc supremum certamen efflagitaret operam. Facinorosi, Pauperes, Nobiles, Principes æque Viri atque mulieres, quin ex ipso etiam Clero honoratissimi quique Illo coram sua confiteri peccata, illum, dum animam egissent, sibi hortatorem adstare cupiebant. Diebus integris tanto labori mini-

me sufficientibus solidas noctes vigilare P. Simonem non infreqventer oportuit:
atq dum sic nocturnum diurnumq tempus juvandis proximorum animis P. Simon
impendit, vix tandem aliqvod aut capessendæ qvieti; aut concioni elaborandæ spatium
obtinebat.

Itaq hæc raro ad artem exacta, rarius ad verborum sententiarumq elegantiam
concinnata: tamen adeo nescio qvid Cœleste, ac tam incitatum spirabat, ut audientes
qvoqvo vellet impelleret, ipsiq adeo hæretici qvinetjudæi habitu dissimulato ad audien:
dum accurrerent, et vel ex P. Simonis Concione facile patesceret, salutares illos qui ex
concionibus referuntur fructus, non à persvasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed
ab ostensione Spiritûs et virtutis pendere. Tam angustum totq impedimentis dimi:
nutum tempus excursiones insuper creberrimæ, qvas certatim id ac enixe contenden:
tibûs Præstantissimis Majoris Poloniæ familiîs invitissimũ licet P. Simonẽ fre-
qventare necessario oportuit, supra modum coarctarunt. Simul ac una in aula
suo munere præclare functus, ad Collegium revertit; præter innumeros pœnitentes
qvi nunqm non molesto Patris absentiam ferebant animo, præter infirmos et mo-
ribundos suum avidissime præstolantes reditum, sæpissime reperiebat domi litteras
quibûs à qvopiam ex Proceribus illius vehementer efflagitabatur adventus. Uno igit
ablegato curru alium sine mora conscendere, et solutis uno in loco conscientiarũ No:
dis, ad aliorum rursum difficultates componendas conferre se è vestigio cogebatur. Huc
referendum est, plurimos ex nobilioribus cum Viris tum foeminis fuisse, qvi consulen:
di Patris, conscientiæq cum illo comunicandæ gratiâ remotioribus ex locis 40, qvin etiã
50 leucarum intervallo distantibus Posnaniam ventitabant: ut mirum prorsus videri
debeat, non Concionatoris duntaxat officio, verum etiam eidem ipsi Apostolico proxi:
mis inserviendi muneri unum hunc Patrem satisfacere potuisse.

Neq vero qvenqvam initæ cum P. Simone consvetudinis pœnituit: multa Viro
nimirum inerant, qvæ voluntates hominum majorem in modum rapiebant. Nihil
illi triste, nihil torvũ in oculis: qvin potius hilari semper, et subridenti; modestissi:
ma tamen facie mœrentiũ, tristitiã facile depellebat. Notitiã rerũ ex librorum lecti:
one consecutus est tantam, ut de omni prorsus, qvod qvidem ad disputandum fuisset
propositum, argumento, seu illud sacrum seu profanum esset, copiosissime perinde atq
prudentissime dissereret.

Jam virtutes sane qvam illustres non amabilem, tantum, verumetiam
admirabilem apud Nostros pariter atq externos Patrem Simonem faciebant. Victus
illi admodũ tenuis, potus vini et rarus et valde modicus: sermo pæne de Divinis
rebus, qvem si qva necessitas à profanis auspicari postularet, tamen eum modico tem:
poris interjecto spatio ad Divinarum tractationem rerum prudentissime revocabat.
Inter colloqvendum cum Nostris, sed cum juvenibus potissimum, præter eos qvi pietatẽ
alerent sermones admittebat nullos. Et cum de omni pietatis genere libentissime
dissereret, tum ad strenuam DEO animabusq operam navandam qvanta potuit maxi:
ma contentione hortabatur. Ergone (: inqviebat:) Fratres, tot præclaris Patrum nos:
trorum exemplis propositis non filii torpebimus? illorum sudores, et sangvinẽ bibi:
mus (: gloriam sudoribus et sangvine Societati partam intelligebat:) ne guttã qvidem

aspergemus de nostris? qvantus nos per Deum pudor in supremo judicio ma:
net! cum altera ex parte Ignatius, Xaverius, &c: Evangelicîs onusti munipulis
comparebunt, nos vacuîs manibûs ante illud horribile tribunal consistemus ex al:
tera? Hæc et plura in eandem sententiam, qvoties illi se cum juvenibus agendi fa:
cultas obtulit, repetebat. Aliàs non solum nostros verum etiam Sæculares Clericos
graviter admonebat, neminem ut pertimescerent, qvoties id, qvod sentirent, dicere mu:
nus et conscientia svasisset, audacter id videlicet, nulliq personarum habito respectu
facerent.

Paupertatẽ Religiosam inprimis coluit: Cubiculi supellex tã tenuis erat ut
in eo religiosæ paupertatis adumbratam imaginem facile recognosceres. Munera
qvæ sibi certatim offerebantur à multis, omnino respuebat: contigit ut paucis ante
obitum diebus conscientiæ fortassis expurgandæ causâ Illustris qvidam Vir P. Si:
monem convenerit: postqvam satis temporis datum est arcanis colloqviis, tũ pius
hospes crumenam IX aureis nũmis onustam è sinu depromit, Patri offert, ut ac:
cipere ne gravetur etiam atq etiam obsecrat. At Pater è converso, primum per:
humaniter munus deprecari, tum paulo severius negare sibi ullo, cum suis rebus
abunde sit à Præsidibus prospectum opus esse subsidiô. Jamq eo ventũ est ut
bonus ille Vir constantiam Patris reveritus recepta crumena abiturus ad cubicu:
li fores accederet. Cum subito deliberanti similis ad januam resistit, et amens
inqvit sim, si ut tuæ concedam virtuti, qvod tibi huc daturus attuli, hoc isthinc
auferam imprudens. Hæc simul dixit, simul in ægri sinum crumenam abje:
cit, et neqvidqvam revocante Patre se fugientis instar è cubiculo subduxit. Qvos
nam in usus pecuniam hanc erogari cuperet, rogatus à Præside; mihi vero in=
qvit, siqvidem ut qvod sentio, revelem jubes, nihil contingeret optatius, qvam si id,
qvid qvid istud peculii est, ad illa tempora reservetur, usq dum imaginem Venera:
bilis Andreæ Bobolæ cum radiis pingi, atq ad publicum cultum exponi posse, Pon:
tifex Romanus pronuntiet, Pictori nempe, qvi præstantius nimirum suum esse
artefactum curet, hoc stipendii locô dari pervelim.

Hæ tantæ virtutes passim apud omnes Patri Simoni Sancti Viri compa:
rarunt nomen: Omissis multorum testimoniis, unũ qvod plurimum ponderis habe:
re videatur adducam in medium. Notæ eruditionis Orator idemq Theologus è Do:
minicana Familia dixit pro Concione in funere Cujusdam Vilnensis Canonici
Posnaniæ mortui cujus P. Simon supremũ agonem procurabat. Inter concionan:
dum hæc me audiente prologvutus est: Nefas est A.A. de felici Viri istius mor:
te nos qvidqm dubitare: Etenim illo Venerabili Soc: JESU Presbytero conscien:
tiæ moderatore usus est, qvem vere Deus constituit super animas in Cœlum dedu:
cendas.

Jam qvoniam de infirmitate Patris Simonis mentionem superius in:
jecimus, res ipsa monet ut et morbi genus, et circumstantias mortis breviter per:
stringamus. Cœpit P. Simon aliqvantum ex dextro pede laborare, principiô (: ut
à multis tali in re fieri solet:) qvod nihil gravioris mali timendum fuisse vide:
retur, penitus est curatio neglecta, neq proinde aut ab expiandis ægris, aut ab seden:
di pro sacro tribunali, contentione est à Patre cessatum. Verum cum dolor pedis

in dies ingravesceret, eo tandē res adducta est, ut P. Simon obsequia charitatis omittere, seq intra cubiculum continere ex medicorum sententia juberetur. Quia tamen mali vis gravior Superioribus videbatur, quam ut à Posnaniensibus medicis curari posset, placuit P. Simonem Berolinum mittere, sumptus itineris Illustrissima Francisca Szołdrska Inovladislaviensis Palatina quæ etiā ejusdem itineris consilium iniit, offerente. Berolinum ut ventum est, medici re inter se communicata, partem illam pedis, quæ genu inter atq talos interjacet, aperiendam ferrô, quin et genu ipsum quod prægrandi ulcere foede intumuerat, discindendum pronuntiant. Et fecissent illi quidem, quod constitutum inter illos fuit Patre Simone nullā cujuscunq remedii acerbitatē recusante, nisi præcipuus ex illorum numero Vir ætate non minus quam scientiâ rei medicæ suos inter facile princeps clanculum postridie P. Simonem admonuisset, Collegarum se consilium probare haud posse: juniores medicos non suæ valetudinis sed periclitandi morbi, cujus vim non intelligerent, studio teneri: se non videre quidnam spei ex illa sectione pedis ostendatur, quin potius, quantum quidem longo usu assequi potuit, certissime sibi constare, nisi P. Simon tam crudele medendi genus recusaret, fore, ut inter chirurgorum manus moreretur proinde consilium potius mutaret, si saperet, neq sibi pedem sine causa cruentari permitteret: suam hanc sententiam esse: morbum hunc etsi curatu sit difficillimus, tamen si sibi navus et prudens medicus contingeret, mitioribus remediis curari posse: se primum, nisi et maximarum occupationum, et Collegarum invidiæ rationem haberet, restituta pedi valetudine facturum, ut fidem dictis adstrueret. Tumne temerè loqvutus esse videretur ad explicandam originem morbi sermonem transtulit, Et nunqvid (: ait :) Pater bruma rigente aliqvando pro Concione sudasti? et sæpè et vehementer qvidem (: reponit æger :) Numqvid (: medicus rursum :) spatii alicui sub Jove frigido longiore temporis intervallo sedens operam navabas? imo (: inqvit :) perpetuus meus hic labor fuit; aliqvando sex, qvandoq septem horis nulla aut caloris aut frigoris ratione habita aures confitentibus dabam. Tum, en (: inqvit medicus :) morbi originem, gelidus aer per apertos incalescentis corporis poros irrumpens, fecit ut sensim condensaretur sangvis; perpetua sedulitas, qvod vena pedis inferior cum pondere corporis tū scamni duritiē premeretur, tum etiam multo frigore rigesceret sangvinem ne per solitos meatus decurreret stitit, corrupit, in saniem vertit: ~~hunc~~ hinc istud monstrosum ulcus in genu, hinc nervorum contractio, hinc tam immanis dolor.

Itaq postridiè P. Simon Berolino abiit, nullo valetudinis magno animarum commodô, nam et plures Catholicos in castris Regis Prussiæ stipendia merentes multis jam abhinc annis peccata non confessos expiavit; et apud qvosdam hæreticos, qvi se Ejus virtutibûs majorem in modum delectatos fatebantur haud exiguum nomen Societati fecit, nam ut omittam cætera quæ in P. Simone suspiciebant hæretici; inexhaustam certe illam in audiendis pœnitentibus constantiam satis admirari non poterant. Tribus qvippe diebus ac noctibus medios inter cruciatus pedis huic operi vacabat, ne tum qvidem cessaturus si essent præterea, qvi sua opera indigerent. Posnaniam reversus et in lecto decumbere coactus magna Religiosarum virtutum ac patientiæ imprimis exempla præbuit. Qvi solatii causâ ad se ventitabant, eos ita suæ relaxationi studere voluit, ut tamen eorum colloqvia ab sanctitate Religiosi sermonis nihil vellet abludere. Sæpe de regularum observatione, sæpissime de cura animarum, nonnunqvam etiam de se ipso pium aliqvem sermonem ingerebat.

Dixit aliqvando me adstante de hoc, qvem pateretur morbo se jam ab ipsis Tyrocinii annis coelitus per qvietem fuisse præmonitum. Oblata mihi (: dicebat :) dormienti fuit portantis Crucem Christi species, pone seqvebatur S. Pater, tū longo ordine nostræ Societatis homines omnes Crucibûs onusti: Iacebant interea humi abjectæ Cruces aliqvot; et totidem Societatis homines dejecto vultu et amaro aspectu ingratū sibi aversantes onus adstabant prope. Omnes hos de facie sibi fuisse notos, ac postea ab Societate dimissos ajebat P. Simon. Cum interim Christus subtristibûs oculis vultuq dolentium in modū composito, S. vero Ignatius severi Patris instar imperantiqm svadenti similior Crucem (: inqvit :) ut in humeros tollam, et plures potius qvam paucos imiter jubent. Obseqvor, non sine maximo tamen sensus reluctantis horrore, subjiciō lacertos oneri, post venerandum illud agmen, qvod mihi longe relictus esse viderer, magnis passibûs contendo, ac tandem asseqvor, tantâ inter currendum ex oculis erumpente lachrymarum vî, ut omnia seu quæ supter caput seu quæ supra erant stragula humerorum tenus non conspersa solum lachrymis sed prorsus perfusa maduerint à qvibus me expergefactus qvidem mihi satis temperare potui. Hactenus Pater de suo somnio.

Jam ad unctionem supremam veniamus. Cum invalescente morbo nulla prorsus mentio unctionis à medico fieret, mirari se Pater satis non posse dixit, qvamobrem id faceret, persvaderet sibi se nihil minus pertimescere qvàm mortem. si proinde videret mortis proximæ periculum, confidenter moneret, nec inani cunctatione sibi tam pretiosum componendarum cum Deo rationum suarum tempus eriperet. Annuente votis ægroti medico sacrum affertur chrisma, datur signum, concurritur, consvetis ritibus æger inungitur. Cerimoniis de more peractis jubetur P. Simon à Præside pium aliqvid ad circumstantes profari. Tum intimo cum sensu pietatis et incredibili vultûs ardore in salutem (: inqvit :) animarum o Patres omnibus nervis incumbite: o si sciretis (: subjicit :) qvantum sit morienti solatium, naviter incubuisse in proximorum salutem! Addidit et comminationes qvasdam præsagire visus, futurum non multo post ut et Collegium istud, et universa Societas gravissimis à Deo exerceretur modis. Non vanam fuisse prædictionem res ipsæ probavêre: qvippe haud multo post et Collegium istud nostrum partim à Borussis, partim à Moschis iterū iterumq mire divexatum est, et Lusitana Societas turpissimorum scelerum à malevolis insimulata, omnibus Lusitaniæ Regnis exulavit, qvibusdam (: ut malevoli dicebant :) Coryphæis ad supplicium in carcere detentis. Cum interea hæc P. Simon magna cum fervoris tum commiserationis significatione diceret, nemo unus fuit ex adstantibus qvin in uberes lachrymas solveretur.

Post unctionem acceptam duabus ni fallor supervixit hebdomadis, qvo tem=

pore rigidam si unqvam alias legem silentii sibi imposuisse visus est: Vix erat, qui hoc tempore loqventem audiret, præterqvam cum doloribus majorem in modu urgeretur ingeminantem sæpius: JESU patientissime auges dolorem, auge et patientiam. Alias Sacerdoti, quo conscientiæ Moderatore utebatur, dixit: quantos pedis experiar dolores Pater mi, non est mihi promptum dicere: verum acerbissimos carnis cruciatus abunde mihi rependit Deus optimus, magnis animi solatiis: jucundissima quippe mentis qviete perfruor, nullos conscientiæ angores, nullam animi perturbationem sentio: nihilq mihi reliqvum esse videtur, qvam ut illud audiam à Christo: Venite Benedicti Patris mei &c: Tribus ante mortem diebus cuidam ex adstantibus dixit trium, non amplius dierum sibi purgatorium superesse. Fidem dictis eventus fecit, tertio namq die qui Festum Purificationis B.V. Mariæ præcedebat, ipsis Calendis Februarii hora fere 4ta matutina à somno expergefactus Sacerdotem adse acciri jubet: tum omnibus rite peractis, Sacerdoti, et iis qui obseqvii sibi præstandi gratiâ præsentes aderant gratias amplissimas agit, veniam suorum erratorum petit ac DEO virginiq Beatissimæ (: cui etiam peculiariter devotus erat:) suum agonem Commendans, lethargo corripitur; tandem hora circiter 12ma vitam Sanctissimam, felici, ut sperare fas est, æternitate permutat.

Simul ac vixisse P. Simonem per civitatem percrebuit cum in decumbentem essent non exigua, tum in mortuum et multo maxima variorum hominum studia prodiderunt. ac decumbenti quidem ex iis quæ non vulgaris benevolentiæ signa præbuerunt externi, ut committam communem ferme omnium de ejus valetudine sollicitudinem, ut taceam vix aliquem ex proceribus fuisse, qui non laborantem inviseret, illud certe fuit singulare, sæcularem quandam personam justæ magnitudinis ac ponderis pedem argenteum ad sepulchrum Venerabilis Andreæ Bobolæ dono misisse valetudinis videlicet per merita hujus DEI servi Patri Simoni apud DEUm impetrandæ Causâ. Jam vitâ functo quæ externi præstiterunt officia hæc fere sunt, erant qui pecunia liberaliter oblatâ per omnes celebriores Civitatis Ecclesias æris campani sono P. Simoni parentari voluerint. Sacerdotes Sæculares bene multi piaculares hostias ultro et liberaliter obtulerunt, quos inter præcipuus erat Perillustris Krall Judex Surrogatus Consistorii, qui etiam ceu nostrorum unus R.P. Rectori sociatus facem dexterâ præseferens deducebat funus. Ad celebrandas exeqvias fere tota civitas confluxit, non obscuris ex jactura tanta dolorem suum indiciis testata. Auxit tam numerum hospitum quam celebritatem funeris Illustrissimi Augustini Dzialyński Calissiensis Palatini suæq Illustrissimæ Conjugis præsentia, qui hùc olim suo Charissimo in Christo Parenti Konarzevio datâ operâ Parentatum advenerant. Illustrissimus Palatinus cum ita nobis affectus esset antea, ut neq nocere neq prodesse unqm vellet, propterea quod quam ob rem nescio Jesuitas semper suspectos haberet, tamen postquam P. Simone familiariter uti cœpit, factus est nobis ad multorum usq invidiam amicissimus, multa etiam proculdubio, (ut asseverabat ipse:) si viveret erga Societatem munificentiæ argumenta daturus. In Sanctitate vitæ tantum P. Simone magistro profecerat, ut ceu absolutum Religionis exemplum toti Provinciæ et admirationi et venerationi fuisset. Non censuimus hoc loco silentio prætereundu P. Simonem eidem Illustrissimo

Palatino prædixisse Prolem masculam, nam cum aliquoties questus esset sibi hoc solatium a DEO negari, recurre (: inquit Pater:) Illustrissime ad Divos Ignatium et Xaverium ego tibi meam do fidem certissime futurum ut obtineas quod petes, ostendit eventus hæc non temere loquentis sed vaticinantis fuisse verba. Anno siquidem post-quam hæc verba prolocutus est Pater, suscepit Palatinus filium cui nomen datum est Ignatii, cum alteri qui natus est anno sequente inditum nomen Xaverii. Is tam honoratus et multæ prudentiæ vir diserte nostris quibusdam dixit. P. Simonem cum adse aliquando Konarzevium venisset, et precum causâ se recepisset in Conclave, sublimem a terra pendulumq in aere eo quo nixus genibus DEum orabat situ sibi conspectum fuisse. Peractis omnibus de more cerimoniis Patrum sepulchro corpus illatum est 3tio postquam Pater est mortuus die qui fuit 4tus nonas Februarias A. 1759ni moerentibus cunctis, plerisq lugentibus; quod existimarent omnes mortuo Patre Simone orphanam relictam esse Civitatem suam.

Cum de morte C. Bartholomæi Pieńkowski obiter superius facta sit mentio, repetendam nobis illius memoriam hoc loco censuimus, ne virtus omnino præstans suo frustraretur encomio. Nam cum omnibus Religioso homini consentaneis virtutibus ornatam C. Bartholomæus vitam ageret, tum eæ potissimum locum principem in eo habere visæ sunt, in quas temporales Societatis coadjutores S. Pater imprimis jussit incumbere. Erat enim inter precandum (: ut exteriore quidem specie facile cognosci potuit:) penitus cum DEO conjunctus, in obediendo promptus et alacer, in loquendo simplex et candidus, in rerum oeconomicarum cura fidelis ac diligens. Sacerdotes perinde reverebatur ac Christum, et si se facultas offerret, commodis etiam illorum non gravate studebat. Mortuus est Sacramentis omnibus ad æternitatem munitus, 8va Februarii hujus anni, 20 mensis ejusdem sepultus, cum vidisset annos ætatis 63. Religionis 30.

C. Bartholomæi Pieńkowski mors.

Eodem mense die Purificationis B.V. MARIÆ sacra P. Cajetanus Grothowicki solemnem votorum Professionem emisit

Dudum jam R.P. Provinciali deliberatum erat in commodiorem Scholam et pulchriorem formam redigere. Itaq ineunte hujus anni vere opus hoc longe utilissimum a R.P. Rectore captum est. Quod quales olim sit habiturum progressus, sequentibus annis narrabitur. Per idem etiam tempus hortense cubiculum oleribus perinde atq arbusculis hiberno tempore fovendis accommodatum (: passim oranżerya vocant:) in majore horto opere latericio extructum est. Verum enimvero quia hortum occuparunt moschi et nulla prorsus illeq colendi nobis facultatem reliquerunt: quod septis disjectis nemini non esset pervium: R.P. Rector ab operis continuatione cessandum putavit, meliorique tempori, quod cœpit, reservandum.

Scholæ et Hortus

Die 10ma Julii juxta Calendarium Græcum S. Petro sacra R.P. Rector Comitem Petrum de Sołtykow supremum Russiaci exercitus Imperatorem convenit gratulatum; affatusq est eum idiomate Gallico.

In studiorum instauratione P. Antonius Gordon alter è Professoribus Rhetoricæ latine verba fecit. Hic cum P. Joanne Załuskowski ex anno 1758 in annum 1759 ita Rhetoricam docuit; ut ille quidem matutinis P. autem Załuskowski pomeridianis horis Discipulis operam daret. Jam ab Septembri anni 1759 ad Augustum anni 1760 solus P. Załuskowski docuit Rhetoricam 1a Anni parte 2di et 3tii anni. Partim quod directo Scholæ Logicæ Physicæq ariete exigentibus [illegible] rationibus fabricæ eamq obrem imminuto gimnasiorum numero,

Rhetorica

doceñ etiam numerum minui oporteret: partim qđ cū ingens moschor vis omnes prope modū posnaniæ domos occupasset, nec haberet studiosi juvenes ubi commodū figerent hospitiū; non visū (paucis) fuit, pauciores discipulos eodē indigere magistror obsequio, quo plures. P. interea Gordon post terciū decimū annū Rhetoricæ mox Theologiā tamdiu tradere jussg ē, usq dū in Posnaniā veniret, (s: n̄ eni adventurus tempori credebatur) quem ad id muneris R.P. Provincialis destinarat.

Philosophia et Mathesis

Hoc anno primū 7bri mense Philosophia nostris in Collegio hoc tradi capta ē submissis ad id ex Tyrocinio, Rhetorica, et aliunde Juvenibg 7. His Professor P. Cajet. Grochowski datg ē. Eodē etiā tempore Mathesis fundamenta jacta, Auditores hac disciplina ex nostris habuit Eos: Joannem Paprocki, et paulū Jastrzembowski ex Juvenibg externis paulo plures, pro utrisq P. Ignatig Chmielewski Constitutg est, scienā hanc biennis Marsiliæ in Galliis edoctg.

Fung Illus: Działyński Palatini Calissiensis.

Die 7bris 10nā sepultū est in templo nostro Cor Illustrissimi Augustini Działyński Palatini Calissiensis Equitis Aquilæ albæ pie in Domino mortui 13tiā Maji ejgdē anni. De ejg laudibg Vide supra in gestis P. Simonis Vabri. Fung Celebratū ē sane qđ Illustri pompa; illig instruendi P. Carolus Rychtowski Præfectg Templi rationem descripsit. Altare majg lugubri apparatu extructū, cū tabulis ad architectonicæ regulas pulcherrimè dispositis tū Color ac picturar eleganti varietate tū ignibg quantū quidē ars patiebat aptissime collocatis distinctū supra modū jucundum intuentiū oculis faciebat spectaculū. Herou seu castrū doloris (ut vocant) magnificā Aræ speciem benevolo cordi nomine Societatis positæ referebat. Aor tabula Ligneæ septē fere cubitos altæ, opere sinuoso ad normā litteræ S. Dolatæ, editiore loco in quadrū fixæ urnā cingebant. Eodē in loco singulis in lateribg singuli genii diversis ex ... sis, modisq variis dolore expeferentes visebantur, In pavimento quatuor magnificæ (alteq) pyramides, et totidē columnæ minores omnes multis cereis et crebris lampadibg onustæ circū herou stabant. N̄ ming visu jucunda fuit pars ædis ulterior. Ex summis columnar templi verticibg ad eū usq locū imagines demissæ, ut congregationū fenestras pari magnitudine tegerent, continebant symbola, Działynsior virtutibg qui ante Palatinū vixerunt, accommodata, ignibg circūquaq singulas imagines collustrantibg. Illa quoq spatia, quibg columnar Epistylia int se disjunguntg in elegantes meandros adstricti funes, et crebris lampadibg instructi, tū a columnis in ædē usq utraq ex parte porrecti cujgdā ignei peripetasmatis ad instar summū ædis ambiebant parietē. Claudebant ordinē ascendentiū sursū versg luminū per omnes columnar parietūq vertices circū dispositi cerei. Porro tota hæc pompa funebris ta scitè adornata fuit, ut cū observandi causâ ad fores ædis constitisset, totā se intuenti offerret simul tantūq aberat, ut altera machina alterā impediret; ut potig et altare majg ex herois conspectu grandesceret, et ex altaris pulchritudine novum heroo decg, et amplior quædā magnificenā videret accedere. De laudibg pie defuncti dixit pro concione P. Josephg Stochocki, orationē hanc sane extantē Illustrissima Palatina demortui conjux typis mandari curavit. Secundar partiū orator fuit Celsissimus Princeps Antonig Jablonowskig Capitaneg mederecensis, nunc Posnaniensis Palating, tertiar Ill. M.D. Gajewskig Capitaneg Gnesnensis. Ceremonias funebres ritu Pontificio cū duobg Abbatibg et tribg Canonicis ex sequutg ē Ill. ...kierski Secretarig Regni, Suffraganeg Posnaniensis, cui etiā eodē die nomine Collegii, secretarii dignitatē in cubiculo R.P. Rectoris P. Joannes Załuskowski latine gratulatg ē.

Per Obrem et 9brem solita doctrinæ pericula edita sunt a discipulis uniuscujq facultatis

Ad finem Xbris imminente die Natalis Xti Patres nostri ad sacras expeditiones, eo quo expetebantg missi, n̄ segnē commodis animor qua dicendo, qua confitentes audiendo operam navabant.

Annus 1760

Admodum R.P. Laurentig Ricci Præpositus Generalis
R.P. Franciscus Koźmiński Præpositg Provincialis
R.P. Ladislag Wietrzyński Rector Collegii.

Januarius.

Redeuntibg undiq nostris a sacris expeditionibg pridie calendas Januarii et calendis ipsis anni nascentis primordiā solita celebritate consecrata sunt. ad diem Januarii ... R.P. Provincialis ad nos venit de rebg loci istig pro suo munere cogniturg, commoratg est nobiscū ad diē februarii ... et vigesimā. Interea dum Posnaniæ degit lectæ sunt in Triclinio Epistolæ Romanæ duæ. In altera pro societate Lusitana Regno pulsa præcipiebantur preces novem dierū qui diem aliquā celebriorē Beatissimæ Virgini sacram præcederent; vexationes corporis quædam injunctæ eædemq leves admodū, alia cujgvis arbitrio permissa. In epistolarum altera præscripta sunt non nulla de superioribus disciplinis, quæ Patri nostro observatu necessario visa sunt. De Philosophia illud præceptū, ut quæstiones quæ plus haberent speculationis utilitatis ming ex Philosophia prorsg exterminarentur. Physica universalis esset adstrictior, uberior particularis; deniq Philosophia morum ut accurate traderetur. de Theologia quoq cautū est, primum, a difficultatibg quæ solam metaphysicam speculationem saperent omnino abstinerent, deinde in Theologia speculativa ita instruerentg nostri ne positivæ et controversæ rudes essent. Patribus 4ti anni exceptis omnes Theologi ~~postrema~~ singulis annis ex aliqua Theologiæ moralis parte rigidū examen subirent, in omnes tres annos ex æquo tributis facultatis ejusdem partibus.

Epistolæ Romanæ

Februarius.

Subitò tempg percrebuit rumor de adventante Borusso, multos cares perculit, sed imprimis moschos. Neque hostem opperiri Posnaniæ tutum sibi fore credebant, nec rumores falsi pabulationibus equorum sine præsidio relictis stationem dimittere. Ergo consilium a fraude capiunt, sed quæ in Posnanienses incolas non in hostem recideret, jubent ad cives referri de suo postridie abitu, monerique si forte quis indigeret fœno. ad se recurreret, se libentg et vili pretio vendituros. Eadē de re moschorū Posnaniensiū Præfectus ad R.P. Rectorem denunciari voluit; verum Præses dolum sapienter veritg, gratiis Præfecto perhumaniter actis, ad manum sibi tantū æris non adesse respondit, ut par esset emendo. Cives porro alii ad emendū ultro citroq, pro se quisq concurrebat. merito dubites utri suæ fortunæ gratularentg magis an qui pecuniam pro feno, an qui fenum pro pecunia lucrabantur; adeo sibi plaudebant utriq hi quod vendiderint, seu potius locarint in fœnore, illi quod benigne emerint. Si tamen benigne dicendi sunt emisse qui quod vili pretio compararint, idem haud scio an decuplò majore damno perdunt. Nam posteaquam rebus ex animi sententia transactis itinere diei unius abierunt Posnania moschi et ex certissimis auctoribg cognitum ab illis esset vanum illud de exercitu Regis Prussiæ rumorem fuisse; mutato consilio via ulterioris, Posnaniam tertio ... postquam excesserant die se quodam veluti postliminio recipiunt; tum per civium prædia atq horrea dilapsi pretium feni dominis restituunt, suum fenum repetunt, cunctantes qua minis, qua vi, faciant ut imperata cogunt. Pandurdur illic,

alibi effringunt etiam horreorum postes, diripit fœnum sine omni discrimine: quitantum attraxit emit, quantum usq aut alter capit ruralis currus amisit tantum, quantum etiam aliunde congessit. Quid quid in oculos incurrebat credebant suum, ne quid pro reclamantibus, rationemq dati et accepti scripto consignatam allegantibq Dominis. Adeo vel ipso rerum suarum contactu, aliena fieri mancipio sua, existimabant Moschi.

Ad finem hujus mensis tam Rhetoricæ quam Poeticæ Professor comoedias celebrarunt. Quarum alteri nomen Storzypietka, eaq adolescentem referebat stulte sibi præfidentem. Alteri Ponocki, hæc autem imitabat juvenem supra modum nocturnis Bacchationibq deditum.

Martius.

Die tertia Martii depositum eademq die sepultum est cadaver Adalberti Moskorzewski pueri nobilissimi. Hic maximis calculi doloribq quibuscum toto conflictabatur septennio, in pusillo corpore semper major præclara tum patientiæ tum resignationis in DEI voluntatem argumenta dedit, nec minora simplicitatis, religionis ac modestiæ quarum absolutum in hoc juvene relucebat exemplum. Tandem ætatis anno tertio decimo cum supremæ classis Grammaticæ daret operam, omnibus ad æternitatem præsidiis munitus innocentissimus juvenis ad comitatum agni cælestis invitatus est, 3tio Calendas martii. Per Principem Civitatis plateam parentarunt corpori scholarum juvenes bini et bini accensis cereis, tum ad exequiarum finem sui contubernalis mortem quidam oratione soluta, quidam versibus deplorarunt.

Aprilis.

Die 1ma mensis depositum e in sepulchro nostro corpq Dni Petri Kramberski Juris periti exequiarum apparatu non magnifico quidem ac at decoro. Annum agebat 74. 1ma mensis ejusdem ad æternitatem paratissimq obiit. Motum est nescio qd controversiarum a Perill: Lamparski Præposito Ædis D. Magdalenæ, de sepulturæ loco, verum hæc superveniente R.P. Rectore (absens enim erat) composita sunt.

Pecuniam 100 millium Ðris Pol: ad quam se multis jam inde ab annis Ill: Sophia de Czarnkowskie Radzewska Succameraria Posnaniensis Provinciæ nostræ obligarat, ex eaq censum annuum pendebat hoc tandem anno dissolvit. Acceptilatio seu quietatio, ut vocant acceptæ pecuniæ monumentum, in Posnaniensis Castri tabularium nomine R.P. Provincialis Collegii Templiq Posnaniensis relata est. Universa porro hæc summa tres in partes divisa est. Prima 20 millium cepit provinciæ, altera 40 millium Collegio, tertia millium itidem 40 templo. P. Raphael Skotnicki Præfectq templi summam Ecclesiæ donatam Radoszewii in Villa Perill: Andreæ in Radolina Radolinski Succamerarii Vschovensis Filii collocavit. Villæ possessionem expressimpto juris adiit. Habensq missionis seu intromissionis, ut ajunt in villæ possessionem tabulam in archivo domestico, ex Valcensi tabulario excerpta, anno autem salutis 1760 proximo post diem D. Margarethæ sacram Sabbatho ibidem confectæ. Tabula vero locationis habens in tabulario Posnaniensis castri ibidem conditæ postridie S. Joannis Baptistæ 1760.

Jam R.P. Rector solutis Collegio Cracoviensi S. Petri 26713 as: 10 Ðris Polonici Petricoviensi item Collegio 14000 restitutis omnia nostri Collegii sustulit non debita sed onera. Multis iam abhinc annis Collegium utrumq apud Judæos Posnanienses pecuniam in quæstu collocarunt. Census exigendi nostro Collegio negotium commissum: hinc molestiarum affatim, commodi prorsus nihil. Duobus illis Collegiis proveniebant ex summa census annui, nobis censum repetentibus cum passim cunctarentq Judæi lites et jurgia. Cogitanti R.P. Rectori suum Collegium in perpetuum eximere a statu inutili cura Ill: Succameriæ liberalitas fuit sane percommoda. Namq ad 40000 adjectis ex ærario Collegii 713 fl. et assibq duodeviginti Ðris Polonici omnes illas Cracoviensis ac Petricoviensis Collegiorum summas redemit, Collegiumq nostrum earum hæredem et ipse fecit. Eodem fere modo. P. Præfectq Templi summam 2000 Ðris Polonici in Synagoga Posnaniensi annui censq repetendi gratiâ collocatam a R.P. Paulo Grabski superiore Residentiæ Lanciciensis redemit mense Junio. Præerant cum hæc agerent, Collegio S. Petri R.P. Andreas Łączynski. Petricoviensi. R.P. Antonius Boguslawski; Residentiæ Lanciciensi idem qui supra. a singulis Præsidibq dati acceptique confectæ syngraphæ locorum sigillis nominibq Præsidum consignatæ servant in archivo Collegii

Majus.

P. Joannes Soiecki Professq 4 votorum Physicæ metaphysicæq Professor diem suum obiit 3tio nonas Maij ætatis anno 34. Religionis 18, Professionis mense 4. Plerisq nostrum eamors lachrymas expressit. Multa nimirum inerant, P. Joanni, quæ vitam ejq omnibq desiderabilem facerent, mortem luctuosam. Virtutis amore fuit eximio cujq perfectionem a se non minq qm ab juvenibus suæ fidei creditis exigebat. Laboris amantissimus fuit ignaviæ osor implacabilis. Somno quinq tribuebat horas, reliquum temporis qua sacris occupationibq qua scholasticis dabat. Idem erga quosdam discipulos moderate severus, erga alios indulgens ac lenis, nostros comitate morum, externos tum insigni prudentia, tum maturitate delectabat. Philosophiam, Mathesim, Theologiam egregie perdidicit; Rhetor quoq non improbabilis. Multum ad eruditionis præstantiam juvit P. Joannem excellens memoriæ vis ac ingenii, plus tamen maxima sedulitas et conatus. Non unquam a legendo vacabat totus erat in Mathematica Neftoni, totus in veteribq juxta ac Recentioribq Philosophis. Quibus cum dies et noctes dat operam, cum discipulis constanter advigilat, cum diversarum classium nobilissimorum in convictu juvenum attendit profectui, cum cujqcunq muneris custos accuratissimq nusquam suas partes desiderari patitur, animo par cunctis, impar viribus, primum languere, tum sensim vigore mentis destitui, postremo furere. Quatuor et viginti horas nullo prorsq intervallo sanæ menti concesso malum illud tenuit; sectâ venâ aliquantum deferbuit, et somnum tota præcedente nocte somni expertem ad vesperum inclinante die capere permisit. Postero die sibi restitutus cum omnia quæ furens dixisset, fecissetq sibi in memoriam redirent, fertur collachrymasse quod multa in plerosq indigna effutiisset. Paulo post jubet sacerdotem acciri: negantibus opus esse sacerdote periculo cessante, nihil esse potius oportere homini Religioso decumbenti, respondit æternæ salutis curâ. Semel, iterum, iterumq expiatus, sæpius etiam quoad per valetudinem licuit, coelesti pane refectus rursum phrenesi corripitur, ac paulo post etiam usu linguæ destitutus, pridie mortis unctq extinguitur, die Sanctæ Crucis Inventioni sacra. Necdum alienata mente cum dolito magis langueret, mortem sibi præsagire visus dixit ad nos, quos ex convictu adiit animi relaxandi causâ: Veniam huc ad vos Patres valetudinis ergo fortassis non egressurus deinceps; nisi vestris humeris elatus.

Mors P. Soiecki

Junius.

1mum Calendas Quintiles C. Hiacynthus Pogrodka Patria masovita Coadjutor temporalis supremum diem vitæ habuit 30 prope annis domestici sartoris munere perfunctus maxima semper in eo commendatione versatus est, cum charitatis tum diligentiæ, minime domesticorum expectabat preces verum intentus ad omnia, quæ opus essent cuiq prius quam peteresq dabat egentibus, sollicite nequid eorum cuipiam deesset invigilans. Ingravescente jam ætate horto usq attendere, magno curabat utrumq studio: ipse cum operis colebat terram, ipse vites plantabat quam ipse affundebat plantis. Doloribus omenti quod multo iam ante ruptum foede in umbilicum proruperat, nequidquam impedientibq quotidiani contentionem laboris. Acerbissimos corporis dolores diuturna tolerabat cum animi fortitudine, tum vultq hilaritate. Multis ante obitum annis

Mors C. Pogrodka

dira scelotyrbe C. Hiacynthi Corpus exercuit; verum supremis diebus cum ad hoc mali genus etiam iacendi necessitas multo molestissima accessisset, nullamq[ue] aut levandi aut versandi corporis facultatem vires consumptæ facerent: ut quoq[ue] pars magis jacendo premebatur, ita suis solutaner vis recidebat. nudatis foedum in modum ossibus. Gravissimi certe dolores, si suis ex momentis, leves, si ex C. Hiacynthi patientia, hilaritate, silentio ponderent: nemo de morbi diuturnitate querentem, nemo insolentius gementem audivit. Frequentissima ad Deum Deiq[ue] Matrem suspiria gemituum loco fuerunt laboranti, quibus et acerbitates morbi solabatur, et tædia levabat. Ea, quæ illi suprema fuit, nocte, hora circiter tertia famulum dormientem surgere, ac sacerdotem ad se quam primum advocari jubet. venienti reliquias noxarum confitetur et tandem paulo post, quam rite absolutus est plenus dierum ac meritorum placidissime moritur, cum vixisset ætatis annos 79 Religionis 48.

Julius.

Mors P. Dybowski.

Præter cæteros hunc etiam mensem P. Ludovici Dybowski Majoris Doctoris 4 vot. Profes. mors funestavit. Egregius Concionator 20 circiter annis hac provincia cum laude perfunctus, eidem immortuus, magnum eloquentiæ suæ desiderium reliquit. Quam solidæ robustæq[ue] virtutis fuerit P. Ludovicus, morbus ostendit. Acerbos intercutis aquæ et colicæ dolores excipiebat risu et jocis, ad singulos colicæ punctus, illud suum solemne: quod tam optime factum. nihil peccatore dignius ingeminans. Porro eo præstabilior P. Ludovici patientia fuit, quo diuturnior. Duos circiter menses hoc conflictabatur morbo nullo prætermisso die quin aut quoad potuit, sacrificaret, aut incedendi facultate penitus adempta aliena saltim ex manu coelestem Panem acciperet. Mortuus est omnibus rite Sacramentis munitus pridie idus quintiles anno ætatis 55. Religionis 40.

Augustus.

Horologium.

Collegii istius ornamenta et commoda multis accessionibus hoc mense R. P. Rectoris auxit industria Decimus ni fallor inde iam annus est, cum horologium majus quod attritum vetustate usibus domesticis peragre serviebat, cum ea parte veteris Collegii, quæ ad septemtrionem erat et cum sua turri lignea, loco motum atq[ue] depositum est. Totidem igitur circiter annis horologio majore caruimus, domesticum ordinem ad urbani horologii cursum exigentes. Tandem R. P. Rector incommodum Collegii non ferens serio de instaurando horologio deliberare cœpit. Nec mora: cum Daniele Betherò Gedanensi cive, præstanti horologiorum artifice rem per literas communicat, 152 aureis nummis transigit; libenter ille negotium accipit, comparatis omnibus Posnaniam venit, demum aliquot intra dies horologium cum duabus campanis altera majore minore altera in specula novæ turris constituit. Primarium hoc turris decus cætera appendicis instar consecuta sunt: prægrandes fenestræ ligneæ a meridie et a septemtrione in luminibus constitutæ super eas utraq[ue] ex parte horoscopa duo: ab oriente pariter atq[ue] occidente similes primis sine horoscopiis tamen insertæ fores: quæ machinam a cœli injuriis egregie tutantur. fornix amœnæ speculæ, in quo horologii campanæ visuntur ex arte domestici pictoris aptis adumbratus coloribus amoenam stellati coeli refert speciem. Quæ singula si accurate ad calculos revocentur, si præterea horum sumptuum ineatur ratio, quos Betherò pro viæ commodis Gedano Posnaniam et rursum Posnania Gedanum a R. P. Rectore præstari oportuit facile quivis existimare poterit, totum hoc negotium majore longe pretio, quam 152 aureis constitisse.

Fornix quoq[ue] Triclinii abolitis picturis veteribus et arte et vetustate parum visu jucundis, opere primum albario politus, lætioribus deinde pigmentis quæ fermè ex viridi et aureo colore coalescunt exornatus est: adjectæ sunt anno post, fenestrarum

in fornicibus picturæ inq[ue] lateribus earum utrinq[ue]. Ex arcuatis tamen imaginibus Triclinii decus extitit præcipuum, in quibus C. Sienicki pictor domesticus tam scite adumbravit vitæ Christi mysteria, ut qui omnia studiose inspexerit Italicorum industriam pictorum haud quaquam desideraturus videatur.

Octavo Calendas 7bris P. Ignatius Chmielewski emisit Professionem 4 votorum cum quo C. Joannes Kruszynski ad Gradum Coadjutorum temporalium, ad tria vota simplicia C. Stephanus Tragsik admissi sunt. Siekircis vetus Ecclesia diruta, nova commodior extructa est, materiam R. P. Rectore, pecuniam subministrante piorum hominum liberalitate.

Hoc mense auctum est Collegium personis duabus altero P. ~~Alexandro~~ Pruszak Logica, altero P. Samplawski Professore Rhetoricæ, quorum alter ad congregatos hospites in instauratione studiorum de lingua latina quam hoc Polonis necessaria sit et conveniens verba fecit. Interea P. Joannes Zatuszowski Ill. Floriano Lubienskio Palatino Posnaniensi recens creato Panegyrim scripsit quæ typis extabat impressa Posteaquam tamen Ill. Palatynus nondum vulgata Panegyri mortuus est. Visum est R. P. Provinciali eam Celsissimo Primati Fratri Germano dedicari, quod etiam adjecta præfatione auctor præstitit. Idem per hos dies Ill. Miaskowski Palatini Calissiensis, Ill. vero Twardowskio Castellani Posnaniensis dignitatem nomine Collegii in templo nostro latine gratulatus est.

Pretium aurei nummi his temporibus in tantum crevit, ut pro uno 25 floreni penderent. Judices porro Tribunalis Regni suo decreto sanxerunt, ne in bonis emendis vendendisq[ue] in extinguendis item contrahendisq[ue] nominibus majore, quam usitato florenorum 18 æstimaretur pretio. Mercatores tamen cum major in dies vis monetæ ex adulterato argento cuderetur, unius valorem aurei nummi ad 31 flor. et asses 20 elevarunt.

Charitas nostrorum etiam in male meritos

In conflictu Kistrinensi 20 Moschorum millia cæsa esse ferunt, vulnerati Posnaniam advecti plus quam mille in varias Civitatis Regiones distributi sunt. At cum nec Posnaniæ deessent qui licet sibi Kistrinensi non adfuerunt pugnæ variis tamen conflictabant morborum generibus illis hortus noster suburbanus obtigit. Hos noster Sacerdos a R. P. Rectore convenire quam sæpissime jussus cum pecunia sibi a R. P. Rectore hunc in usum oblata sublevabat tum exercitiis actuum salutarium ad agonem ultimum præparabat cum illud ingereret JESU MARIA miseremini mei quærebant quid sibi vellent JESU MARIÆ nomina? Iisque illis responsum est JESUM esse Spasytel seu Salvatorem MARIAM Bohorodycia seu Deiparam nihil morabantur quominus id quod illis Sacerdos ingerebat repeterent. Universi qui decumbebant in horto erant circiter 80 omnes excepto nemine actus fidei, spei, contritionis, charitatis, præeunte Sacerdote recitabant libenter. Sed quod jure miraris unicus fuit cui nomen Georgio qui fidem Catholicam amplexus conscientiam per exomologesim expurgata se in S. Romanæ Ecclesiæ Catholicæ communione mori velle professus est optabat Sacram Hostiam ritu latino accipere sed R. P. Rector tumultum veritus supersedendum censuit. itaq[ue] Eucharistico pane non refectus tamen actibus Christianarum virtutum munitus sancte ut fas est credere suum diem obiit. Inter cætera signa veræ conversionis illud fuit præcipuum quod diserte negaverit sibi cum aliquo Sacerdote Rutheno quidquam negotii fuisse[?]

September et October

Initium Anni Scholastici

Calendis Septembribus solito more scholæ discipulis patuerunt. Mense Octobri novum accessit decus contignationi ædis nam cum ibi et Benefactorum nostrorum et Generalium icones vetustate corruptæ prostarent R. P. Rector Charissimo Sienicki negotium dedit injuriam temporum novis ut resarciret picturis quod etiam ille cumulate præstitit.

NOVEMBER

Per id tempus Meklinense et Siekierkense prædium repetitis Moschorum irruptionibus aliquoties vexata sunt. Sed hac de re uberior fiet ~~hac de re~~ narratio

DECEMBER

Singulare documentum Divinæ gratiæ

Non est prætereundum memorabile exemplum Divinæ gratiæ quod isto mense contigit. Basilius quidam adolescens Ruthenus stirpe ignobili alteri suo contubernali incertum quam ob causam offensus cum ad singulare tamen provocarat non recusanti tam acerbum inflixit vulnus ut in terram dejecerit. Re per civitatem vulgata Magistratus reum comprehendi jubet ducit Basilius ad carcerem sua videlicet morte contubernalis necem soluturus. In custodiam tradito adest Sacerdos Noster facilem ad omnia et expeditum repperit: illud male DEI verum habebat quod sibi adolescens parum forti animo videretur accepisse mortis nuntium. Ergo trepidantem qua sua rationibus qua exemplis erigit. Nec vero frustra hortantis verba in tantum valuerunt ut mortem ... ad cujus paulo mentionem animo linguebatur reus, tebiam[?] vehementer expeteret. At in ferali acie multo illustrius eluxit tanto paventis alacritas. Etenim cum jam ad supplicii duceretur locum tantis in animo se ... voluptatibus cœlitus perfundi sensit ut intra eundem sui velut impotens aliquoties exsilierit. Tum ad Sacerdotem conversus non memini, inquit, fer mi me unquam sic fuisse lætatum vestris id precibus acceptum fero tum intimo cum sensu toties vices dedit.

Annus Domini 1761.

Admodum R.P. Laurentius Ricci Præpositus Generalis

R.P. Franciscus Kozminski Præpositus Provincialis.

R.P. Ladislaus Wietrzynski Rector.

Januarius et Februarius

Initium Anni Secularis

Pridie Calendas Januarii et Calendis ipsis ad celebrandam Sanctissimi Nomini JESU [illegible] diem nostri ex Missionibus Convenerunt in quibus [illegible] et ab omnibus pro Concione libenter audirent et ipsi non gravate pro Sacro tribunali ad se accedentes audirent dubitari non potest quin ex Apostolicis conatibus non contemnendos fructus retulerint. Ida Februarii P. Joannes Zatuskowski 4. voto professus est.

Martius Aprilis

Solatium ex duobus Discipulis

Mense Martio ad Festa Paschatis varias in istius territorii partes nostri distributi sunt. Mense Aprili Illustrissimus Phillipus Raczynski Castellani [illegible] Filius Præfecti Miescicensis de laudibus p: m: Serenissimæ Mariæ Josephæ Reginæ Poloniæ latine verba fecit omnibus quotquot aderant puer in dicendo suavitatem prudentiam et majestatem admirantibus Author Orationis fuit Professor Rhetoricæ pomeridianus P. Antonius Sarnplawski idemque Vice regens Convictus. Aderant Orationi huic quotquot eo tempore Posnaniæ degebant nobilissimi hospites nec pauci ad Constitutam orationi diem consulto Posnaniam venerant. Extat Oratio qua de loquimur typis impressa Auctoris dissimulato nomine.

Eodem mense Ill: Jacobus Szoldrski Filius Palatini Inovladislaviensis et Generalis Majoris Poloniæ Præfecti Budzinensis supremæ Grammaticæ Classis discipulus annorum non plus quam 12. puer ad Comitia Sredensia Serenissimi Regis nomine legatione perfunctus est, nostris et qua alumno suo et qua discipulo applaudentibus. Incredibile dictu est quantum universam nobilitatem sua Oratione delectarit adeo ut gravissimi quique viri affirmare non dubitaverint Comitia illa felicem exitum nequaquam habitura fuisse nisi iidem ipsi qui intercedendi causa Srodam advenerant tenelli Oratoris Oratione capti hunc illi honorem specialem habendum ne opus ab eo captum cujusquam intercessio corrumperet.

Mors Perill: Kierska Virginis

In eundem Mensem incidit Mors et Funus Perill: Catharinæ Kierska Virginis. Virginitatem quam DEO voverat non dubium est quin tumulo sartam tectamque intulerit quippe multis aliis Virtutibus ceu fido firmissimoque satellitio munitam. Frequens illi erat tum cum exomologeseos tum sacræ Synaxis usus quotidianusque in nostro Templo precatio ad multas producebat horas Cruciatus pedum qui et frequentes et molesti fuerunt fortis fœmina virili tolerabat Constantia. Vitam tam Sanctam non absimilis mors consequuta est. Omnibus quippe Sacramentis munita inter Salutares actus Animam Creatori suo placidissime reddidit Ejus laudes Oratione funebri vesperi P. Alexander Prusak postridie mane P. Josephus Raba. alter Philosophiæ Professor Concionator alter prosequuti sunt.

Majus

Fabrica.

Hic mensis repetendæ Scholarum fabricæ initium dedit quarum occidentalis pars quæ Logicam nobilium glorioche distinguit ad Culmen hac æstate perducta est et contra injurias Cœli ligneo tecto munita est. Scholarum scalæ propter magnam tum ascendendi suavitatem tum deorsum descendendi facilitatem omnium sermonibus celebrantur.

Mechlinum per Moschos affligitur

Initio Veris præteriti Mechlinum Coegerunt Moschi equorum ad 10000, ubi ad extremum usque autumnum tam ingens belluarum numerus pasceret facile quivis existimare potest quanta texeret damnorum index si omnia tum fœni tum segetum tum [illegible] detrimenta vocaremus ad Calculos. Nec satis erat et bestias et homines tam multos alere qui Mechlini velut in Statione consederant exigebant super hæc fœnum et avena a Sremensibus et Posnaniensibus Moschis idque ea Conditione ut hæc rusticorum nostrorum et Curribus et jumentis ad suas deportarent cellas Iisdem forme cetera Villæ Mechlino Contiguæ injuriis afflictæ sunt. Nec vero Moschorum discessione inde facta omni metu injuriarum liberati sumus. Sidem enim ipsi Mechlinum remeabant identidem aliis advolabant novi atque omnia minis et terroribus complentes in greges, in Stabula in supellectilem domesticam prædonum instar grassabantur. Sæpe etiam equos exigebant et Currus nec a tam importunis exactoribus toto brumali tempore ullam partem quietis rusticorum jumenta habuerunt. Simile quid Pietroviensi Siekierconi et Seziorcensi prædiis contigerat eorum itaque non recensemus damna ne similium repetitione rerum historiam legenti faciamque insuavem.

Junius

Illu: Bouturlin Hospes in Collegio

Illustrissimus Comes Bouturlin Rossiaci exercitus Supremus Dux, jam dudum optaverat qua cum majestate Pontifices Latini rem Divinam facerent Suis ipsemet oculis intueri. Id in animo habebat R.P. Rector candide fassus et illud etiam subjiciens se in nulla quam nostra æde quam omnium sciret esse pulcherrimam Sacrificio huic interesse malle. Ergo R.P. Rector Illustrissimum Kierski Secretarium Regni Suffraganeum natrum Convenit rem ut se habet exponit ad Collegium invitat venit Præsul postridie ipso die qui fuit S. Joannis Baptistæ sacer procedit ad aram splendido Sacerdotum et Clericorum agmine comitatus. Ipse cum multis aliis Pontificiæ dignitatis insignibus tum in primis argenteo baculo et fulgente mitra venerandus. Fiunt ad amussim ex præscripto omnia ut moris est in sacrificiis Pontificum verum hæc apud nos quotidiana etsi Moschis incognita admirabilia fiere visa: illud apud utrosque rarissimum Pontificem quoties versus ad populum dederet ita demissos oculos tenuisse ut eos in neminem Omnino et adstantibus Conjecerit. Incredibile dictu est quantum et ipsum Ducem et alios quoscunque Moschos ea religionis species delectarit. Dux certe ipse coram Pontifice cum jam ab altari recederet ritu Moschorum se ad terram usque demisit summis manus dextræ digitis: quod religiosissime apud illos genus venerationis est: humo tacta. Jam R.P. Rectori non solum gratias amplissimas egit verum etiam per Chirographum suum propria manu subscriptum sigilloque munitum omnia nostra prædia ab exactionibus Moschorum exemit

Mors P. Josephi Wilewski

In hujus Mensis diem 6tum et 7tum incidit Mors P. Josephi Wilewski gente Roxolani Patria Premisliensis Professi 4. votorum. Vir erat insigni prudentia et ad mores Illustrium Personarum formandos factus. Aptus aliquot annis professus et Concionatoris munere cum insigni eloquentiæ commendatione perfunctus ad demum Illustrissimæ de Czarnkowscis Radzewska Succamerariæ Posnaniensis Moderator Conscientiæ datus est. In eo munere in quo versatus fuit Annos circiter 20 egregia Charitatis præsertim Apostolicæ probavit specimina. Toties Concionatus est quoties invitatus de peccatis confiteri volentibus nunquam deerat moribus

et facinorosis cum ad supplicium deducendi essent perpetuam navabat operam. Sed illud est præ cæteris insigne quod Charitatem ejus in proximos supra modum extollit Primum quod cum plurimum obeso fuisset Corpore tamen ægrotos etiam in remotioribus pagis decumbentes adiret pedes quod simul atque cognovit Sera vicem Patris moderata plaustrum comparari jussit quo P. Josephus in posterum obeundis uteretur. Alterum quod Illustrissimæ Succamerariæ auctor fuit ut Virum aliquem rei medicæ peritum suos inter famulos cooptaret qui suis subditis laborantibus in promptu esset quod fœmina non minus amatis suorum quam proba non gravate præstitit P. autem Josephus medica ope fretus non salati minus corporum studebat quam animarum. Meritorum plenior quam dierum. Vixit quippe supremum diem omnibus ad æternitatem remediis munitus Anno ætatis 58 Reli: 42, Professionis 4. votorum 23. Moriennti nihil angebat magnopere præterquam quod in Divite haud sui Palatio non Collegio paupere moreretur.

Mors M. Thomæ Wyszykowski

Hunc sequutus est altero post die Thomas Wyszykowski Magister Syntaxeos. Adolescens natura perfervidus ingenio acer non minus tamen ad Religiosarum Virtutum studia incitatus et promptus. Inter morbi angustias semper hilaris tantum abest ut animo concideret ut etiam quamdiu de statu sperantis dejectus non multis facetis dictis ipse sibi molestias valetudinis levaret. Teneritudine Conscientiæ fuit mirifica ut ab illis erratorum suorum veniam postularet qui se ne verbo quidem violatos ab illo meminerant Obiit omnibus ad æternitatem Sacramentis munitus postquam plurima præsertim jam decumbens patientiæ humilitatis charitatis in DEUM cæterarum virtutum egregie præbuisset exempla.

Primus noster publice theses Philosophicas propugnat.

Raphael Modliborowski Scholasticus propugnavit hoc mense theses ex universa Philosophia primus. Unum huic studio post introductum in Collegium hoc pro nostris Philosophicum studium [illegible] Posnaniæ vacabat annum postquam illi tres impendisset in [illegible]

Julius.

Fuga Moschorum irruptio Borussorum

Hoc mense ad nuntium appropinquantis Borussi Posnania profugerunt Moschi. Advolant interea Posnaniam Borussorum Equites circiter 400 immanes fœni acervos qui circum Civitatem erant subjectis incendunt facibus, cellas frumentarias aperiunt omnibus quantum quisque vellet accipiendi potestate facta tum ad res alias conversi quidquid armorum quidquid auri atque argenti quidquid pretiosæ vestis Posnaniæ Moschi reliquerant totum id Borussi aut vendunt aut gratis offerunt quibusdam aut asportant secum. Et Borussi quidem multa præda divites abierunt ... ut qui metuerent neminem illam qui sibi eriperet; at Posnaniensibus incolis fraudi fuit vel gratis accepisse quidquam vel pretio emisse. Nam postquam de Borussorum abitu certiores facti Posnaniam redierunt Moschi suis quadruplatoribus docti quid e Poloniis unusquisque proxima direptione a Borussis acceperit tam acriter sibi in eos animadvertendum putarunt ut singulos ad jusjurandum adigerent quo profiterentur se non plus accepisse quam redderent. Conabantur equidem malevoli etiam R.P. Rectorem in eandem suspicionem apud Moschos conjicere sed innocentibus non erat difficile invidorum Criminationes diluere.

Augustus

Fructus Missionum

... quæ de PP. Missionariis dicturi sumus, superioribus fortasse mensibus contigerunt, quia tamen hoc mense nobis ni fallor narrata sunt idcirco in eundem mensem referenda censuimus. De aqua S. Ignatii a PP. Missionariis acceperunt mirabilem ejus vim expertum esse Virum quendam in Pago Niemirow Archidiœceseos Gnesnensis natum Annos 72 Aqua intantum intumuerat ut depositus a medicis ad supremum diem se compararet. Cum repente ægro in mentem venit efficacitas aquæ S. Ignatii postulat afferri abluit semel iterumque Corpus ... et paulo post omni liber malo surgit incolumis.

Illis in oppido Sruszkovii scilicet in oppido Sieradiensis Provinciæ egregium Missionarii nostri sui laboris retulerunt fructum eo rebus per Conciones adductis ut inde Judæi omnes cedere coacti fuerint cum novem et 50 annis oppidum incoluissent. Initio tribus vel quatuor Judæis precario certisque legibus domicilium Concessum accedentibus deinde aliis atque aliis res Judæorum: ut fit: ad multas opes, Catholicorum ad magnam penuriam devenere Interea Catholicum Infantem Judæi cædunt accusant apud supremum tribunal Regni sistunt convincunt cædis auctores capite reliqui omnes exilio mulctant. Et luunt sanguinarii pœnas mortis cæteri largitionibus et eorum quibus alterius pœnæ executio demandata fuit avaritia triumphant. Namque super antiqua beneficia extruendæ præterea Synagogæ ... illis potestatem fecit adeo apud quosdam nihil non venale est ubi aliqua spes lucri affulserit. Obstitit principio intentata haud sibi lite Sacerdos loci decurio, sed laudabiles Conatus mors anteverterat. Miticis is qui successit ... Capiendum vatres Missionarios ad suam invitarat Ecclesiam, Veniunt illi condicto tempore Concurrunt pariter frequentissima plebs atque nobilitas fiunt omnia ex præscripto. Venitur tandem ad Concionem de non tolerandis Judæis. Mira sane voluntatum Conversio acclamat sacerdoti ab omni circumquaque multitudine trepidantibus Judæis. Ipse quin adeo hæres qui videbatur adversaturus imprimis victas dedit veritati manus. Nec mora dissolvunt suis Creditoribus Judæorum nomina, illi oppido pelluntur. Ita quod Regis etiam Vicaria potestas non potuit hoc inermis piorum sacerdotum eloquentia perfecit.

Pridie Calendas 7bris P. Joannes Zatuskowski contra morum barbariem pro suo munere ad Congregatos hospites verba fecit.

September, October.

Prima 7bris die singuli Magistri suas de more Scholas ingressi prima studiorum hujus anni fundamenta jecerunt.

Monetæ pretium

Hoc anno et hoc ni fallor mense Moneta per Thesaurarii Regni diploma publicum ita ab antiquo suo pretio propter vilioris materiæ admistionem dejecta est ut ne medietatem quidem veteris haberet pretii. Tymphones passim appellati Bøki 15 assium Polonicorum pretio æstimati sunt. Tymphones ut Credebatur Vratislavienses etsi nobiliore materia Constarent tamen postquam Varsaviam delatum est lucri causa similem a nonnullis

Vratislaviensi è vili metallo cudi pecuniam Thesaurarius ejusdem esse pretii jussit quo priores.

NOVEMBER.

Novi Praesides.

Hoc mense R.P. Franciscus Kozminski Praefecturam Provinciae quam divisione Provinciarum factam primus ultra quinquennium cum laude gesserat R.P. Paulo Loka Calissii tradidit. Huic Rector suffectus est R.P. Ladislaus Wietrzynski Praeses noster Jam qui nuper universae Majoris Poloniae navem sapientissime rexerat Idem R.P. Franciscus Kozminski ad Collegii nostri clavum Consedit 3tio Calendas decembris.

Tumultus Studiosorum

Superbia quorundam Studiosorum Juvenum cum Theologorum tum Philosophorum non leve nobis facessivit hoc mense negotium. Philosophum quendam Matheum Wilant tanquam authoritatis suae apud R.P. Wietrzynski insimulaverant Civitatis Primores. Horum querelis Praeses deferendum rates censuit adolescentem non tolerandum in Scholis idem Consultoribus visum est Idem Praefecto sed non idem Reo non idem aliis protervis juvenibus. Nihil apud barbaram juventutem veneranda Rectoris potestas atque auctoritas nihil Praefecti publica denunciatio valuit. Omnibus major poena delicto visa. Colaphum Adolescens ille quo res est infregit famulo Civitatis ei quem Magistratus in aream Domini Wilant Civis Posnaniensis Patruus is Adolescentis erat cum equis et curru ire jussit atque inde alium ex alio truncum quos in grandi lignorum strue habebat plurimos exportare. Contendebat scilicet Magistratus sui hoc juris esse ut qui publicae necessitatis causa quidpiam facere detrectaret rogatus, invitus se cogente faceret. At contra Civis existimans se a nemine cogi posse ea ut venderet quae ipse non vendendi sed retinendi consilio emisset negotium Nepoti dat area hominem importunum extrudat. Paret ille sed plusquam jubebat ausus pugno famulum aggredit. Hinc gravissime apud Praesidem contra Juvenem querela hinc molestae postulationes poenarum. At cum ille se nulli subjiceret, R.P. Rector Coactus est ad ultimam descendere. Ergo dimissionem executioni mandari jubet. Sed qua Constantia P. Praefectus reum prohibet ingressu scholae ea pertinacia cum reus ipse tum reliqua juventus ut admittat instant. illud etiam terrendi P. Praefecti causa seditiosa voce repetentes se vel omnes ituros ad scholam vel neminem. Verum cum viderent P. Praefectum nihilo minus in sententia perstare ad vim converti plateam scholis contiguam occupant prohibituri neminem si quis Contubernalium ire ad scholam voluisset. Ne irent retinuerant multos, multi iter obsidentium sagacitatem fefellere. Urebat superbos Adolescentes e manibus quosdam sibi elapsos operam lectioni dare. Ergo aurium cumulantes auxere inconditis clamoribus dictantibus obstrepunt. ad scholam demum ipsi scribendi advolant de suorum Contubernalium manibus stylos et atramentaria per vim extorquent nequidquam Professore respicerent se se quid auderent monente. Ut cujusque genus ignobilius erat ita stomachabat insanius. Clerici sacris vestibus conspicui eo se gerebant audacius quo certius noverant Episcopi Vicarium a nostris rebus alieniorem esse. Fervebat itaque seditio dies aliquot quam tandem R.P. Kozminski receptis fascibus postquam dimissionem urgeri vetuit penitus extinxit.

DECEMBER.

Panegyris Jablonowskio Scripta.

P. Antonius Samptawski scripsit hoc anno Panegyrim Celsissimo Principi Antonio Jablonowski de insigni fide et pietate erga Regem Patriam et Religionem totidem ferme verbis ab ipso Serenissimo Rege nostro laudata exstat typis impressa.

Oratio vernaculo sermone de laudibus Reginae

Hoc anno Illustrissimus Jacobus Szoldrski Inovladislaviensis Palatini et Generalis Majoris Poloniae Filius Praefecto Budzinensi dixit Panegyrim vernaculo sermone a P. Antonio Samptawski scriptam de laudibus pie defunctae Serenissimae Mariae Josephae Reginae nostrae. Aderat frequentissima perinde atque nobilissima Concio cujus ipsa Illustrissima Mater pars erat vel maxima. Laudarunt omnes cum eruditionem Auctoris tum ipsius tenelli Oratoris in dicendo Majestatem ac elegantiam. Haec oratio quoque in lucem propediem emersura est.

Fundatio pro Convictu

Illustrissima Szoldrska Inovladislaviensis Palatina Juvenis de quo proxime supra Mater P. Regenti Convictus pro Collegio Nobilium obtulit 6000 florenis Polonicis.

Cum a 9 jam prope annis in Convictu (ut loquimur) nostri Juvenibus operam navarent tum iis postremis istis Annis 4. Nobilissimorum Juvenum frequentia potissimum celebrari coepit. Ab ipsis primordiis formabantur in Convictu Juvenes non plus quam 10 nec ibi unum aut alterum excipias genere magnopere illustres. Iam posterioribus annis Adolescentium numerus crevit ad 20 quorum singulis genus aut summum aut insigne nulli mediocre. Porro Causa propter quam Parentes tam multi Filios in Convictu erudiri quam alibi mallent fuit maxima praeclara nimirum juventutis institutio. Docentur enim praeter Latinam linguam Germanicam etiam et Gallicam erudiuntur praeterea in Geographia historia quarum specimen publicum aliquoties partim vernacula partim Gallica lingua praebuerunt. Hoc anno Confitentes a nostris auditi sunt 45717 a Lutheri doctrina ab a Calvini 2. revocati unus Judaeus Sacro fonte ablutus ad mortem dispositi 136.

Annus 1762.

Admodum R.P. Laurentius Riccius Praepositus Generalis
R.P. Paulus Loka Praepositus Provincialis
R.P. Franciscus Kozminski Rector.

Januarius

Princeps hic anni mensis ipsas praeter Calendas, quibus nempe frequentissimus isque Nobilissimus cum domesticus tum externus populus insigni suae pietatis ac religionis significatione & oratores Sacros ad Concionem dicentes placide persecutus, & Sacra Synaxi refectus est: atque diem XIX Calendas Februarias, quo scilicet nostri spiritum & vota instaurarunt; nihil ferme facti habuit. Nam praedia & pagos

Collegii

Hyberna Moschorum in nostris Villis.

Collegii hybernans Moschus miles, misere ipsis diebus vexaverat. Neque tamen jam, quam vastitatem attulerit, dicere vacat. Suum ille ingenium retinuit. Atque cum barbarum sit & ad rapinas natum id genus hominum, ut annis superioribus non hyemis, sed avaritiae, furtis, celerisque sceleribus perfugium in Sociorum atque amicorum tectis quaerebant & esse voluerunt, ita & hoc. Et utinam ea clade, quam hybernis collocatus, fecerat, contenti essent, qui Posnaniae hyemabant! Verum illi, quasi socios hospitio utentes non satis nocere aut velle, aut posse desperassent, operam suam praecipuam ad efficiendam vastitatem conferre non dubitaverunt. Commeatum, qui nec facile parari possit, nec sine detrimento rei familiaris magno dari, subvehendum Posnaniam imperarunt.

De Decuma pagi Mechlin. Decisio facta.

Illud sane, quanquam non adeo multum ad fortunam Mechlinensis pagi facit, non incommodum tamen vel hoc de causa, quod conferat plurimum, ne post homines, qui semper reperiunt, de quo litigent, controversiam Collegio inferre possint. Convenerat inter Praepositum Sremensem & Praesidem Collegii R.P. Ladislaum Wietrzynski, ut pro decuma, quae olim in grano dabatur, pecunia certa solveretur. Res tota intelligetur accuratius, ex decisione facta, atque tabulis publicis incisa: cujus hic exemplar subjicio.

Oblata compositionis ratione decimae & missalium de Villa Mechlin Ecclesiam Parochialem Sremensem Spectans. 1762.

Anno Dni millesimo septingentesimo sexagesimo secundo. Die vero Sabbathi vigesima septima Mensis Februarii.

Rzepnicki.

Coram officio actisque praesentibus Curiae Eppalis Posnan. comparens personaliter Adm. Rndus Franciscus Rzepnicki Soc: Jesu Collegii Posnaniensis Causarum Procurator Pplis obtulit ad acticandum actisque praesentibus ingrossandum compositionem ratione Decimarum et Missalium de Villa Mechlino provenientis Ecclsam Parem Sremen concernen inter partes suprascriptas initt. et per Celsissimum Principem Rmum Dominum Theodorum Ducem in Klevan et Zukow Czartoryski Eppum Posnaniensem approbatam cujus compositionis tenor sequitur talis = =

Miedzy Wielmoznym Jego Moscią Xiędzem Stefanem Skrzebowskim Kanonikiem Poznanskim Katedralnym Curiae Celsissimi Rmi Principis Czartoryski Eppi Posnaniensis Auditorem Proboszczem Sremskim z iedney a Wielebnym Xiędzem Władysławem Wietrzynskim Rektorem y całym Collegium Poznanskim Soc: JESU z drugiey strony stanęła ugoda y komplanacya w nizey opisany sposob. Maiąc Collegium Poznanskie Soc: JESU wieś Mechlin dziedziczną w Powiecie Pyzdrskim a Woiewodstwie Kaliskim lezącą Juribus Parochiae Sremensis Ecclae podległą w ktorey według Erekcyi tegoz Kosciola Sremskiego Anni Millesimi Quingentesimi Decimi znayduie się stadow dwanascie y z nich według opisu teyze Erekcyi płacić się powinno per duos Coretos (ktore Czwiertnie wynoszą) Siliginis et Avenae ex Allodio, także decima temuz Kosciołowi nalezy, przeto strony przerzeczone unikaiąc wszelkich prawnych kłotni, y kosztow ztąd pochodzących tak się zgadzaią Wielebne Collegium Poznanskie Soc: JESU z sładow wieyskich wsi teyze Mechlina admentem Erectionis Millesimi Quingentesimi Decimi co Rocznie na dzien Swiętego Marcina Biskupa dwanascie Czwiertni Zyta, y tyleż Owsa in grano miary Sremskiey Szescdziesiąd cztery garcy zwyczaynych piwnych w sobie zawieraiącey Kosciołowi Sremskiemu oddawać deklaruie, in vim zas Dziesięciny ex Allodio czyli Folwarku na Dzien tenze Swiętego Marcina Biskupa co Rok Złotych Polskich Trzydziesci po groszy trzydziesci w kazdy rachuiąc według dawney compositi wyliczać będzie, ktorym Mesznem y kwotą Złotych Polskich Trzydziesci Wielmozny Jego Mosć Xiądz Proboszcz Sremski, cum suis Succedaneis kontentować się przyrzeka. Ktorą komplanacyą aby swoy walor większy miała, oney Succedanei Praepositi Sremecensis zupełnie y nienaruszenie dotrzymali do potwierdzenia y Approbacyi Celsissimo Principi Loci ordinario poddać obiecuią a teraz oney rękami własnemi podpisuią. Działo się w Poznaniu Dnia Trzynastego Listopada Roku Tysiącnego Siedemsetnego Szescdziesiątego pierwszego. Stephanus Skrzebowski Canonicus Cathlis Posnaniensis Praepositus Sremen. Ladislaus Wietrzynski Rector Collegii Posnaniensis Soc. JESU mpp. Approbationis vero series est ejusmodi: Theodorus Dux in Klewan et Zukow Czartoryski Dei et Apostolicae Sedis Gratia Eppus Posnaniensis et Varsaviensis Universis et singulis quorum interest aut intererit aut interesse poterit significamus quia Nos visam et lectam praesentem

Complanationem inter partes suprascriptas intuitu Decimae et Missalium de Bonis Villae Mechlin provenien Ecclesiae Parochlem Sremen spectan initam conscriptam et conclusam in omnibus et singulis punctis et clausulis Authoritate ordinaria approbavimus roburq firmitatis habere declaravimus, prout Approbamus et declaramus per praesentes. In quorum fidem Datt in Palatio Nostro Episcopali ad Ecclesiae Cathlem Posnan Die Decima Nona Decembris Anno Domini Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Primo. Theodorus Episcopus L.S. Martinus Josephus Ulrych Apostolicus et Actorum Curiae suae Celsitudinis Notarius et Secretarius. Quam ejusmodi compositionem supra scriptt offerens ad Acta praesentia suscipi et ingrossari petiit, ac quantum de jure est obtinuit originalia ad se recepit et de recepto Cancellariam quietavit. Praesente me Thoma Jagrowski Sae Rae Mtis Secretario Aplico Curiae suae Celsitudinis Posnan Substto Notario Cancellariaeque Vice Notarius.

Ex Actis Curiae Eppalis Posnan extractt et Sigillo Celsissimi Principis Rmi Dni Dni Theodori Ducis in Klewan et Zukow Czartoryski Dei et Aplicae Sedis Gratia Eppi Posnan Comunitt.

Thomas Jagrowski Aplicus et Actor Curiae suae Celsitudinis Epplis Posnan Substts Mug mpp

Februarius.

IV Nonas Februarias Professionem 4 Votorum fecerunt P. Antonius Samplawski, P. Antonius Sadetzki. Ex adjutoribus vero rei domesticae professionem coadjutorum formatorum Dominicus Przesmycki

Diebus, quibus Baccho Liberq litare solent improbi homines, quo plerique a sceleribus avocarentur, solemnis tritum dierum supplicatio in nostris Aedibus instituta est. Ingens populi undequaque concursus factus est. Principes vero cum Foeminae tum Viri tanta frequentia Aedem singulis diebus adibant, quanta vix memorda reperi potest.

Martius.

Cum tertius jam annus in exitu paene esset, atque nostri in Collegio Posnaniensi Philosophiae studium suum applicare coeperant, hoc mense, ut consuetudo Provinciae fert, primi illi metaphysici progressus sui in philosophicis facti specimen tanta cum approbatione omnium dederunt, ut digni judicati fuerint, qui eodem anno, mense Junio publice de controversis Philosophiae universae quaestionibus responderent.

Aprilis

Magna Sociorum manus ad Sacros Resurgenti Christo Dies in expeditionem sacram educta est. Bini singulas paroecias excolendas susceperunt. Verba ad Populum faciebant, rudibus et pueris Christianae doctrinae rudimenta explicabant, aures enarrantibus peccata sua, non poenitenda sane opera duarum hebdomadarum spatio, dabant

Majus.

Hoc uno fere laetissimo, quod legiones Moschorum jubente suo Czaro Petro III. (: qui ante Calendas Januarias Elizabethae Amitae suae successerat :) non jam Reginam Hungariae Regi Borussiae repugnantem, sed Regem Borussiae Reginam Hungariae oppugnantem adjuturi in Silesiam abierint, praediaque nostra dimiserint. Domi etiam non exiguam sane voluptatem Theologi Mathematici, Physici & Logici, cum de propositis sibi quaestionibus ab iis, qui doctrinae periculum faciebant, responderent, pepererunt.

Junius.

Instauratione votorum ac Spiritus, nec Non disceptationibus Scholasticis celebris est. Vota enim nostri die, qui Angelico Juveni Aloysio sacer est, olim nuncupata instaurarunt. Jucundum demum erat in publica aula lycei disputationibus tam variis tamque accuratis interesse. Disceptabant de Naturae arcanis Philosophi: Difficultates Theologiae cum Scholasticae, tum quae de moribus est, item quae Religionis mysteria adversus Pravorum dogmatum magistros tuetur, demum quae Sacri codicis salebras explanat, imo etiam Juris, quod Canonicum dicimus, publice tam multi expediverunt, ut totum poene mensem res illae sublimes audirent.

Julius

Quod Posnaniensis Antistes per occupationes Posnaniam venire non potuerit stato tempore, nostri, qui Sacris initiandi erant ad Illustrissimum Bajer, qui Culmensis praesul est, missi. Gratissima sane huic Antistiti res accidisse videbatur, seu quod nostris favere putetur, seu, quod viris e Societate ordines, ut dicebat, sacros conferre dudum averet. Jucunditatis ejus documento est, vel ipsa humanissima officiosissimaque Antistitis benignitas, quovis enim die, quo vel Diaconos, vel Subdiaconos, vel Sacerdotes creabat, nostros in prandio apud se lautissime accipiebat etc.

Augustus.

Princeps Posnaniensis Provinciae Praefectus Celsissimus Antonius Jablonowski circa idus Augusti primum in Majorem Poloniam venit: huic Panegyris de illius laudibus concinnata nomine Collegii Kondsevii in Aedibus Illustrissimae Palatinae Calisiensis oblata Praesente Celsissima Palatini Parente atque Sororibus. Eodem mense in conventu duarum nobilissimarum Provinciarum Calisiensis & Posnaniensis Szredensi Legatum Serenissimi Regis egerat magnae expectationis & gentis amplissimae adolescens Philippus Raczynski Castellani Santocensis filius Miesicensis Praefectus Collegii Nobilium alumnus Rhetor, qui tanta & actionis suavitate, & verborum splendore & orationis gravitate dixerat, ad frequentissimam, amplissimamque concionem, ut ab omnibus mirifice celebraretur.

September.

Pridie Calendas Septembres orationem de Philosophia dixit P. Anton: Samstawski. Argumentum orationis est, in Libro declamationum.
Ipsis Calendis suas magistri scholas frequentare coeperant.
Hoc anno nova etiam juventuti commoditas oblata est. Philosophiam enim, quae experimentis sententias comprobat, quaeque hac tempestate potissimum floret, docere coepit P. Josephus Rogalinski, qui Parisiis aliquot annis ejus discendae caussa commoratus, mense Julio venerat Posnaniam. Unde & Suppelectilem copiosissimam, splendidissimamque, cum R. P. Trampczynski, qui Serenissimae Regis Galliarum Filiae ad Sacras Confessiones utitur, impensis, tum suis non exiguis sane, ~~[illegible]~~ tam mathematicam, quam Physicam, quae experitur, adduxerat.

October.

De sacris laudibus D. Francisci Assisinatis in aede quod dicimus conventualium, ad populum dixerunt nostri. De Quaestionibus Theologicis publice propositis e Societate duo, duo ex externis scholaribus respondebant dimidia diei magna cum laude. Illud unum triste. Valentinus Rakowski Cujaviensis, adolescens cum jam quinque annis Castra Divi Ignatii secutus fuisset, Philosophicisque mysteriis initiatus, exauctorari voluerat. Impetraverat. Solutus Sacramento Domi alienae, cum enim ad suos facta sibi potestate abisset, priusque mutavisset vestem quam sibi liceret, neque ad Collegium redire voluisset, res per compendium acta est.

9ber.

Luce Divo Stanislao Kostka Sacra, de illius laudibus dixerunt PP. Divi Francisci quos, vulgo Reformatos dicimus. Sacrificium ritu solemni faciebat P. R. D. Myszkowski Adjutor Decani Cathedrae Posnaniensis, quem cum toto Illustrissimo Canonicorum Collegio humanissime Collegii Praeses exceperat. Horis Pomeridianis splendidissima Mathematica suppellex ~~pae~~ iisdem praesentata.
Orationem de D. Kostka ingenti cum approbatione omnium dixit P. M. D. Philippus Radzynski.

Mira Lutherani vocatio.

Pridie Calendas Decembres Carolus Hirsekorn ejurata Lutherana haeresi, qui Ecclesia Catholica se conjunxerat. Exemplum quanquam non infrequens benignitatis Divinae Posnaniae, in hoc tamen adolescente & singulare & rarum. Acri certe stimulo, ut ad saniora consilia aliquando rediisset, urgendus erat. Neque enim persuadere sibi poterat Lutheri instituta errori obnoxia esse, neque doceri a quoquam voluit: denique nihil antiquius habuit, quam ut ne cum ecclesia in gratiam rediret unquam. Natus est in finibus Silesiae. Parentibus quidem honestissimis, sed Lutheri peste afflatis, Patre etiam magistro atque haereseos Sacerdote. Posnaniae apud necessarium suum, Lutheri sectatorem strenuum, Pharmacopolam, unguentariae discendae animo diversabatur. Dissidii nescio quid subito adolescentem inter atque Patrem familias coortum: hoc certe Carolo salutis fons extiterat. Hospitium ille mox & herum mutare in animum induxit & ad Miropolam Collegii nostri domesticum divertere. Facile ingenuus & liberalissimus adolescens quod petierat, impetravit. Nemo enim erat, qui non praesagus hunc aliquando ab erroris caligine ad sincerae dei lucem perventurum divinaret. In tanta domesticorum omnium spe, ille pacto quovis contendisset, nunquam fore, ut ~~x~~ suavissimo Ecclesiae jugo cervicem submitteret. Quippe, qui non erroris dediscendi animo, sed vindicandi se a necessario, aut saltem invidiae apud suos ostendae, nostram se domum recepe rat: nihilque in familiam adscriptus omiserat, quo se quidem in errore conservavisset. Magnum sibi, quod ait, viderat a contubernio Sociorum Jesu periculum creatum. Crebro itaque Lutheri discipulos convenire, crebrius fanum Suarzeden vicinum se fedes adire, saepius ad coenam, quod ajunt, accedere, praedicanti Sectario se commendare, preces implorare, monita & documenta pestifera petere & accipere. constituit. Sed & domi tanta religio hominem in minimis etiam tenebat, ut nequidem vicinos suis libros catholicos esse voluerit. Suspicabatur nempe homo in re insana admodum religiosus, vim aliquam Thessalicam in libris orthodoxis inesse. Consuetudinem tamen Societatis hominum non fugiebat, seu quod eruditio, quam suspiciebat, seu quod ingenium liberale & suave ad colloquendum invitaverit. Interim Sacerdoti nostro, quo Joannes familiaris utebatur, in mentem venerat, suggerere adolescenti omnis orationis, quae de religione esset, impatienti, vellet singulis diebus Reginam coeli atque Servatoris Parentem oratione, quam Ecclesia ex verbis Gabrielis, Atque Elisabethae concinnaverat salutare. Humanitate sola adductus gessit morem. primum Salutaverat, quo Amico gratificaretur, mox etiam religiose ac reverenter satis, idque septem ipsis diebus. Magna sane est gratia & benignitas Reginae coelorum. Subito homo religione nova tangi, de sua secta dubitare, certissimum animae periculum ac interitum providere, si in erroribus vivere pergat. Insolens res animum ut perculerat: quid ageret nescius haesit nonnihil. mox de sedanda, quae animum commovebat, tempestate cogitare. Et certe nihil ille omiserat, quo quidem sibi & religionem ademisset, & pristinam tranquillitatem animo reduxisset. Frustra omnia. Non diurnus labor depellit metum, non quies nocturna mentis procellam lenit. Quid multa? Tam vehemens Dei ad cor loquentis vox fuit, ut gemens, atque ~~[illegible]~~ lacrymis [oppletus] Patrem, qui germanice concionabatur, adierit, eique nihil tale cogitanti genibus submissus, rem totam aperuerit. Durum est, inquit, contra stimulos calcitrare. Sentio, in qua versabar, caliginem, Lucem coelestem video. ocius ah Pater, quae discenda sunt Romano homini, exhibe. Evomenda est sane lues, hodieque, si licet, evomo. Strenue Rem gessit Pater, nihilo segnius adolescens. Vixdum Catholica dogmata intellexerat, urgere, ut primo quoque tempore ejuraret haeresim. Ingens defixit urbem admiratio. Factum enim erat & subitum, & in homine obstinati admodum ingenii. Magna praeterea in disciplina mutatio. ad nostrorum rationem vitam exigere coeperat. Meditari Divina quotidie. octavo quoque die, plerumque 3tio, feriatisve diebus sacra synaxi refici, libros, qui veritates aeternas explicant, volvere, templum de die saepius adire, summa cum modestia & verecundia preces ad Deum fundere. Tria tamen sunt, quae hic potissimum commemorari debent. Cultus splendor imminutus. Frater Aspiratus. ~~[illegible]~~ Nomen denique Sacrae D. Ignatii militiae datum. Germa:

ng Joannes Lutheri Sacerdos simul atque de pulcerrimo hujus facto audierat: literas, quibus animi levitatem, ut ille scripserat, redargueret, dedit. Multa his in literis erant, quae animum infirmum expugnarent quippe minas etiam adjecit, quodque maximum telum est, matris jam provectae lacrymas atque maledicta. Legit Joannes literas, insaniam solam atque impudentiam pseudo-Sacerdotis defleut, mox tam apposite respondit, ut nihil jam ultra scribere ad se ausus fuerit. Insigne & illud. Legerat in tractatibus de Perfectione religiosa P. Roderici de vanitate cultus Perculerat sententia animum usque ita, ut id unum cogitaret, quomodo ornamenta omnia modestissimi sui prophani cultus resecuisset. Cogitationem certe illam perfecisset, nisi Pater, cui religionem suam patefecerat, prohibuisset.

In Decembri

Id solum commemorandum est, qua celebritate dies illibato Reginae Coeli conceptui, Divae Barbarae, atque Xaverio Sacer celebrati fuerint. Illibatum Virginis Intemeratae ortum prosecutus est oratione magnae exspectationis adolescens Jacobus Szoldrski, Palatini Iunivladislaviensis Filius, Budzinensis Praefectus. Divae Barbarae gratificatura civitas vesperi frequentissima cereis, ut consuetudo fert, ardentibus instructa comitata est Eucharistiam, quae per aedem circumferebatur. De laudibus D. Xaverii dixerunt gravissimi duo viri è Familia D. Dominici, Praesesque eorum A.R.P. Rudzki, qui paulo ante toti Provinciae praefuit, rem Divinam solemni ritu peregit.

Multos hoc mense è nostris vicini curiones invitarent, qui de diebus plebem excolerent verba ad concionem facientes, peccata sua enarrantibus aurem dantes.

Annus 1763.

A.R.P. Laurentius Ricci Praepositus Generalis
R.P. Paulus Loka Praepositus Provinciae.
R.P. Franciscus Korminski Rector.

Januarius.

Ipsis Calendis ingens cum populi, tum optimatum concursus in nostra aede fuit. Sequentes Sacra Synaxi refecti.

Molestus atque injurius Borussicus miles ex Silesia in Prussiam Borussicam demigrans Poloniam majorem ceterasque Provincias afficere coeperat. Frumenti, foeni, straminis ingentem copiam quaevis dioecesis subministrare debuit.

Judices etiam receperat illi & censuri dotiare vectigal confluxerunt Posnaniam.

Februarius.

Tristis sane Collegio. Neque enim pauci sunt, qui divexare Domum animum induxerunt. Primus est Palatinus Posnaniensis, qui Hebraeis commodaret, collegii censum, quem Synagoga Posnaniensis singulis annis pendebat & de pendendo convenerat, imminuit. Alter est R.D. Kierski. Jus ille nostrum prodendi Canonicum Ecclesiae Collegiatae B.M.V. in summo sacrae interturbaverat. Villa miesiska ad oppidum Buk, addicta Canonico Posnaniensi. Hunc olim prodebat Starkovecciorum Gens. Pater Stanislaus ex eadem gente ultimus qui inter nostros nomen ediderat, collegio gentis suae beneficium attribuit. Usi sunt illo nostri multis jam annis. Obierat decimo Januario Obrovisskius aliquot ante annos à Collegio praefectus. Produxerat itaque Praeses Collegii P.R.D. Dbeuvreckium. Inaugurari non poterat statim atque productus est. Interea Kierskius Varsaviae apud Legatum Pontificium, quem Nuntium Apostolicum dicimus, non monito Collegii Rectore, agit, ut se nomine Pontificis summi producat. Produxit. Mox Sabbatho Sancto inauguratus Canonicus. Dum fundum miesiskin ad praeceptum juris occupare contendit, cum P.R.Dni Dbeuvrecki, tum Collegii nomine reclamatum est foeda declaratione animi, quod & conservare jus, & depellere damnum velit. Uter illorum causam lucrabitur, controversia planum faciet. Lis enim sub judice est. Sed neque sola beneficia atque vectigalia vim senserunt. Sensit etiam ipsa domus. Venerunt ante Calendas Martias aliquot equitum velitumque Borussicorum cohortes Posnaniam. Duo authore urbis moderatore, an ipsius militis malignitate incertum. Duo supra triginta velites etiam cum suis conjugibus missi ad Collegium, ingenti strepitu in aream irruunt. Partemque domus, quae in Atrio Officinarum est, hospitio militum metatore jubente occupant. Vis ista praeluxit majori.

Circa Bentzkivnd Canonici Collegi B.M.V. in summo

Martius.

XVI. Calendas Apriles 460 pedites ex eodem exercitu stativa fecerunt, neque vero cubicula in area designata sed infimae & superioris porticus aedium una cum muliereulis occuparunt. Una & dimidia die alebantur. Haec incommoda communia sunt toti civitati, ceterisque religiosis domibus. Atque utinam nihil praeter hospitium & commeatum

exegisset! verum in

Aprili

Judices ex ipsa colluvie plerique delecti à Suo Rege, Posnaniae Gnesnae, Veinae Lobzenicae, Dresnae, Glogovii constituuntur, sparsos per Poloniam Borussicos homines, quod ajebant, colligi; ri. Atrox sane tempestas. Gravissimis quippe injuriis atque calamitatibus portam haec judicia patuerunt. Non queror Gentis externae & liberae jura violata. Audaciam & vulnera incolarum commemoro. Maxima pars nobilissimorum amplissimorumque Virorum, Foeminarum, Senatorum ad judicia à suis Colonis ac servis trahebatur, postulabatur pecunia, quam furor plebis atque servorum pro libidine imponebat. imposita solvi jubebatur, flagris, fustibus, ferro exigebatur. Multi custodiis traditi, multi sudibus fracti, verberibus affecti. ferro caesi, multi domo abrepti, pedes equo insidentem militem sequi debebant, multi curribus adstricti. multorum nobilissimorum virorum aedes direptae. Nihil hic proficiebat vox illa: Civis Polonus sum. Quae acerbitas quae trepidatio, qui furor, quae scelera, quae caedes, fierint, si quis intelligere volet. meminerit verrinarum Ciceronis. Quae enim de Verre fusto illo Siciliae à Tullio memoriae prodita sunt, hoc mense atque majo Borussicus miles in Polonia renovavit. Non audiebatur accusatus, accusabat, quem improbitas instigaverat, qui nocere perhorrescebant, quo nocerent incolis, pecunia solicitabant. Mitto quae tot in provinciis, quae in Domibus Splendidissimorum Virorum, quae in Senatorum ac Clarissimarum foeminarum perpetrata sunt. Mitto vastatam Valcensem Residentiam. Quidquid agi ferrique poterat, ablatum est pro libidine unius improbissimae mulierculae. Fridericium unum, nescio quem Myropolae olim Posnaniensis seu nepotem seu filium, hodie è minoribus militiae Borussicorum magistris vulgo Capitan, Commemoro. Ex hujus audacia atque impudentia de aliorum improbitate judicium esto. Maximam sceleratissimus homo Posnaniensi collegio injuriam afferre parabat. Finxerat confidentissimus vir nostros myropolium à Suo Parente 20000 Tricenariorum triginta septem abhinc annis emisse, sed pecuniam pactam non persolvisse. Quo itaque Collegium nomen expungeret, atque annuum a 20000 censum solveret & accusabat Fridericus, & Judex Paszkowski urgent. Plana res erat, neque à nostris unquam myropolium emptum fuisse neque aes minimum homini deberi. Poterat enim plurimis apertissimisque argumentis et monumentis res probari. Homines qui Miropolam Opitz olim Civem Posnaniensem jam vita functum noverant, probeque negotium hoc perspectum haberent, sistuntur. In cassum omnia. Et certè nisi Deus benignissimus adfuisset; 70000 tricenariorum (: tantam enim summam census compacta, quod ajebat, pecunia, efficiebat :) solvisset. Vivebat in Oppido Swarzędz Civis Opitz hujus Fridericii avunculus, qui aromatoriam tabernam non 20000 r sed duobus pactam acceperat. Innotuit res Prasidi Collegii, invitatus, fassusque est, se, non Collegium nomen contraxisse. Et ita procella illa depulsa est. X Res haec Opitziana atque Fridericiana est in actis Swarzędzensibus. Molitori tamen, qui nescio, quid sibi negotii finxerat occasione Molendini Kotoviensis, 5 nummos aureos cum judicium Borussicum minaretur, Prases persolvit. Data est etiam aliis pecunia, qui commenti sunt fuisse sua Jura laesa a nostris. Instigatus à quibusdam Magnificus Dominus Hector Koszucki, Vindicabat sibi jus haredis pagorum Kotowo et Dąbrowa. Paulò ante ad Judicium Castrense Posnaniense Collegium vocaverat: verum cum legisset Tabulas, quibus possessio illa nostris adstruebatur, molestus esse desiit, seque iniquè vexaturum, si rem judicio persequeretur, pronunciavit. Neque, quod metuebamus ad Judicem Borussicum Paczkowscium rem detulit. Cum nobilibus tamen Viris apud eundem litigabat.

Domi etiam res non satis tranquilla erat. Cajetanus Rembielinski Metaphysicus, Joannes Paszkiewicz rei domestica adjutor, artifex claustrarius, cum de deserenda Christi militia cogitare copissent, audacius se gesserunt, quàm modestiae, imò humanitatis omnis leges volebant. [a] Provinciae jussu [a] Praesidis custodiae hoc mense traditi. mense majo Sacramento soluti ad vitam prophanam redierunt.

Duo viri hôc Annô, uterque aetate et meritis gravis, uterque nobilissimis Parentibus editus, uterque Deziorciis de hac vita mortalis statione decessit, uterque Posnaniae in Aede nostra situs: sed alter nempe [a] Josephus Bulakowski 4 Votorum professus, [a] Sacerdos 78 annos natus, cum in religione 62 vixisset: alter Casimirus Kromolicki rei domestica adjutor, aetatis 72 religiosae vitae 47 ille 5 Junii hic 28 aprilis.

Atque Casimirus Kromolicki, ut ea, quae hujus Mensis sunt prius exponamus vir erat et virtute, et in Provincia sibi designata industriâ atque felicitate commendatissimus. Curatoris Pagorum munus tantâ industria

dustriâ, ac diligentiâ sustinuit, ut si † census incrementum quod illius curis accreverat, rationem habeas, meritô Fundatoribus hominem adjicies. Prater eos fructus, quos Collegio Oeconomi nostri studia afferre debent, prater Villarum ornamenta, agrorum fertilitatem, quam illius industria peperit 200000 et quod superest in parata pecunia adtulit. Magna hac Vectigalium Domus accessio, major illa, quod non minus virtutem coluerit. Pauperiem ceu Matrem amavit. Nihil ille lautum in cubiculo, nihil in victu habuit. Genium non curabat, sed fraudabat. Magna animi demissio commendabat. Non illum suppudebat vilissimos Ruricolarum labores exercere. Magnum otii odium: hinc cum in adjutorem Rei domesticæ nulla re occupatum incidisset, temperare sibi non poterat, quin admonuisset hominem; talibus in religione locum non esse. Magna orationis. Cum ad Collegium venisset, magnam diei partem in Ade consumpsit. Ruri 3^tiâ^ Matutinâ Divina meditabatur, cum tamen non decumberet, ~~noctes~~ nisi serò. Globulos precatorios manu volvere saepissime visus est.

Majus

Judices â Rege Borussorum constituti, de quorum judiciis supra docuimus, postquam misere imo atrocissime gentem nostram afflixerunt: plures quam 12000000 aureorum extulerunt, plurimos homines cum totis familiis avexerunt, excessere.

Junius

P. Bielakowskius, quem in mense ~~Maj~~ Aprili memoravimus multis laboribus, ac morbo longo consumptus obiit. +

Multos ille annos Sacri oratoris munus obibat. quaestiones de naturae arcanis explicuit, oratores formavit. Hoc ~~quoq~~ mense Quae singulis quoq Annis circa idem tempus juxta ac consuetudo fert Provinciae nostrae, publicè defendi ex variis liberalium artium facultatibus Theses assoli. Isthoc etiam anno penè integro mense non sine ingenti commendatione scholarum nostrarum, nec non omnium advenientium hospitum approbatione, jam ex Philosophia jam ex Mathesi, jam ex Theologia eaq̃ tum Scholastica tum ~~Morum~~ quae ad Mores est, nec non etiam quæ dogmata fidei tradit; Demum ex jure Canonico et ex Sacra scriptura tum ab Alumnis e Nostra Societate ~~cum~~ ab aliis exteris qui studii causâ nostras publicas scholas adeunt propugnatæ sunt. . .

Circa finem hujus mensis Judicia a Rege Borussorum constituta de quibus habes superius cessarunt, et non modo Urbs Posnania, sed tota Provincia Majoris Poloniæ, Cujavia etiam ac Prussia Regni, (Quid enim Poloniæ Provinciæ intolerabile jugum iniquissimorum judicum senserunt quam maximè) tandem studio et opera P. Kegel e Societate Nostra a vexis vicinæ potentiæ ~~tru~~ Borussiæ sunt liberatae. Hic Pater in negotio Residentiæ Valcensis ubi Ministrum egit, ~~o~~ omnem lapidem movit ~~ut~~ damna iniquissime illatâ Residentiæ a Milite Borussico recuperaret ~~a~~, et cum nihil proficeret apud Regis Prussiæ Ministros, ipsi Regi suas tunc Urbes et oppida in Silesia et Pomerania peractô bellô lustranti, obviam venit, supplicem libellum flexis genibus porrigit, ~~quid iniquè~~ in sua Residentia a ~~a~~ suis militibus actum, et quidve in Polonia agatur fideliter exponit; rei indignitate vehementer Rex commotus, quamprimum res ablatas Residentiae restituere, judices, quos ex decisione hujus causae ~~Resid~~ iniquissimos agnovit, amovere mandavit. Itaq et quod res licet non ex integro Residentiæ Valcensis restitutas habeat, et quod Regni pars non postrema gravissimis iniquissimorum judicum injuriis liberata sit. P. Kegel debetz.

Ultimo die Julii dies S^ti^. N. Ignatii solito concursu plebis Civiumq atq Magnatum celebratus est. Faciente rem Divinam A. R. P. Zoylo Pride Patrum quos dicunt Carmelitas discalceatos dicentibus pro Rostris sacras Panegires Patribus Ejusdem Ordinis.

Mense Augusto nihil singulare ocurrit præterquam quod hic mensis solitam a studiis vacationem dederit, Ad cujus tamen decursum in instauratione studiorum habita est Oratio a P. Rhetorices

Prima die Septembris solito more scholae discipulis patuerunt. Die Nativitatis B. V. M. P. de Laborde qui ex Gallia in Poloniam receptus est emisit Professionem quatuor Votorum cum quo CC. FF. Leo Dzibowski et Antonius Kordynski ad Gradum Coadjutorum temporalium admissi sunt.

Circa finem hujus Mensis Illustriss. Twardowski primum Castellanus Calisiensis recens inauguratus Palatinus Calisiensis salutatus in templo nostro cui nomine Collegii brevi oratione gratulatus est P. Rhetorices in templo honorem quem paulo ante adeptus est.

In Octobri non sine ingenti dolore tristissimum e Saxonia accepimus Nuncium qui Augustum 3. Regem Poloniarum de domo Saxonica Electorali eo ipso die quo ante 30 Annos electus fuit in Regem a vita discessisse significavit. Circa idem tempus Petricoviae generalia Regni judicia reassumebantur, ad quae dissidentes inter se Magnates ex toto pene Regno nec non ex Majori Polonia numerosissimo stipati comitatu convenerant, et non sine gravi conjectura propter dissidentes inter se Magnates magnos praesentiebamus tumultus futuros. Verum statim ac per Nuncium de morte Regis in Saxonia certiores facti sunt Magnates solutis juxta ac praescribunt statuta Regni generalibus judiciis tumultus quos metuebamus Divina fere providentia non sunt subsecuti. Utinam et aliae calamitates Regni quas ex occasione interregni juste metuimus, suum non sortiantur effectum. Quod tandem interregnum licet tardius ac solet a Celsissimo Lubienski Primate Regni proclamatum est, et ubi 19 Novembris in Urbe nostra singularum Ecclesiarum campanae Regis mortem denuntiarunt, scholae etiam publicae suum officium Regi demortuo praestiterunt in laudem optimi et piissimi Regis bene de nostra Religione meriti carmina tum Patrio idiomate cum latino sermone conscripta a M. Rzesecos a Discipulis Ejusdem in Theologia consultae ad hunc actum adornata praesentibus omnibus fere Canonicis recitata sint.

In Novembri occurrente die Natalis Illustrissimi Twardowski Palatini Calissiensis singularis Amici et Protectoris Nostrae Societatis, ut Nos gratos et memores benevoli Ejus animi testaremur R. P. Rectore praesente P. Bilski diem Natalem Jankoviciis gratulatus e. Eidem. Mense quoque Novembri Summa triginta Millium fl: Pol: ad conservationem Musaei Mathematici ex liberalitate P. Rogalinski inscripta est in Actis Castri Posnaniensis

Ex qua summa pro extruendo et adornando Musaeo decem millia flo: Polo: ad manum R. P. Rectoris reddita. reliqua summa 20 Mil: fl: Pol: locata est in bonis mundis Radzewo.
In decursu hujus mensis, ut majori cum solemnitate PP. Ordinis S. Francisci dicti Conventuales introducerent sacra Ossa Divi Theodori Martiris in suum Templum, expetierunt ut omnes scholae suis cum Vexillis sacrae assisterent functioni, justae non est denegatum petitioni; Itaque magno cum apparatu, Ex nostro Templo assistentibus scholis Magistratu, Capitulo cum Celsiss. Episcopo, dicta prius in nostro Templo a P. Samptowski Concione in Templum Praedictorum Patrum deducta sunt sacra Ossa Divi Theodori Martiris ibique in Sacello recens adornato reposita. Proxime post Patres Carmelitae non ita pridem Beatorum numero redditum Angelum sui Ordinis magna cum festivitate introducebant, huic quoque functioni assistebant Scholae nostrae, et Nostrique e Societate invitati ut pro Concione dicerent laudes recenter Beatorum numero redditi Angeli. Dixerunt itaque in Templo Eorumdem. Sed ad Nostrum veniamus Templum In eo quoque dies S. Stanislai Kostka sacer solemni et cultu et populi frequentia celebratus est, Rem Divinam solemni ritu peregit Illu: Scholasticus Cath: Posn: sacras Panegyres P.P. Bernardini. Non abfuit festivitate
In Decembri recurrens dies S. Francisci Xaverii celebratus est Dicente rem Divinam Perillustri R. D. Drzewiecki sacras Panegyres P.P. Franciscanis Die sacro S. Barbarae enituit pietas Civium in Sanctam pene enim omnis Civitas collecta magna cum pietate et modestia ac accensis facibus in processione praeivit. Diem sacrum Immaculatae Conceptionis Congregatio Media Studiosorum solito more celebravit. Die sacro Sancti Nicolai Professus est 4 Vota P. Rogalinski. Aderant huic actui quot quot arctiori sanguinis vinculo huic Patri erant conjuncti Aderat Illu: Palatinus Calissiensis qui suam sororem in Conjugem vitae habet. Aderant Fratres quorum alter Praefectus Obornicensis alter Succamerarius Regius, Aderat Illu: Mielski Praefectus Conicensis et liberalitate Illustrissimi Palatini lautissime Nostri in Triclinio ad mensam habiti sunt.

Concluzus hic Annus usitata devotione ultima Decembris haberi solita, et plurimi e Nostris missi sunt in varias Parochias ad colligendos fructus Apostolicd Missionis.

Annus 1764

Admodum R.P. Laurentius Ricci Praepositus Generalis.
R.P. Paulus Loka Praepositus Provinciae.
R.P. Franciscus Kozminski Rector

Numerus Personarum excrevit hoc Anno usq ad 85 hoc in Collegio. Ex his Sacerdotes 34 Scho: 31 Magisti 4 Coadj: 16.

Novi Anni exordia sub Nomine Jesu cum solita devotione cum Nostrorum tum exterorum inchoata sunt, Altera post septimana die Nominis Jesu Nostri sua vota renovarunt. Circa finem Januarii Illustrissimi Proceres Utriusq Palatinatus magno numero Posnaniam confluxere quos invitaverat Celsissimus Episcopus eo fine ut ante Comitiola quae brevi Sredae futura imminebant Magnatum mentes intelligeret. Tandem 6 Februa: Comitiola Sredae sunt subsecuta, sed ad initium statim eorq. Magno animorum motu hinc inde exorta e Controversia Uter non modo loco sed authoritate in praedictis comitiolis praesideat. Episcopus ne. an Palatinus Posnanienses. nec aliter sopita est controversia nisi scissis in duas partes comitiolis ita, ut Alteri parti et loco et authoritate praesideret Episcopus alteri Palatinus Posnanienses sicq ~~singula~~ utraq pars separatim suos legatos suos judices delegit.

Aderat istis Comitiolis Sredae P. Bazinski qui Petricoviâ ubi Concionatorem egit Anno superiore dispositus erat a R.P. Provinciali Thorunium ad idem exercendum Concionatoris officium. Sed nullatenus voluit obtemperare jussis R.P. Provincialis satius e Societate expetiit dimissionem. Interea per hoc tempus extra utrumq Collegium per aulas Magnatum vagabatur. Quare P. Rychlowski disponente ita R.P. Rectore missus est Sredam ut praedictum Patrem ad Collegium Posnaniense invitaret. Conductus est

Et paulo post juxta sua desideria e Societate dimissus.

Hoc quoq Mense Illustriss: Kozminski Palatini Calisiensis Filius duxit in Consortem vitae Illustriss: Dnam Tyrska Filiam Palatini Calissiensis. quos Neo Sponsos ut solenni ritu connubio jungeret invitatus est R.P. Kozminski Rector Collegii Nostri. Illisq nomine Collegii ad augendam eorum in Nos benevolentiam Konarzevia redditum est a Nostris Epithalamium. Circa initium Martii magno numero confluxerunt Posnaniam Nobiles unà cum Judicibus, quos sub tempus Interregni delegerat in scissis Comitiolis Sredae altera pars Nempe ~~ex parte~~ Celsissimi Episcopi ad stabiliendam suorum judicum Authoritatem; quibus judiciis peractis non absimili modo brevi post suam quoq obfirmarunt Authoritatem judices delecti ex parte Celsiss: Palatini Posnaniensis. quorum postremi in nostro Collegio sua privata Consilia peragebant.

Ediderat P. Bielski librum tribus voluminibus comprehensum in cujus fronte haec legis: Widok Królestwa Polskiego Et quia in isthoc libro ex Scriptoribus Polonicis transcripserat aliqua quibus se putarunt offensos Academici in lucem dederant circa hoc tempus aliquot foliorum libellum cum hac inscriptione Objaśnienie Widoku In eoque libello malevolum Animum Patris Bielski in Academicos contendebant ostendere; Sed clare dilucide respondit P. Bielski non se fuisse unquam malevolo Animo in Academicos, sed studuisse veritati ut historicum decuit, quare ut inanem nullo nixam fundamento ostenderet offensionem Academicorum in lucem dederat aliqua folia alludens ad Illorum inscriptionem cum hoc Lemmate: Zaćmienie na objaśnienie.

Tumultus Studiosorum Rhetorum

Mense eodem insolentia temeritasqs Juventutis in studio Rhetoricae operam collocantis, satis permolestum Nostris facessivit negotium. Juvenis quidam cognomine Jasiński. ex eodem schola Studiosus, levitate abreptus,

an veriùs malitiâ infuscatus, Advocatum forensem, Pstierstki cognomine, projectis ab alto fœcibus, consulto (ut patuit) prætereuntem conspurcat. Injuriam passus, Collegii portam adit, de illata sibi injuria apud P. Præfectum Scholarum graviter conqueritur, utq; pœna delinquenti infligatur, instat. Utrinque re examinata, pœna per Professorem scholastica reo infligenda decernitur, sed irrito conatu. Nam ubi ventum erat ad eluendam verberibus petulantiam, protervus adolescens, præoccupatis antea suorum contubernalium mentibus, in suiq; defensionem animatis, obstitit audacter Professori, pœnamq; recusavit. Juvenum proterviam animô observans P. Michael Majewski (hic enim annô ipsô datus erat illis Professor.) relictis in Schola discipulis, solus egreditur, rectâ ad Præsidem Collegii properat, petulantiam adolescentium incusat, ac unà munus Professoris, unà locum deprecatur. Juventus interea non expectato illius reditu, tota ex Scholis in urbem dilabitur, ad hospicia se recipit, graviori seditioni locum quæsitura. Deliberationi ut tempus concederetur, jubet præfatum Professorem R. P. Rector priùs per orationem Deum consulere, et consultô Dominô, quid ei videretur, sibi referre. Morem gerit, atq; peracta oratione, in eadem postulatione continetur, loci mutationem precibus importunis omninò urget, neve ad Scholam redire cogatur, rogat. Ad desideria postulantis, animi consensionem Præses adjungit, et Patrem alium, qui munus illius obeat, designat. Confert se ad Scholam designatus Pater, sed nemo ex seditiosis, triduô, in atrio gymnasii perambulantibus eam intravit. Quarto vix tandem die ingressi scholam, pœnamq; Patri Discretam quidam acceptavere. Res incommodè jam hic ad tranquillitatem redire videbantur. Et ecce post dies aliquot, reliquias seditionis restaurant, majoreq; priori ausu, indecocta cerebra, conceptæ temeritatis maturant fructus. Professorem suum ad aliud Collegium jam expeditum restitui sibi continuò, et pertinaciter urgent, frameis se accingunt; utq; petulantiæ improbos conatus perficerent; etiam ex Academia quosdam Juvenes, ejusdem farinæ socios sibi adsciverê, ceteris scholis vim illaturi. Contiguas itaq; Scholis plateas occupant, ab ingressu gymnasiorum reliquam juventutem arcent, ingressam per vim retrahunt, exturbant, ejiciunt. Nihil hic authoritas Nostrorum et minæ, nihil suasiones, apud effrænatæ licentiæ

Juventam valuerê. Durabat tumultus hujusmodi spatio fere duarum hebdomadarum, donec ad festa gloriosissima Christi resurgentis digrederentur. Suffectus tandem est in locum præfati Professoris P. Franciscus Lipski, studiosa quoq; juventus peractis festis ad gymnasia redibat, nemo autem ex seditiosis impune ad scholam admittebatur, qui verò pœnæ subjicere se nolebant, è scholis amoti sunt. Sic et seditio extincta, et pax restituta est.

Aprilis

Observatio Eclipseos Solis

Prima dies mensis ipsius, quâ observatio Eclipseos Solis ex speculo mathematico à P. Josepho Rogalinski Professore Matheseos instituebatur, Illustrium Virorum agmen, ad contuendam eandem, ventitantium ad nostrum Collegium adduxerat. Quæ cum ingenti plausu, publicis etiam novellis typo impressis, inserta in lucem prodiit.

Mors P. Ignatii Chmielewski.

Quinta ejusdem mensis dies, eademq; suprema vitæ Patris Ignatii Chmielewski, quâ is innocentem animam in sinum sui Creatoris piissimè deposuerat, sanè ingenti mœrore omnium nostrum affecit animos. Pater hic quatuor votorum Professus, natus in majore Polonia, Parentibus pietate honestissimis, ac Nobilissimis. Posnaniæ mitioribus literis informatus, ac inde vocante Deo ad Societatem Nostram, optimam, sanctam, atq; præclaris naturæ muneribus dotatam indolem eidem intulit. Anno Salutis 1719. Ætatis 17. Vixit in Societate annos 21. Philosophiæ dedit operam in Patria, Theologiæ peritiam quæsivit Romæ, Matheseos studiis incubuit Marsiliæ in Gallia. Inde redux, post exactum 3tiæ probationis annum, Matheseos docendæ admotus, officiô hôc diligentissimè juxta ac eruditissimè in annum quintum fungebatur, cum sibi extremam vitæ lineam mors posuisset. Non minore igitur Provinciæ nostræ damno (quam insigni eruditionis gloria, et Magisteriorum cum laude administrandorum cumulatissimè ornaturus videbatur.) ac omnium Nostrum dolore, naturæ concessit; Eô tamen vel maximè desiderabilior à nobis, commigravit, quod singularis in illo Legum nostrarum observantiæ, miræ morum comitatis, suavissimæ cum omnibus conversationis, Zeli præsertim pro Sacro Tribunali, felicissimi modestiæ singularis, ac reverentissimæ subjectionis omnium denique præstantissimarum virtutum exemplum, ab oculis plurimorum, pariter cum eo sit præcisum. Neq; illud præterire hic possumus, quod inter eximias Patris Ignatii virtutes perfectionesq; mihi etiam ipsi (cui sorte delatum est, ut religiosissimæ vitæ illius acta, ad posteritatis memoriam saltem brevissimè calamô exciperem.) ut magnam admirationem peperit, ita summo exemplo fuit; In quodam nimirum Collegio, licet totius anni spatiô, suavissimo ejus contubernio, atq; intima familiaritate usus sum, tamen inter huma-

narum

narum rerum vicissitudines, quæ viros, aliàs virtuosissimos etiam, perturbare, vel ad indignationem permovere solent, eum ne quidem leviter perturbatum aut indignantem unquam observavi; sed semper idem, semper sui similis permansit. De aliis bene loqui, de se humiliter sentire, lex illi perpetua erat. Unde Sanctissimi Magistri Salvatoris Nostri doctrinam illam Discite à me, quia mitis sum et humilis corde. Cordi suo altè imprimens, et verum se Jesu Socium, et diligentissimum Ejusdem discipulum declaravit. Sepulto in Templo nostro, 7 Aprilis, solitis Societatis ritibus parentatum est.

Majus

Nova constitutio de ingredientibus Religiosos Ordines

Mensis hic celebrabatur Varsaviæ generali Conventu Nobilium, (ut vocamus) convocationis, in quo nova pro ingredientibus ordines Religiosos emanavit Constitutio, quâ cautum est generaliter, ut nomina Religionibus daturi, decimam tantum partem bonorum suorum, sortem suam concernentium, seu, ingregredientes, accipiant.

Junius

Dies mensis istius, Nostris hominibus, quâ Spiritûs et Votorum instauratione, quâ publicis liberalium artium disputationibus, solenniores fuêre. Vota enim Religiosa, olim emissa Dominica quarta post Pentecosten Nostri instaurarunt. Dein in Aula publica Lycei variæ disputationes institutæ sunt. Disceptabant Philosophi de naturæ arcanis, Theologicas difficultates cum Scholasticas, tum quæ de moribus, ac etiam quæ Religionis Mysteria adversus pravorum dogmatum Magistros tuetur, insigni omnium, qui aderant, plausu expediverunt.

Julius

Præterquam, quod Celsissima de Mieielskie Radzivilia, Palatina Vilnensis, vidua, transiens per Posnaniam, elegantissima oratione per P. Josephum Rogalinski publicè in Templo Nostro, vernacula lingua salutata sit; nihil hic singulare referendum porrigitur. Ea enim commemoranda solum veniunt, quæ singulis annis, vergente ad finem anno Scholastico, mense isto peragi consuevere. De laudibus igit. Divi Bonaventuræ, die eidem Sacro, Josephus Stefanowicz Scholasticus noster, annum secundum in Studiis Theologicis ponens, ad concionem selectissimis viris confertam, in Templo PP. Franciscanorum, pro nostris laudatissimè peroravit. Coronam tandem anno huic Scholastico imposuit solennitas Divinissimi Patris Nostri, quam Sacro cantato, (Nostris ad selectissimum populum de suggestu verba facientibus, P. Josepho Rogalinski mane, vespertino

vespertino autem tempore P. Francisco Lipski) Perillustris Reverendissimus Stephanus Skrzetowski Canonicus Cathedralis Posnaniæ, Auditor Curiæ Episcopalis, celebrare fecit xx (cui etiam, cum paulò ante delata est Præfectura Ecclesiastica, (vulgo Præpositura) ad Ecclesiam Divæ Magdalenæ, gratulatus est eandem illi concinna oratione, nostro in Templo, P. Antonius Sampławski, ordinarius ejusdem Collegiatæ Concionator. Die eodem, eodemque Sacro, S. Patri Nostro, per accessionem Scythæ, ex gregario milite, ad militantem Christi Ecclesiam, declaravit Divina bonitas, quanto animarum Zelo ardeat S. Pater, quantaque illi sit cura humanæ salutis, cum ad festam ejus lucem, hominem crassissimis errorum tenebris involutum, gratiæ suæ luminibus collustrare dignatus sit. Christianorum Cœtui per sacrum baptisma, nostro in Templo, insertus est, operam vitali aquâ tingendo impendentibus PP. MM. DD. Casimiro Radzynski Præfecto Czervonogrodensi cum Catharina de Radzynskie Radolinska, Antonio Sokolnicki Præfecto Boguszynensi cum Marianna Ulatowska, Christiano Dubblier Colonello Legionis peditum, cum Effrosina Ulatowska, nomenque baptisato impositum P. Ignatii, cognomen autem Bogumiłski. Quod supra diximus, nihil singulare mense isto ad historiam porrigi, reconciliatio autem cum Ecclesia Catholica Scythæ hujus, videatur esse singulare punctum historiæ, ideo fecimus, quod post scriptam seriem punctorum illud acceserit, ideoque etiam ad finem posuimus.

Baptismus Scythæ

Augustus

Ex tertia Augusti in quartam vergente, omnibus Urbis hujus incolis, consurgens flamma gravissimum incussit terrorem, adeo enim ingens, ipsa fere conticinia noctis, inter Judæos exarsit incendium, ut domos, quà ex ligno, quà ex lapidibus extructas plus ultra ducentas in cineres redegerit. Divina tamen protegente manu (non enim aliter opinari licet.) ex Catholicorum circumquaque jacentibus, una tantum domus flammis in spolium cessit. Quantam vero ex eo jacturam, calamitatemque universa Judæorum Posnaniensium Synagoga acceperit facile colligi potest. Sed nec Nostrum Collegium à damnis immune vel eo erat, quod post tantam conflagrationem, census, à summis in præfata Synagoga elocatis, tum sibi, tum Templo, ac Bursæ Musicorum quotannis solvendos, ex eo tempore multum imminui oportuerit.

Conflagratio Urbis.

Imminuti census Collegii post eandem.

Laurentius ... [illegible]
... [illegible]
Franciscus ... [illegible]

September

Anno hoc sequenti (ut illum vocamus) Scholastico prima memoranda venit renovatio Studiorum, in qua pro more dicta est oratio a P. Rhetorices in frequentissimo nobilium hospitum consessu. Initium statim hujus anni faustum evasit toti Poloniæ per tranquillissimam electionem Novi Regis. Videbatur primò res spectare ad magnas discordias. Graves dissensiones animorum ubiq; sunt visæ, etiam alicubi arma promebantur, cum repente tanta rerum mutatio affulserit, ut omnes idem spirare videbantur. Simul ac ad electionem ventum est, post brevem moram 7ma Ibris communi omnium suffragio Stanislaus Augustus Poniatowski Dapifer M.D.L. Rex renunciatus est. De quo nuntius, ut primum Posnaniam pervenit illico in omnibus Ecclesiis, etiam in nostra hymnus D. Ambrosii solenni ritu decantatus est. Ac præterea in Templo Parochiali dicta est Concio de laudibus recenter electi Regis à P. Concionatore nostro Antonio Samptarski.

Electio Serenissimi Stanislai Augusti Regis Polonorum.

Needum certè per totum Regnum latius hic rumor de creatione Novi Regis percrebuerat, cum tristis nuncius ex confiniis Silesiæ ubiquè sparsus est, ac etiam Varsaviam delatus de incursione illic à Borussis facta à quibus eadem damna, quæ paulò ante superioribus annis majori Poloniæ attulerant, timebantur. Pro avertenda igitur ejusmodi clade, novi milites in Palatinatu Posnaniensi et Calissiensi conquisiti sunt. Ex singulis enim quinque modiis agri seu (ut nos Poloni vocamus) Lanceis, unus miles eques, omnibus militaribus rebus benè munitus, ac viatico pro duobus mensibus instructus expediri debuit. Quare Collegium etiam Posnaniense ex suis bonis ac fundis quindecim ejusmodi milites ministravit.

Expeditio militum.

October

Expeditionem hanc militum, de qua proximè superiore mense diximus, et quæ magni stetit Majori Poloniæ, nulla ejusdem esse commodo October monstravit. Aliquot enim ii Borussi (pauci namque admodum numerabantur) qui in Poloniam incurrerunt quicquam hic exercitus cogeretur, è Polonia excesserant, nec deinceps quidquam attentarunt. Ergo in proximis Comitiis Sredæ celebratis, necessitas horum militum in controversiam vocata est, magnaq; contentione ea res agebatur. Decretum tandem est, illos non esse ex usu horum Palatinatuum, ac proinde dimittendos, quod ad effectum deductum est.

Abrogatio eorundem.

November et December

Dies 25, mensis hujus, isq; Sacer Divæ Catharinæ, Solennissimus fuit Polonis populis, Regnoq; universo, quo nimirum Celsissimus Princeps Ladislaus Lubienski, Primas Regni inter Sacrorum Pontificum manus, recens electum Regem solenni ritu inauguravit, regiumq; diadema capiti Varsaviæ imposuit. Diem hunc ut omnes primariæ Regni nostri urbes, ita et nostra Posnania, solenniter egit. Ac imprimis in Templo Parochiali Divæ Magdalenæ circa meridiem, ad Missam Votivam decantatus est hymnus D. Ambrosii magna celebritate et concursu populi, inter crebras tormentorum explosiones. Tum sub noctem accensis ignibus urbs tota resplenduit emissa in aerem pyrobolorum fulmina spectantium recreabant animos, ac inter continuas etiam tormentorum explosiones, suavissimi musici concentus, per turres civitatis dispositi, confluentis populi augebant lætitiam. Publicæ huic lætitiæ ut et nostræ Scholæ accessionem aliquam facerent dicta est oratio de laudibus Serenissimi Stanislai Augusti a P. Rhetorices in amplissimo Nobilium hospitum consessu. Præterea varii generis carmina elegantissima, juxta Latina ac vernacula lingva in frequentissima Illustrium Virorum corona decantavit Schola Poëseos, quæ etiam prælo submissa, in lucem publicam prodiêre.

Coronatio Regis Varsaviæ

In Decembri id solum commemorandum venit, quod nostri pro natalitiis Domini magno numero ad missiones ivere. Bini itaq; ad singulas Parochias, nunc verba ad populum faciendo, nunc enarrantibus sua peccata, præbendo aures, nunc rudibus, nunc pueris Fidei Christianæ rudimenta explicando non pœnitenda operâ, Zeli apostolici extenderunt laborem.

Annus 1765.

Admodum R. P. Laurentius Ricci Præpositus Generalis
R. P. Ladislaus Wietrzynski Præpositus Provincialis
R. P. Franciscus Kozminski Rector.

Januarius.

Ipsis Calendis Januariis solita celebrabatur devotio, ad quam ex confiniis, tam Nobilitatis quam plebis magnus numerus pro expianda conscientia in ædem nostram confluxit.

Conventus Nobilium Sredæ

Mediis autem diebus Januarii instituta sunt Comitia Palatinatuum Sredæ, in quibus Legati, electi antea ad conventum generalem Regni, qui proximè sequebatur Coronationem Regis, rationem eorum reddiderant, quæ Varsaviæ sub tempus Coronationis acta sunt, et sancita. In iisdem Comitiis creati sunt Judices Deputati ad Tribunal Regni. Hæc paulò ante præcedentibus diebus, tota Nobilitas ad conferenda inter se consilia, Posnaniam confluxit, quo tempore, multi Primores, magna pars Nobilitatis ad Nostrum etiam Collegium divertere, adspectûq; Mathematicorum Nostrorum experimentis ex Hydraulica petitis. Inter quos reperiebantur Viri, iiq; primæ notæ, qui varias difficultates et quæstiones resolvendas proponebant, iis cum omni satisfactione, et eruditè, ita copiosè et clarè à nostris respondebatur.

Mors Julianæ de Winklerow Niedzwiecka.

Octava ejusdem mensis, de Domo prænobili Familiæ Winklerow, qui à primo Nostrorum in Posnaniensem urbem ingressu, beneficentissimi erga Societatem nostram extiterunt, Juliana Niedzwiecka, fato concessit, cujus corpus Templi nostri tumulo illatum est. Matrem proximè secuta est filia, in eodem tumulo exuviis suis locum quæsitura. Sed his spoliis non cessavit mors suas augere opes.

Mors Scholastici nostri Stanislai Boniskowski

Eodem siquidem tempore magnæ spei Juvenem Nostrum, Charissimum Stanislaum Boniskowskium Scholasticum approbatum nostræ Societati eripuit. Hic annum ætatis suæ 24. Religionis 6. agens, in Studiis verò Philosophicis jam ad 3tium procedens annum, et ab egregia indole sua uberrimos Societati promittens fructus, quos prælibare visi sumus, præsertim ex sacris expeditionibus, quoties in socium daretur, ab eo susceptis, tandem longæ infirmitatis graves dolores patientissimè ferens, 16. calendas Februarias omnibus morientium præsidiis ad vitæ exitum comparatus, diem supremum piè, religiosèq; confecit, ac Patrum sepulchro solitis cerimoniis est illatus.

Februarius et Martius

Februarius nihil porrexit ad historiam. Martius autem gravem nobis obtulit hospitem, Illustrissimum nempe Georgium Mniszech, Mareschalcum Curiæ Regni et Generalem Judicem, Majoris Poloniæ, qui pro potestate sua Castrensia officia distribuere, Judicesq; creandos Castris præficere Posnaniam advenerat. Salutatus est

imprimis altero sui adventus die, nostro in Templo a Scholis et a P. Rhetorices Latinè, tum dein à nostris Convictoribus in suo hospitio, Gallicè, Germanicè Polonicè et Latinè. Utramq; Salutationem gratissimo accepit animo. Singulis diebus quibus commoratus est Posnaniæ in Nostro Templo Divinis rebus interfuit, Collegium, ejusq; Bibliothecam visitavit, experientiis variis ex arte Mathematica petitis quæ in gratiam Illius factæ erant, ultra duas horas adfuit. Tandem cum magna propensi animi erga Societatem significatione nobis valedixit.

Mors Nob. Kramberska

Eodem mense, alterum hoc anno celebratum est funus nostro in Templo, Nobili nempe Dominæ de Gilzeis Kramberska, cujus corpus tumulo à nostris, peractis cerimoniis illatum est.

Pro festo Resurgentis Christi, majori ferè numero quam pro natali Domini, sacras expeditiones nostri susciperunt.

Aprilis

Regni Tribunal prima vice institutum Posnaniæ.

Ipsa Dominica in Albis, vice prima translatum est Petricoviâ Posnaniam Tribunal Regni. Solenni itaq; ad urbem ingressu Judicum Deputatorum, in magno Illustrium virorum, ac numerosæ utriusq; videlicet Posnaniensis et Calisiensis, Palatinatûs Nobilitatis comitatu, Præsidente Illustrissimo, Celsissimo Principe Sieleniensi, Christophero Szembek; Virgam verò Justitiæ gubernante, Illustrissimo Josepho Mielzynski Castellano Posnaniense, mensis hic celebrabatur. Postridie autem in Templo Parochiali D. Magdalenæ, ad missam votivam dixit Concionem Panegyricam in gratiam eorundem Judicum, encomiis illos ornando, P. Fructuosus Rantelli Concionator ejusdem Ecclesiæ. Tum proximè sequenti Dominica, instituta est eorundem Salutatio in eadem Ecclesiâ à Scholis nostris prodeunte P. Rhetorices. Ad quam Salutationem plenis grati animi verbis reposuit ipse Celsissimus Princeps Præsidens Tribunalis. Tandem paulò post facta est solennis processio, quâ deportabatur cum insigni pompa ab iisdem Judicibus Deputatis Imago Beatissimæ ex Ecclesia Parochiali ad Sacellum Curiæ Judicianæ.

Majus

Mors R.P. Ladislai Wielżynski Præpositi Provincialis.

Ob ereptum fatis R.P. Ladislaum Wielżynski Præpositum Provincialem, funestus erat hic mensis toti Provinciæ. Hic in Litvania antiquissimâ æquè ac nobilissimâ familiâ editus, quæ Divum etiam Epimachum Martyrem inter suas imagines numerat. Adolescentiam ingressus, Societati nostræ nomen dedit, in qua mox singulari tum doctrinæ laude, tum pietate enituit. Romam pro perdiscenda

Theologia profectus est. Unde redux omni doctrina libera=
liter instructus, brevi Philosophiae tradendae admotus est quam
per plures annos cum magna omnium approbatione docuit,
deinde tertiae lectioni tradendae aliquot annos impendit, ab hac tan=
dem translatus ad docendam Theologiam, eam, octo ipsis an-
nis summa cum laude tradidit. At quoniam non minus ab
judicii gravitate et prudentia, Legumque nostrarum peritia, quam
ab ingenii acumine commendatissimus erat, absoluto Theologiae
curriculo, datus est Praeposito Provinciae in Socium, in quo
munere, ita dexteritatem suam et industriam probavit, ut di-
gnus haberetur, cui primum et maximum in Provincia
Collegium gubernandum committeretur, nostrum nempe Posna-
niense. Quod postquam biennio amplius laudabilissime ad-
ministrasset, Calissiensi dein Collegio Rector datus est. Unde
ad munus etiam Praepositi Provinciae evectus, magnam ex-
pectationem de se omnium matura morte fefellit. Anno 1765
die 4 ejusdem mensis apud S. Barbaram Cracoviae.

Exhibitiones Theatrales

Infra octavam S. Stanislai Episcopi, in gratiam Regis,
data est in Scenam a Convictoribus Tragoedia Joas. ad quam
tam numerosus spectator, iique Illustrissimi ac Nobilissimi confluxe-
rat, ut hunc vix aula ceperit. Pari frequentia exhibitae sunt
deinde Comoediae a Poëtis et Rhetoribus, eo spectantium plau-
su, ut deferendo eorum postulatis, explendaeque aviditatem, utramque
in theatro denuo exhiberi oporteret.

Mors MD. Zaplia Arcisewska.

Eodem mense cele-
bratum est funus nostro in Templo MD. de Mikołajewskie Zaplia
Arcisewska. cujus corpus solitis caerimoniis in Sepulchrum
ejusdem Templi illatum est.

Junius

In Octava Corporis Christi, singulari solennitate hoc anno so-
lita devotio terminata est. Processioni enim praeter Congre-
gationes Studiosorum et nostros, etiam Judices Deputati ordi-
ne nostros sequentes assistebant. Sacram Thecam San-
ctissimae Eucharistiae ipse Celsissimus Princeps, Cuncti Tri-
bunalis Praesidens tulit. Manus ejus sustentantibus Illu-
strissimis Castellano Posnaniensi, Mareschalco et Praefecto
Lunicensi Deputato. Instituebantur etiam pro mo-
re, mense isto a nostris, variae et numerosae publicae di-
sputationes. Nam ex Philosophia Philosophi, ex Theolo-
gia, quam Speculativam vocamus, Theologi; et ex
ea, quae de Christiani hominis officio quaestiones comple-
ctitur, ac quae sacrorum Codicum est interpres iidem
propositas ad disceptandum theses cum insigni laude
propugnarunt. Deinde ex Mathesi demonstrationes ma-
thematicae habitae sunt. inter quas, ultimum locum
tenuit a Convictoribus facta, circa ea, quae adjumen-
to essent in aperiendis Argentifodinis Olcusiensibus
in magna Procerum ac Judicum Deputatorum, nec non
aliorum nobilium frequentia. Sacris Ordinibus
quatuor e nostris Theologis initiati sunt hoc anno.
tres anni tertii, unus autem secundi. Ad conferen-
dos hos ordines, gratiosissimam suam operam contulit
Illustrissimus Josephus Kierski Suffraganeus Posnaniensis
ac una Secretarius Regius.

Julius

Conventio Collegii cum Synagoga Judaeorum.

Propter gravem Judaeorum Posnaniensium conflagratio-
nem, quam in Augusto descripsimus, facta est conven-
tio scripto firmata, inter Collegium et Synagogam eorun-
dem Judaeorum, quatenus: ad spatium duorum Annorum a
summis elocatis, pendantur tres floreni a cento.

Fructus spiritualis ab exercitiis SS. Ignatii

Hoc men-
se singulare pietatis specimen vidimus in P. MD. Stanislao
Karzniecki filio Succamerarii Vielunensis, qui ad statum
Ecclesiasticum adjiciendo animum, per Sacram D. Ignatii
ascesim egregio fructu vocationis suae spiritum probavit.
Eundem fructum Viduanarum Collectionum tulere quam
plurimi e Scholis nostris juvenes, variis Religionibus,
duo etiam ex his, Societati nostrae adscripti. Praeter haec,
memoratu dignum nihil accidit, praeterquam, quod S. Patris
nostri festo die ad populum dixere PP. Franciscani, Missarum
solennia agente Illustrissimo Walknowski Canonico
Posnaniensi, Abbate Commendatario Tremesnensi, ad
Tribunal Majoris Poloniae Judice Deputato.

Augustus

Renovatio Studiorum

Elapsis literariis feriis, pro consuetudine exordium
Studiorum, ab oratione, a P. Rhetorices in Nobilium
auditorum frequentia habita, sumptum est. Cujus argumen-
tum erat: Literis apprime excoli non posse, nisi assidue
luculenti Authores pervolventur, quos quia complures
negligunt, pauci eruditi evadunt. Eodem mense, imo
frequentius etiam ad hortum domesticum, in quo pro com-

modo Nostrorum, aedicula communi recreationi inserviens, et honestis lusibus accommodata, hoc anno ad exitum perducta est, frequens Illustrium, utriusque sexus hospitum, praesertim Judicum Deputatorum, depensus fallendi tempori gratia fiebat.

September et October

Disceptationes Theologicae.

Mense octobri quinque e Nostris Theologiae Scita singuli ex singulis tractatibus publice propugnarunt, quos nos parvos actus dicimus. Cum haec Domi literarum specimina dantur, P. Josephus Rogalinski Matheseos Professor, Varsaviam ad Serenissimum Regem, eisdem lucem allaturus profectus est. Contexuerat is librum proprietates corporum experientiis sensu perceptibilibus explorantem, hunc cum sub nomine Regio apparere voluerit, eum ut eidem dedicaret curavit. Factusque voti compos opera Illustrissimi Palatini Inowladislaviensis Calisiensis Rei consilii, cum in corona omnium fere tunc ad latus Regis degentium Procerum, opus suum obtulerit. Munus hoc gratissimo animo Rex susceperat, benevolentissime ad singula respondit, ad osculum manus Patrem admisit et multa alia benevolentiae signa declaravit. Oratiunculam ipsam, licet brevissimam, duo enim minuta vix exceperat, qua ei munus hoc dedicabat, tanta approbatione excepit, ut eam publice inter prandendum laudaverit, permoveritque complures primarios viros, ipsum adeo Succamerarium Regni suum Fratrem, ut ea sibi transscriberetur, expetierint.

Dedicatio libri Regi facta a Patre Rogalinski.

November

Die anniversaria Regiae Coronationis applausus Scholae.

Serenissimi Regis benevolentiam erga literas siquam superiore mense declaravimus, Scholae Nostrae more, pridie diei Divae Catharinae Sacro, quae est anniversaria Regiae Coronationis, oratione, odis, elegiis, eclogis, epigrammatibus, tum Latinis, tum vernaculis, de laudibus Illius in sede Tribunalis Regni, totiusque fere Majoris Poloniae, quae hac diem Coronationis solemniter actum confluxerat, habitis, voluntatem et animum erga Majestatem suum declararunt. Ad ipsum postridie pari frequentia stiterunt Convictores Nostri Juvenes nobilissimi, non solum Latine et Polonice, sed etiam Gallice et Germanice, dato prius pulchro specimine ex Architectura militari, cujus omnia instrumenta, suppellex, apparatus, arma, nihilo, praeter quam ipsa mole a veris diversa erant. Auditorum oculis exposita,

Quaestiones ipse Tribunalis Regni Mareschalcus, quae magno omnium applausu a Juvenibus expediebantur. Justitiae serviendo Tribunal, quatuor capitis condemnavit, quos omnes Nostri ad pie et religiose mortem oppetendam comparabant, ac in locum supplicii comitabantur. Horum unus, ope certe Deiparae adjutus in qua spem magnam vitae suae reponebat, pridie diei necis suae destinatae, fugam ex carcere per neglectas custodias conscivit. Reliqui meritas poenas luere. Unus Franciscus Fiałkowski Civis Posnaniensis: Alter Franciscus Koziobrocki venator Terrae Dobrinensis nobili honestissimo loco natus, tertius Stanislaus subditus ejus. Omnes tres Sacris mysteriis rite procurati ac expiati magno omnium exemplo e vita discesserant. Eodem mense habita est Missio Konarzevii cum ingenti animarum lucro.

Demonstratio e architectura militari, facta a Convictoribus Nostris, et applausus in gratiam Regiae Coronationis.

Nostri incarceratos disponunt.

Missio de Poenitentia.

December

In decursu Tribunalis Regni, in gratiam Judicum Deputatorum exhibita est Tragoedia Chaganus Rex populi Avarici, a Rhetoribus, in praesentia eorundem Deputatorum ac aliorum complurium nobilissimorum hospitum. Hanc clausit oratio, rem totam ad laudem eorundem referens. In vigilia Natalis Domini hospitem gratissimum R.P. Praepositum Provincialem excepimus. Chyrurcius instituta Missio de Poenitentia cum magno spirituali fructu.

Exhibitio Theatralis in gratiam Tribunalis Regni.

Missio de Poenitentia.

Annus 1766.

Admodum R.P. Laurentius Ricci Praepositus Generalis
R.P. Andreas Rudzki Praepositus Provincialis
R.P. Franciscus Kozminski Rector.

Januarius et Februarius

Primum hoc Anno est, quod memorandum venit, Visitatio Collegii a R.P. Andrea Rudzki Praeposito Provinciae, duravit haec a 29 Jan. ad 13 Februarii, intra quod tempus divertit etiam Uschoviam et Mederecum. Solita in Societate Nostra Votorum instauratio peracta est hoc anno, prima Dominica proxima post Epiphaniam. Tres illi dies, quos Bacchanalia dicimus, eadem Sacrorum celebritate, populi frequentia transacti sunt, qua superioribus annis solebant, finem solennitati imposuit R.P. Provinciae Praepositus. Ineunte solenni quadragesima dierum jejunio, dedit in scenam Moÿseos Tragoediam, magna approbatione ab omnibus exceptam.

Visitatio Collegii.

Renovatio Votorum a Nostris.

Martius, Aprilis, et Majus atq Junius

Missiones Paschales.

In initio Martii Solito more specimen sui profectus in Philosophia dederunt Nostri metaphysici. Profestis Paschalibus magno numero Nostri excurrerant ad missiones, in diversas Parochias se recipientes in quibus cum ingenti animarum fructu versati sunt.

Exhibitiones Theatrales.

Redeunte anniversaria Divi Stanislai Episcopi die, quo Serenissimi Regis natalis est, in Ejus gratiam datum est in scenam drama à Suprema Classi Grammaticæ Studiosis in facie Nobilissimorum hospitum, ab ipsisq magnopere probatum. Pari laude non multò post exhibitum est etiam drama à media Grammaticæ classe. Læta hæc et prospera tristis et infaustus turbavit nuntius de morte R.P. Andreæ

Mors R.P. Provincialis.

Rudzki Provinciæ Præpositi; perculit hic omnium animos. Nemo inventus fuit, qui jacturam tanti Viri graviter non ferret. Factus hic ferè visus est, à natura ad regimen, omnium sibi animos mira dexteritate conciliavit, cum tamen disciplinæ Religiosæ, ac Legum domesticarum esset custos vigilantissimus et vindex severissimus. Necdum exacto anno sui regiminis subito Torunii morbo correptus, de proxima à Medicis admonitus morte, nuntium hunc inperterritô accepit animô, moxq moribundorum Sacramentis muniri exposcit. Cumq illi Divinum epulum afferretur, collectis viribus lectô exilit, et flexis humi genibus, illi accubuit, tum plenis fervore verbis circumstantes Socios allocutus est, ad Legum suarum Votorumq exactissimam observantiam eos vehementer cohortans. Nec prius dicere desiit, quam illum ferè vox defecisset, obiit magna virtutis suæ fama relicta.

Funus hoc Torunense secutum est funus in Templo hujus loci nostro, quo justa solvebamus Serenissimo Sta-

Exequiæ Serenissimi Stanislai Leszczynski

nislao Leszczynski Regi Poloniæ, Magno Duci Lithvaniæ, Lotharingiæ et Bari. Funus hoc magna pompa est celebratum. In dextera parte templi positus fuit magnificus Thronus cum Regiis insignibus, ac effigie hujus Principis, in sinistra autem Cathedra pari fermè ac Thronus magnificentia. Ea pars Templi, quæ cancellis terminatur, frequentissimis funalibus ac lampadibus pulcherrimo ordine dispositis referta gratissimum spectaculum præsentabat. Concursus hominum fuit maximus, Religiosi omnium Ordinum confluxerant, Clerus magno numero convenerat, Viri ac Matronæ primæ Nobilitatis permultæ aderant, verbo omnes viciniæ concurrerant. Ad populum verba fecit

P. Joannes Bielski, typisq impressam suam Panegyrim sub nomine Illustrissimæ Zofiæ de Czarnkowskie Radzewska Succamariæ Posnaniensis, Serenissimo Stanislao proximè sanguine junctæ, in lucem datam, Eidem Illustrissimæ quæ inter cæteros hospites ejus orationi interfuerat, publice in Templo dedicavit et obtulit. Quo majori celebritate dies illa transigeretur, à prandio in Museo recens perfecto Convictores Nostri disseruerant de variis effectibus ac phænomenis ex electrica electricitatis in corona omnium eorum hospitum, qui exequiis interfuerant. Quæsita ipsi hospites proponebant, quæ à disserentibus magno omnium plausu solvebantur.

Convictores.

Die proximè Natalem "præcedenter" Divi Joannis Baptistæ res hic non prætermittenda evenit: In Templo Divi Martini hic Posnaniæ extra Mœnia sito. Cum nescio quis hac die oraret ante Effigiem Christi Crucifixi, visus est sibi videre, sanguine effigiem illam sudare, atq mox se è Templo proripit, loci illius Præpositum adit, visa narrat. Vulgatur subitò tota urbe miraculum, fit undiq ingens populi concursus, ubiq fama volat, tandem res tota ad Officium loci ordinarii defertur. Hoc quatuor Nostros Theologos cum aliorum Religionum Lectoribus ad explorandam rei veritatem deputat. Cumq ~~...~~ res tota diligenter fuerit inspecta, deprehensum est spectatores fuisse illusos vivis pictoris coloribus.

Confictum miraculum.

Quatuor hoc anno è Nostris, Sacris Ordinibus initiati sunt Gnesnæ ex quibus P. Kociołkowski primam Hostiam litavit Konarzevii die Divæ Annæ sacro, quâ ipsius Illustrissimæ Palatinæ Natalis est, cujus rei gratiâ contigit illi in Nobilissimorum hospitum concursu, qui Natalem Illustrissimæ Palatinæ gratulatum venerant, primò Sacris operari.

Nostri Sacros Ordines Accipiunt.

Fabrica Scholarum ab aliquot annis inchoata tandem hoc annô est perfecta, cum commodissima ad exhibenda dramata, Aula, et Congregatione minima Studiosorum nova, ab omnibus Scholis separata, hactenus enim cum Syntaxi fuit confusa.

Fabrica Scholarum finita.

Litem intentatam Collegio ratione ~~...~~ decimæ ex Bonis Piotrowo et Sortibus in Daszewice et Głuszyna ad Ecclesiam Parochialem Głuszynensem pendendæ, ab aliquot annis intermissam, ut R.P. Rector sopiret, et finem ei imponeret, cum Perillustri Rndissimo Skrzebowski Canonico Posnaniensi, et Głuszynensi Præposito composuit negotium, et hujusce compositionis à Celsissimo Loci Ordinario approbationem procuravit. Quæ compositio in Actis Consistorii Posnaniensis est relicta, per extractum verò habetur in Archivo Collegii.

Causa ratione decimarum sopita, per complanationem factam cum Rndissimo Auditore Curiæ Episcopalis.

Mści Dni Kossuccy citarunt Collegium ad Judicia Terrestria Posnaniæ. Relatio citationis recognita est coram Actis Terrestribus Posnaniensib; sed inscriptio non procurata, neq in Judiciis eadem causa attentata. Conantur illi vindicare Bona!

Citatur Collegium à DD. Kossuciis.

Dombrowo et Kotowo, quorum Bonorum ante 1600. Annum, Eorum Abavi fuerunt quidem hæredes, sed illa Mgco Domino Manecki resignarunt. Hoc in negotio habentur documenta, et informatio plenior in Archivo Collegii penes P. Procuratorem Causarum.

Summa pecuniaria Residentiæ Vschovensis locata.

Summa 34000 flor: Poloni: Residentiæ Vschovensis, anno præterito in Bonis Chrzawy et Rotdry cum Attinentiis, apud P. MD. Zakrzewski Superintendentem Thesauri Regni, horumque Bonorum hæredem Jure obligatorio locata est. Quin eidemque MD: hæredi, bona hæcce per contractum Arendatarium dimissa sunt in Summa flor: Poll. 2040. hanc Summam proventualem 2040. flor: Poll: recepit Residentia anno præsente.

Summa Residentiæ Medereccensis locata.

Eidem MD. Zakrzewski anno præsenti in Bona Piotrowo, Rogaczewo itidem hæreditaria data est Summa 20000 flor: Poll. Residentiæ Medereccensis similiter Jure obligatorio, quæ Bona pariter per contractum Arendatarium in Summa 1400 flor: Poll: huicce MD hæredi in possessionem dimissa sunt. Contractus originales eorum Roborationes, Bonorum obligationes, tam ad Residentiam Vschovensem, quam ad Medereccensem pertinentes habentur in Archivo Collegii.

Missiones de Pœnitentia.

Sed ab his ad ea veniamus, quæ maximo animarum emolumento fuere, ad Apostolicos nimirum labores, quos PP. Nostri Missionarii in Vinea Christi continuis quatuor mensibus strenuam Saluti proximorum navantes operam susceperant, et ex his lætos atque uberes fructus collegerunt. In diversis enim locis cum ingenti animarum lucro, et pari Ordinis nostri commendatione quatuor Missiones de Pœnitentia peregerunt. Quarum prima instituta erat Wałdovii apud Perill. Gostomski Succamerarium Mariæburgiensem Fundatorem ejusdem Missionis, altera in Villa Cieradz apud Illustrissimi Palatinus Calisiensi 3tia in Bonis Episcopalibus in Oppido Krobia, 4ta. demum Czempini, quibus omnibus frequentissimus populus cum magno animarum suarum fructu aderat.

Exercitia S. P. Ignatii tradita Juventuti Scholasticæ.

Huc spectant exercitia S. P. N. Ignatii, quæ Studiosis Scholarum in tribus Congregationibus per dies quatuor, ad instar missionis de pœnitentia, juxta memoriale R. P. Provincialis tradebantur. Quantum vero fructum ex his Scholastica Juventus decerpserit, et Deo gloriæ pepererit, pronum colligere: cum multi eorum, qui animum excolebant, sub tempus exercitiorum spiritualium et præsertim ad finem eorum, vix sibi à lachrymis temperare poterant, et ad varios Religiosorum Ordines numero 25. se receperunt.

Julius

Mensis hic nihil singulare habet, præterquam quod Solennitas S. P. N. Ignatii coronam Anno huic Scholastico imposuerit, quam Sacro cantato, Nostris ad frequentiam populi verba facientibus, fecit P. R. D. Drzewiecki Præpositus Conecensis. Canonicus Collegiatæ B. V. M. in Summo.

Augustus

Professio P. de Strachwitz.

15ta mensis hujus die, Virgini Beatissimæ in Cœlum Assumptæ Sacra, solennem quatuor Votorum professionem fecit P. Antonius de Strachwitz ad quam cohonestandam, Nobilissimi hospites utriusque status, tam Spiritualis, quam Secularis magno numero convenerant. Inter quos aderat etiam solennitati huic Illustrissima Zofia de Czarnkowskie Radzewska Succameraria Posnaniensis, singularissima Provinciæ Nostræ Benefactrix, et universæ Societati addictissima, quæ in gratiam Neoprofessi Patris, utpote sui ad Aulam Theologi, totum Collegium diebus tribus splendidè, ac munificentissimè tractavit.

9ber

Hic mensis infaustus factus est Collegio ex pluribus litibus illi intentatis: Msci Mirdewski et Potocki Successores Koninsciorum, antè annos amplius 120. Villæ Siekirki minus, et medietatis villæ Siekirki majus hæredum, citarunt Collegium ad Judicia Castrensia Posnaniæ de hæreditate præfatarum Villarum. In quibus decretum est, ut hæc causa, utpote ex tanta antiquitate eruta, ad futura Judicia Castrensia Posnaniæ decidenda remitteretur; ut Collegium interea necessaria monimenta conquirendi justum temporis spatium haberet. Mscus autem Hector Kosłucki citavit de hæreditate Bonorum Dąbrowa, et Kotowo ad Judicia Terrestria Posnaniæ: In quibus decisum est, ut se Germanum Eorum Kosłuciorum Successorem probaret, ex quorum manibus illa Bona prodierunt. Terrorem Nobis quendam, hæc lis ab initio incussit. Cum enim plures fratres essent illi Kosłucii, qui dicta Bona vendiderant, unius eorum desiderabatur resignatio. Verum brevi omni metu liberati sumus, cum diligentia P. Martini Kotarski Procuratoris Causarum, hoc perquam necessarium documentum repertum est Varsaviæ coram Actis Metrices Regni, feria 6ta post Festum Trium Regum proxima, de Anno 1591.

8ber

Lætiora hoc mense narranda venient: Musæum Mathematicorum à pluribus annis fabricari cœptum, deniq; hoc anno perfectum est, mensesq; eodem cum quodam Solenni ritu publice apertum. Cœpit scholam publicam, quæ deinde bis in hebdomada fieri solet, P. Rogalinski ab elegantissima in laudem Matheseos, Physicæq; experimentalis oratione, Patrio idiomate in conferta Illustrium hospitum corona habita, quæ ita permovit auditorum animos, ut eos, licet adultos, et amplissimos in Republica viros, sequenti schola in medio puerorum principia Physicæ audire, non puduerit. Quod etiam ulteriore tempore à multis aliis nobilissimis viris factitatum est.

9ber

Dies Divo Kostka Sacer solenni apparatu actus est. Augustiori ritu Sacris operatus est Perillustris Strzebowski Auditor Celsissimi Episcopi, verba sacra fecerunt ad populum Patres Ordinis S. Francisci de Observantia. Insuper orationem Latinam de Ejusdem Divi laudibus in celebri Nobilissimorum Auditorum frequentia summa omnium approbatione dixit Perillustris Stanislaus Kostka Potocki Castellani Camenensis filius.

10ber

Patres Ordinis S. Francisci de Observantia ut paria nobis referrent invitarunt vicissim nostros quinque ad concionandum Festo Sanctissimæ Virginis Illibati Conceptus, quod ipsi continuis octo diebus solenniter celebrant. Pridie Festi unus, tres ipso Festo, unus rursus in exitu ~~octo~~ hujus octo dierum Solennitatis ad populum dixerunt.

Annus 1767.

Admodum R. P. Laurentius Ricci Præpositus Generalis
R. P. Adamus Chrzanowski Præpositus Provincialis
R. P. Michael Orłowski Rector.

Initium hujus anni simul et mensis celeberrime egimus. Apparatiori ceremonia rem Divinam fecit nostro in Templo Perillustris Rostowski Canonicus Cathedralis Posnaniæ. Patres Ordinis S. Francisci conventuales dicti e Suggestu verba fecerunt. In hunc mensem cum incederent Judicia Terrestria Posnaniensia, Mści Mierzewscii et Potocki (: de quibus in libri innuimus :) moræ impatientes citarunt Collegium ad illa, ut jam sine ulla dilatione Jus suum, quo Dona Siekirski possidet, proferat. Sed toto Judiciorum tractu ad causam ventum non est.

Februarius

Die Purificationi Sanctissimæ Virginis sacra Charissimus Michal Jestoch Vota Coadjutorum temporalium publicè in templo nuncupavit. Cum etiam sub nomine hujus diei Mysterii, minima Studiosorum Congregatio sit coacta, eadem hæc Congregatio solenniter egit. Dixit orationem Latinam de excellentia hujus mysterii Perillustris Ignatius Działyński filius Palatini Calissiensis in facie Illustrissimæ matris suæ Palatini Culmensis, Castellani Posnaniensis et aliorum complurium magnatum, maximo omnium applausu. Exeunte hoc mense dederunt in scenam, Magister Grammatices dramma Latinum, et Pater Rhetorices Comediam Polonicam per duos dies exhibitam utroque die tanto numero Proceres ipsi adfuerunt, ut eos difficile aula caperet.

Martius

Hoc mense dum R. P. Provincialis visitaret istud Collegium, venit R. P. Andreas Regell Superior Residentiæ Valcensis cum munimentis ad vindicandam à Collegio Posnaniensi summam, ceu Residentiæ Valcensi debitam ab antiquo et jam aliquoties ab antecedaneis Superioribus in jus vocatam, prout annotatum est à plerisque Rectoribus in libro resignationum ac in novissima resignatione R. Patris Kolminski consignatum. Ad componendam istam causam deputatus est a R. P. Provinciali Judex P. Josephus Stanicki Præfectus Studiorum: qui cum utriusque partis litigantis munimenta diligenter inspexisset et serio ponderasset, censuit injustam esse pretensionem Residentiæ Valcensis; demum R. P. Provincialis conclusit, liberum esse Collegium Posnaniense ab omni obligatione tribuendi quidquam Residentiæ Valcensi. Idem mensis e vivis nobis eripuit Charissimum Jacobum Buchowski Coadjutorem temporalem spectatæ Virtutis Virum: hic arcularia artis peritus, ab ingressu in Societatem instrumeta de manibus non dimisit, Laborandi studium conjunxit pietati in Deum, obedientiæ, humilitati, patientiæ multisq; aliis religiosis virtutibus. In extremo morbo maximè virtus ejus enituit, in quo Divinæ voluntati se totum permittebat, patientissimè maximos etiam ferendo dolores, Sacramentis munitus, extremum vitæ 21. ejusdem mensis clausit. Eodem mense Mści Mierzewski et Potocki rursus, recedendo à Judiciis Terrestribus, ad Castrensia nos provocarunt: in his cum demonstravimus, præter eos ipsos plures esse successores Koninsciorum, Bonorum Siekirki quondam heredum, statutum est, ut pro futuris judiciis reliqui etiam successores citarentur.

Aprilis

Pro Festis Paschatis plures nostri ad expeditiones sacras profecti sunt, inde cum notabili animarum fructu domum se receperunt. Dominica in Albis solenni pompa urbem hanc ingressus est Illustris=

Illustrissimus Antonius Malachowski Praefectus Ostrodensis, Tribunalis Regni Mareschallus una cum Suis Collegis, qui post tridie initium Judiciorum fecit. In controversiam adductum est, ubi Judices deputati Concionibus interessent, in Templone Parochiali in quo Nostri concionantur, an Patrum Ordinis S. Francisci Conventualium: praeteriti enim Judices magna parte dictorum Patrum templum frequentabant, quod ut etiam praesentes Judices facerent, dicti Patres omnem lapidem moverunt. Res ad suffragia delapsa est, et plura pro Nostris concionatoribus suffragia facta sunt. In hunc mensem incidit funesta mors Perillustris Mathiae Kolaczkowski Judicis Terrestris Posnaniensis, qui furore actus violentas manus sibi ipsi intulit. At cum ejus amentia satis explorata non esset, in controversiam vocatum est, utrum in loco Sacro sepeliri posset. Quaesitum est etiam a Nostris proposito casu ad resolvendum. Responsum est: Cum satis de ejus a mente defectu ex iis, quae ad probandam ejus insaniam afferebantur, non constaret, nisi firmiora argumenta haberentur, Sacra Sepultura privaretur. Hac resolutione a Nostris accepta, testes, qui aderant huic casui juramento confirmarunt, in veram illum tunc dum illud patraret phrenesim et amentiam incidisse, tum dein Consistorium permisit illi Sacram Sepulturam.

Majus

Dominica secunda a Paschate Salutatum est Tribunal Regni in Templo Parochiali a P. Rhetorices et Studiosa Juventute Scholarum Nostrarum; gratissimo haec salutatio excepta est animo. Patres Nostri Theologi invitati sunt Lendum a Patribus Ordinis Cisterciensium ad oppugnandas Theologicas Theses.

Junius et Julius

In Junio nihil occurrit dignum notatu. Mense vero Julio istud est. quod nempe: Illustrissimus Reverendissimus Ludovicus Riaucour Episcopus Ptolomaidae Praesidens Tribunalis in Ecclesia Nostra die quinta contulit Nostris Scholasticis Ordinem Subdiaconatus, et aliis extraneis varios Ordines. Die vero 19. contulit Nostris Diaconatum et aliis extraneis varios Ordines. Die demum 22. contulit Nostris Presbyteratum et aliis extraneis varios Ordines. Tum etiam eodem die in eadem Ecclesia a prandio contulit promiscuo populo Sacramentum Confirmationis.

Causa bonorum Lekierki.

Causa Bonorum Lekierki, abunde anno superiore Historiae inserta agitabatur hoc mense in Judiciis Tribunalis Regni; ex iis remissi sumus ad Judicia Terrestria Uschovię, in quibus ob certas rationes nos condemnari permisimus.

P. Vincenti Ossowski plausus.

Die Divo Jacobo Apostolo Sacra dixit pro concione P. Vincentius Ossowski in Parochia, cui aderant Judices Tribunalis, quibus adeo hic Sermo placuit, ut insigni plausu et acclamationibus P. Vincentius, a sua eloquentiae vi orisque facundia, cohonestatus fuerit, et eandem ab eo tum omnes Illmi Judices, singulariter vero Illrq Mareschallq Tribunalis Regni Antonius Malachowski Typo imprimi postularet. Cujus desiderio P. Vincentius satisfecit, impressumque sermonem tunc eidem dedicavit.

Augustus.

Damnum per moschos Bonis illatum nostris.

Mense hoc, in Bonis Lekierki et Protrowo moschi subsisterant, facile quivis existimare potest, quantus texeretur damnorum index, si omnia tum segetum, tum ferum detrimenta vocaremus ad calculum; hoc tamen singularius tulimus in pratis horum bonorum, quae fere omnia depasta sunt.

Renovatio Studiorum.

Pridie Calendas 7bris P. Rhetorices pro suo munere ad congregatos hospites verba fecit. Publicum hospitium fuere Illmus Mareschallq Tribunalis Regni cum reliquis Judicibq Tribunalis, qui ab eodem Patre separato Sermone salutati, ac pro eorum benevolentia actae gratiae.

Se[p]tember.

Mors Mathiae Kliński Schol.

Die [illegible] mensis [illegible] Mathias Kliński Scholasticus missus ad studia Theologica supremum diem habuit, cum vixisset annos aetatis 23. Religionis 8. Patria Prutenus, magnae spei juvenis, quam vitae morumque integritas, studiorum amor, et in iis pertractandis alacritas omnibus faciebat porrexerat.

Causa Provinciae

Ipsis Calendis agitata est causa Nostrae Provinciae de 20m. Tynfonum cum Perillustri Moszczenski Ensifero Uschovię in Tribunali Judiciis estque nostram in partem feliciter sortita est; Decretum est ut Illustris Moszczenski solvat 24m. flq Polonq, vel 20m. Tynfonum, Tynfonem computando 36. grossis.

Monitum Concionatoribus datum

A moschis tunc recentibus Posnaniae, idque partim ab ipsis partim per Rdmum Auditorem Celsissimi Eppi admoniti, et prohibiti sunt Nostri Concionatores, ne contra dissidentes, multa tunc suam in partem allegare et evincere conantes quidquam in concionibus declamarent, neve quidquam ejusmodi etiam ambiguum dicerent, quod ipsos laedere ac irritare posset.

October, November.

Festum S. Stanislai.

Mensis October nihil dignum memoratu attulit.

Dies D. Stanislao Sacer, solito concursu plebis, civiumque ac magnatum, celebratus est. Rem Divinam solenni ritu fecit Illmus Wolicki Suffraganeus Pomeraniae ad Judicia [illegible] Deputatus. Sacras Panegyres pro rostris dixerunt Patres Carmelitae Discalceati. Judices Tribunalitii non solum matutinae et pomeridianae adfuere devotioni, verum etiam Sermoni Latine in templo habito, et alteri Latino idiomate de laudibus Divi Stanislai in crastinum in scholis dicto. Singulare hoc illorum in nos benevolentiae tulimus documentum.

December.

Mors P. Mathiae Kiewski.

In diem 15. mensis hujus incidit mors P. Mathiae Kiewski Coadjutoris formati Spiritualis ~~[illegible]~~ ~~approbati~~ munus Missionarii praeclare obeuntis. insignes in hoc Patre eluxere virtutes; praesertim amor solitudinis, modestiae, silentii, et exacta omnium regularum observantia; quibus virtutibus domesticis exquisito optimi Religiosi exemplo exteris magna sui cum existimatione, famaque Societatis non mediocri, praeibat. Ad festa natalis Xti plurimi e Nostris ad breviores missiones expediti.

Annus 1768

Admodum R. P. Laurentius Ricci Praepositus Generalis.
R. P. Adamus Chrzanowski Praepositus Provincialis
R. P. Michaël Orłowski Rector Collegii.

Januarius.

Incendium in Schola Rhet.

Annus hic sui initio plurimum timoris nostris intulit ob maximum et imminens toti Collegio imo et Civitati incendii periculum. Incendium hoc coepit in Schola Rhetoricae, sive ex admoto per alicujus malevolentiam igne, sive per incuriam Calefactoris relicto. attamen sine ullo Scholis illato damno ignis extinctus est, quod specialiter Sanctae Rosaliae protectrici Collegii attributum est, cui etiam omnes nostri ex mente R. P. Rectoris debitas gratias et preces persolverunt.

mors virginis Raczyńska.

In 7mam ○ incidit mors P. M. virginis Raczyńska benefactricis Templi et nostris plurimum addictae. Virgo haec majorum suorum sanguine et a nobilissima Familia clara. at morum suorum integritate, vitae constantia, et sanctitate clarior, sepulchro nostrorum illata est R. I. P.

Fundatio Patrum Piarum.

Mense hoc singularis Celsissimi Rvndissimi Theodori Czartoryski Eppi Posnan. in nos benevolentiae accepimus documentum ex cujus commissione Perillustris Rndmus Stephanus Strzebowski auditor Curiae Episcopalis et Archidiaconus Pszcevensis significavit per litteras Rndo Patri Michaëli Orłowski Rectori nostro desideria Celsissimi Antonii Sułkowski Haeredis Oppidi Rydzyna, quae Princeps hic Romam porrexerat; Roma vero eadem desideria ad memoratum Celsissimum Episcopum pro voto informativo misit. Porro desideria praefati Principis Sułkowski fuerunt ista: quod sibiet intenderet, in oppido suo haereditario Rydzyna novam fundationem Patribus Scholarum Piarum erigere; in quem finem oravit a Sanctissimo Domino beneplacitum, ut Ecclesiam Parochialem Rydzynensem cum suis proventibus incorporari permitteret laudatis Patribus Scholarum Piarum; ad idque Princeps Orator porrexit Sanctissimo motiva: quod videlicet in his partibus non reperiantur Scholae Catholicae, ideoque cogantur Catholici filios suos in scholis Haereticorum instrui cum periculo perversionis; item: quod foederati Palatinatus Posnan. et Calisz plurimum hujusmodi fundatione contenti, ad illam dotandam offerant duo millia florenorum &c. Haec desideria cum legisset Celsissimus Eppus formavit suas reflexiones super illis prout sequuntur:

1mo. Od początku rządu Diecezyi mojey niepozwalam nowych Fundacyi, ale żądam, aby dawne podźwigniono.

2do. Oto same Zakony proszą, i przeczą nowym Fundacyom, iak uczynili Franciszkani w Gnieźnie za Prymasa Komorowskiego, który sam chciał Reformatów fundować.

3tio. Fundusz Plebanii Rydzyńskiey mały na takową Fundacyą, wszakże Orator sam exponit iż iest valoris 24. Ducatorum auri de Camera.

4to. Dwa Tysiące złotych od Woiewództw Wielkopolskich są in Concavo Lunae et nihil stabile.

5to. Fałszywe miłosierdzie oratoris nad naszym tu Kraiem iakoby tu szkół niebyło, wszakże są:

Scholae publicae
w Poznaniu.
w Kaliszu.
w Schowie
w Wałczu
w Międzyrzeczu

nobilium Konwikt.
w Poznaniu
w Kaliszu.

6to. niemasz takowych szkół Haereticorum a zatym nullum periculum perversionis, owszem Dissidentes Katolickie szkoły frequentant częstokroć cum lucro conversionis.

Rndus quoque Pater Rector requisitus ut suum sensum aperiret, adjecit suas reflexiones, prout sequuntur:

1mo. Zamyślona Fundacya sprzeciwia się świeżey Konstytucyi Seymu Convocationis Ani 1764. Fol. która niepozwala inaczey nowey Fundacyi, chyba tylko tam gdzie o milę niemasz Parochialnego Kościoła.

2do. Wiadomo wszystkim iakie zdawna, a tym bardziey w teraźnieyszych krytycznych czasach maią niechęci świeccy ludzie przeciwko Duchowieństwu co raz bardziey się szerzącemu. niechże więc Orator niepomnaża tych niechęci, i na żywą wszystkich niepodaie Duchowieństwa, zamyślaiące wprowadzić do Rydzyny dziesięć lub dwanaście lub więcey Zakonników, za trzech lub czterech świeckich Xięży.

3tio. nie pożądańszego żeby in Regno z właszcza libero, była między Szlachtą iak nayściśleysza wzaiemność i iednomyślność, do tego zaś z inszych środków i ten pomaga, iako z doświadczenia mamy, kiedy sobie Szlachta przypomina, iak sobie byli Confratres, Condodates Condiscipuli, do iednych że razem szkół chodzili. na cóż tedy odmienne szkoły zakładać, aby mówił kto: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Xti, divisus est Xtus. 1. ad Corinth. 1mo V. 12.

4to. Zakonnicy powinni bydź na pomoc Rndissimo Clero Seculari, mianowanych zaś Zakonników Fundacya zanosi się nie na pomoc, ale na zniszczenie Clerum Secularem rugiuje Proboszcza z kilku Xięży.

5to. Jest wiele kościołów Parochialnych i Zakonnych spustoszałych wcale albo dużo nadpustoszałych, i w dochodach dla Xięży podupadłych przez co lud szukać o podał musi Sakramentów ś. nauki Chrześciańskiey i mszy świętey, owszem dla tey odległości wiele z właszcza uboższych to wszystko opuszczać musi, a nawet i umieraiący schodzić niekiedy muszą z tego świata bez należytey wyprawy; ponieważ Xiędza po gotowiu niemasz. Dusze także których ciała na takowych Pustkowiach spoczywaią, choć też pia legata poczynili, ratunku, z codziennego wspominania in memento mortuorum nieodbieraią. niechże tedy Orator ieżli nie z podszczenia iakiego ale z prawdziwego zelusu zamyśla Fundacyą, obróci ią raczey na zapomożenie Kościołów spustoszałych, a w Rydzynie niech zostawi Kościół i Xięży w swoiey dawney i dobrey porze.

6to. niemało widziemy z Żydów i innych Dissidentów nawróconych do wiary Katolickiey którzy niemaiące sposobu życia, przez ostatnią biedę, albo się z wracaią do Żydów i Dissidentów albo nadzy prawie i głodni z wielką ochydą i naprzykrzaniem życie w nieukontentowaniu prowadzą. niechże na tych Orator swoie skarby obróci.

Quem effectum sortientur reflexiones istae, tempus edocebit.

Februarius.

Immutatio consuetudinum Templi nostri et Parochialis

Consvetudines Templi nostri, quo ad Conciones et reliquas devotiones aliter coordinatae cum annutu R. P. Provincialis Adami Chrzanowski actu visitantis Collegium. Pariter Conciones per nostros diei solitae in Collegiata Sanctae Magdalenae moderatae cum Annutu ejusdem R. P. Provincialis, nec non cum annutu Perillustris Praepositi atque Canonicorum ejusdem Collegiatae. Mense hoc Studiosi Academicorum ad exhibitionem theatralem a nostris

invitati, nonnullas cum nostris studiosis moverunt rixas utpote huic ætati communes. Nostrorum unus audacior Academicorum studioso colaphum impegit. Gravius id tulerunt Patres Academici et conquesti sunt, et debitam de nostro studioso expetierunt pœnam, quâ designatâ rixæ finitæ.

Cum Academicis rixa.

Martius.

Fur in Collegio.

Collegium nostrum et plures è nostris a longo tempore multum damni in rebus et pecuniis per furem passi. Is studio C. Emptoris in furto comprehensus, nobis minimè instigantibus. Imò R.P. Rector per P. Procuratorem Causarum directè admonuit Magistratum quod supplicium ejus non intenderet, condemnatus nihilominus ad pœnam capitis, per nostros est dispositus ad mortem.

Mors Illmi Eppi Posnaniensis.

Mense hoc incidit mors Celsissimi Rndssmi Theodori Czartoryski; quam communis omnium bonorum luctus et dolor excepit. Doluit et vel maximè nostra religio optimum Principem, qui per tot annos sui Pastoralis officii constanter nobis addictus fuerat, et novissimè suam benevolentiam testatus est, ut mense Januario retulimus.

Mathematici evocati Cracoviam.

Cracovia ad Collegium S. Petri evocati sunt nostri mathematici: P. Joannes Paprocki et M. Victor Wargawski ad cognoscendam exequendamque agrorum dimensionem in Bonis Włostianna huic collegio adjacentibus, utque hoc pacto nostros inter et Canicos S. Mariæ rixæ ceptæ finem acciperent. P. Joannes Paprocki eam in rem ex voluntate superiorum in alma Universitate Cracoviensi examen ex Geometria subiit, et in eadem Universitate piratus Geometra creatus. Ceterum Moschis tunc Cracoviam obsidentibus, in bonis Collegii Cracoviensis nulla agrorum dimensio et determinatio facta.

Aprilis.

More a pluribus annis usitato plurimi è nostris ad missiones obeundas tempore Paschæ destinati. Tertio die Paschæ R.P. Rector descendit Kinarzevum cum gratulatione Festorum et novæ dignitatis Illmo Ladislao Gurowski prius notario Regni, recenter verò facti Marescali Litvaniae. Unus è Scholasticis dixit Latino idiomate gratulatoriam Illmo Marescallo, Polonico verò idiomate Illmæ consorti: alter Scholasticus dixit dedicatoriam libri iisdem Illmis inscripti; titulus libri: Dzieie Święte i Świeckie. Gratissimè hæc nostra officia acceptarunt.

Gratulatio Illmo Marescallo instituta.

Ordinaô nostrorum.

Mortuô Celssmo Posnaniensi Eppo, nostri Theologi missi Gnesnam ad suscipiendos sacros ordines, ibique ab Illmo Kozierowski Eppô Adratensi in Subdiaconos et Diaconos sunt ordinati:

Dimissio C. Adalberti Kossowicz.

C. Adalbertus Kossowicz Coadjutor ob rationes superioribus perspectas ad sæculum dimissus.

Majus.

Prosecutiô Causæ circa bona Siekierki copiosius anno superiore historiæ inserta, in judiciis Wschovensibus non est sortita effectum, et ad longius tempus dilata.

Nostri Professores Theologiae invitati a RR. Patribus Cistersiensibus Lendum, ad oppugnandas theses, perhonorificè et humaniter inibi habiti.

Nostri ordinati Gnesnæ in Aprili ab eodem Illmo Eppo Adratensi Posnaniæ in Cathedra Presbyteratum acceperunt, qui beneficiis in nos Antistes consultò ferè ad eos ordinandos Posnam venit.

Junius.

Confœderaô nostrorum Studiosorum.

Durante Confœderatione Barensi et Cracoviensi, Studiosi nostri juvenibus potius propria levitate, quam sinistro animo ducti confœderationem inter se attentarunt: unus eorum gravior annis Marescalkus professus, in unum librum nomina eorum qui eidem sponte sua adhæserant, retulit, nostris nihil quidquam tale scientibus. Res hæc etsi clam acta, sigillum inter pueros non invenit, quæ ad alios delata, ipsis etiam Moschis tunc Posnaniam incolentibus communicatur. Ob quod graviter potissimum in nostros stomachati Moschi, R.P. Rectorem adeunt, nomina confœderatorum studiosorum sibi tradi postulant, vindictam minantur. R.P. Rector pro sua prudentia iisdem prout decebat respondit et jocos nugasque pueriles esse affirmavit. Ceterum, ne istud quidem satis quietos reddidit. Hæc cum agunt iidem studiosi nobis itidem inscijs per quendam Sacerdotem Secularem missam votivam in nostro Templo fieri sancte curarunt, pro felici successu Confœderatorum Barensium. Id postquam rescivit R.P. Rector, metuens verò plurimum mali indubitate, et studiosis et Collegio evenire, permisit ut studiosi anticiparent discessum ad vacationes; quod et factum est, et Moschi sedati.

Actus nostrorum Theologorum.

Actus nostrorum Theologorum publici usitato more peracti. Ultimo actui aderat Illmus Gurowski Marescallus Litvaniae, cum aliis viris Illustribus quibus, pro ipsorum humanitate et in nos benevolentia a P. Defendente gratiæ actæ. Illmo verò Marescallo simul ab eodem gratulatio instituta ut pote infra octavam Indigetis sui. Lendô P.P. Cistercij oppugnarunt, et à R.P. Rectore perhumaniter habiti excepti triduô die integro.

Præsul Posnaniensis Novus Creatus.

Post fata Celsissimi Czartoryski Creatus Antistes Posnaniensis Illmus Andreas Młodziejewski; scripsit eidem Panegyricum P. Joannes Bielski. Ceterum Illmus Rndmus Præsul sua in Cathedram non comparuit, sed solum installatio Ejus peracta per Illustrem Rndmum Strzebowski Auditorem Curiæ Episcopalis, consequenter Panegyricus non est redditus.

Julius.

Franciscus Bartholtz Scholasticus Theologus obtentâ à Superioribus facultate apud suos rusticandi sub tempus Vacationum, commodam sui discessûs captabat occasionem; venerat tunc è collegio Bidgostiensi C. Procurator, cui redeunti associari voluit, quod demum ab eo, vix aut ne vix quidem obtinere potuit /: quis enim hominem corpore quidem, at non mente sanum socium sui habere vellet ?:/ Res ille suas illico currui adaptare, seque itineri accingere cepit. quod ut ad aures R.P. Rectoris pervenit, rebus illius relictis, Cmum Procuratorem Collegii Bidgostiensis suum ad Collegium ut venerat, solum redire jubet. Fecit id Cmus Procurator ut debuit, et itineri se commisit. Cmus autem Franciscus ut rem intellexit, veste ordinariâ domesticâ indutus solus è collegio provolat, per plateas forumque Civitatis discurrit, Cmum Procuratorem, quâ et quam pridem pervexerit anxie et sollicite investigat. Mirari primùm omnes hominem, dein stupore mentis correptum rati rem ad Collegium detulerunt. Expediti sunt igitur duo Magistri Theologi ad eum reducendum sed frustra, is enim ut iter Cmi Procuratoris assecutus est, breviorem sibi viam ratus, é muro ad plateam Judæorum posito se præcipitem egit. sed cum iterum fluvius obstaculo sibi esset, hominem illic pascentem equos, precari, ut quantocyus partem in alteram traduceretur,

Excursio Cmi Bartholtz.

affirmans: quod si nollet, se in flumen Rupitem dare. Fecit satis ejus postulatis homo rudis. ut verò terram attigit, ad moniales in Lowin„ska degentes se quam primum contulit, veluti à Collegio expediretur in urgentissimo negotio simulans, ad aliquot milliaria vectorem po„stulavit. Addictæ nostris moniales importunis ejus precibus acqui„evêre. quo ille demum vectore Crnâ Procuratorem insecutus et asse„cutus est. Ut unus è Coadjutoribus à R.P. Rectore ad eum revocan„dum missus rem totam narravit. Finitis tamen vacationibus, à P. Bartholdz suo Germano fratre ad Collegium est reductus.

Augustus.

Expeditio Proselytorum et regressus.

Expeditus est Cracoviam et socius itineris datus Proselytis nostris P. Rhe„thorices, qui cum in bonis Markoviae Collegium Cracov. S. Mathaei spe„ctantibus substitisset, Cracoviam nullatenus attingere potuit ob Moschos tunc eandem obsidione tenentes. cum summo itaque et sui et juvenum periculo, quod impendebat à Moschis, rediit. Proselyti nihilominus ~~capta à Moschis~~ Cracoviâ, vectorê qui Nostros ad studia Philosophiae deduxerat ad Tyrocinium expediti, feliciter pervenerunt.

Gradus C. Wolski:

Die virgini in Coelum assumptae sacrâ Michaël Wolski fecit Gra„dum Coadjutorum temporalium.

Eodem festo, et Decollationis S. Joannis nostri ad breviores missi„ones obeundas in Parochias expediti.

Tholi Templi restauratio.

Tholus Templi hujus restaurationem nostri ab Annis pluribus cogitarunt, mense hoc per Innocentium Maraino statum restau„ratus et picturâ longè elegantiori quam ante exornatus est.

September.

Renovatio Studiorum translata.

Renovatio Studiorum in diem 3. hujus mensis translata est ob gratulationem novo Judici Terri Posnan. Zakrzewski instituendam. Itaque primùm in Templo nostro in Sententia lectissimorum hospi„tum P. Rhetorices Ithaca dignitatem eidem gratulatus est, deinceps coram iisdem Auditoribus in Scholis idem Pater Rhetorices suam Orationem in renovationem studiorum fecit.

S. Josephi de Copertino introductio.

Die 17. Sentis neocanonizati S. Josephi de Copertino ex nostro Templo ad RR. Patres Franciscanos introductio facta. In nostro Templo pridie de laudibus hujus Sancti Concio una in Crasti„num verò in Templo eorundem Patrum binæ conciones dictæ.

Mors P. Joannis Bielski.

Die 19. placuit supremo vitæ ac necis Domino, qui operum la„borumque nostrorum remunerator est, ac merces magna nimis, P. Joannem Bielski moribus et vita commendatissimum, carita„te, affabilitate, mansvetudine insignem, omnibus carum et amabi„lem, per Annos 38 quos in Religione nostra egit, laboribus pro Deo ac famâ Societatis Jesu susceptis exantlatum, ad præmia vocare.

Quantum verò optimus hic Pater pro Deo ac Religione nostra laboris subierit, testantur ea officia, quæ tum cum sui, tum Societatis insigni commendatione exercuit. Cum enim in Philosophicis, Theologicisque studiis excelleret, voluntati Superiorum se se gubernandum permisit et ad docendas Humaniores litteras (: magnus subicet animus non alta sed humi„lia cupiebat:) animum, cogitationemque adjecit, quibus annis 13. Professus, munus postea Concionatoris cum insigni animorum lucro, et omnium ac„clamatione prosecutus est. testant vel maximè plura opera hinc publicè ab eo data: Tragediæ 4. Zeyfadin, Tytus Japoński, Alexy Cesarz, Apollo„niusz. quarum primæ defensionem artis Drammaticæ adjunxit. alteram Perillustri Koźminski indicavit. Orationes duæ, una: pro Sto„lis publicis, altera pro Emmanuele Alvaro. Panegyricos funebres quorum unum Latino et Patrio idiomate confecit de laudibus Serenissimi Stanislai Leszczyński Poloniae Regis, alterum dixit in funere ~~Illmi Działyński Palatini [illegible]~~, posteriorem post fata Illmi Radziewski Succamerii Posnan. Typis mandavit. ~~Panegy~~„ricos gratulatorios duos, unum: Illmo et Rdssmo Młodziejowski Eppo Posnan. alterum Illmo Sołtyk Palatino Inowlaci. Orationes in laudem Donssmi Stanislai Kostka, quas nomine Illmi Ossolinski Palatini Volhyniæ indignavit. Libros sub titulo: Widok Królestwa Polskiego. 3: Cwiczenia Krasomowskie. cujus postremi libri Tomos 3. scriptos insuper reliquit. Ecce ejus in Reli„gionem nostram merita, quæ posuit, hanc famam et commenda„tionem, quam eidem conciliavit, hanc apud viros primos existimatio„nem, quam semper habuit optimus Deus, uberiore laude; quia æternâ remuneraturus Hydrope extinctum è terris sustulit.

Missiones breviores nostrorum.

Missiones breviores pro Festis Nativitatis Bmæ Virginis. pro Festo Exaltationis S. Crucis. et pro Festo S. Michaelis à nostris peractæ.

October.

Demissio Gregorii Wolanowski.

Die 12. Sent. Gregorius Wolanowski Coadjutor Temporalis dimissus, cum vixisset in Religione annos 34. ætatis autem suæ numeravit annos 52. verè graviorem Annis hominem insolitus mentis stupor arripuit.

Introductio S. Joannis Cantii.

22. hujus ex Ecclesia Collegiata ad Templum Cathedrale introductio facta neo in numerum Sanctorum relati S. Joannis Cantii. RR. Dni Aca„demici postularunt a R.P. Rectore Sententiam nostrorum studiosorum quod illis benignè concessum est.

Causa de Bonis Pieśkierki.

Causa nostra de Bonis Pieśkierki, cujus toties superius mentio facta est ex remissione Tribunalis agitata est hoc mense in judiciis Ter„restribus Wschowensibus. Decretum latum est, ut nostri parti adversæ solvant 9.m fl. Pol. jus autem hæreditarium eorundem Bonorum reti„

neant. At pars adversa Decreto non contenta, illud acceptare noluit, con-
sequenter a nostris summa haec non est persoluta.
Pro Festo Rosarii Bmae Virginis missio brevior a nostris peracta.

Comitia majora instituuntur.

Comitia majora primario in hac Urbe instituta cum insigni virorum Illum et nobilium confluxu. P. Josephus Płochocki dixit pro Concione cum insigni plausu, solitis commendatione, et universali approbatione omnium. Ignatius Działynski Filius Palatz Calissi acta Rhe-
toricae dans operam, legatione à Serenissimo Rege Stanislao Augu-
sto ad eadem Comitia perfunctus est.

November.

Festum S. Stanislai Kostka magno populi confluxu celebratum; summum Sacrum celebravit Perillris et Clarissimus Rndus Dnus Rector Academiae Posnan; duo vero RR Dni Academici dixerunt ex suggestu de laudibus Dnssimi Adolescentis.

Martinus Winkler Dimissus.

Die 12. hujus dimissus et Martinus Winkler Scholasticus Anni 3. Theologus [illegible]

Obierunt nostri missiones breviores pro Festo OO. SS. et Commemora-
tionis fidelium defunctorum.

nostri a mi-
lite moscho impetiti.

P. Franciscus Zdulski cum Socio recreandi animi ergo (: ut fit :) in campum progressus, a milite moscho plurimum impetitus fuit nulla ad id data occasione. (: illud enim tempus erat, quo Polonia, urbs vero haec potis-
simum milite Moschovitico abundavit :) exonerata est in eundem ab eod.
milite catapulta, ast Dei Providentia aerem non eum verberavit.

December.

In nostros SS. Patrum pietas.

Frequentes per totum annum erga SS. Ignatium, Xaverium, Aloysi-
um, Kostkam pietatem suam peculiarem testatae sunt plerique Illmae et nobiles feminae cereis accensis, adeo, ut rara dies fuerit, qua haec illarum pietas non manifestaretur.
Totius anni cursu, à milite tum Polono, tum Moschovitico factae sunt exactiones in nostris pagis.
Missiones pro festo S. Barbarae, pro Festo Conceptionis B. V. M.
et Festis natalis Xti a nostris numerose peractae.

Annus 1769.

Admodum R.P. Laurentius Rucki. Praepositus Provinciae.
R.P. Adamus Chrzanowski Praepositus Provinciae.
R.P. Michaël Orłowski Rector Collegii.

Januarius.

Ad missionem breviorem pro Festo SS. Fabiani et Se-
bastiani nostri sunt missi.

Februarius.

Missiones breviores pro Festo Purificationis Bmae Virginis a nostris peractae.

Professio P. Przybylski.

Eadem die Virgini Ssmae Sacra emisit solennem 4. votorum Professionem P. Josephus Przybylski.
In theatro peracti sunt actus publici à P. Rhetorices et m. Poës-
os cum plenissima Auditorum satisfactione et commendatione scho-
larum. Primus Comoediam, quam titulo: Przyiaciel dla interessu. dona-
vit. Alter Tragoediam S. Ludovici Gallarum Regis.

Franciscus Bartholtz Dimissus.

Die 6. Feb dimissus est Franciscus Bartholtz Anni 2. Theologus. ille scilicet cujus Anno superiore, mense Julio, quam graviter deliqua-
rit mentionem fecimus.
Die 11. hujus Perillis Antonius Bogucki Custos Posnan. in Templo nostro sepultus est.

Martius.

a P. Professore Rhetorices iterum actus secundus exhibitus in Quadr.
nempe Tragoedia Codri Atheniensium Regis. In praesentia insignium Auditorum, et plurimorum Moschorum tunc Posnaniae existentium.

Gratulatio Illmo Suffraganeo.

Post plures tandem annos, quo caruit Civitas haec renuntiatus est Illmus Suf-
fraganeus Posnae Vladislaus Walknowski; qui ut primum venit, instructa est ei à Collegio nostro per P. Professorem Rhetorices in aula ipsius Gratulatio, in praesentia plurimorum Illmorum Prae-
latorum, Canonicorum, cui etiam actui plurimi e nostris aderant.
Ad missiones obeundas pro Festis Paschalibus, plures è no-
stris expediti; quia etiam plures a diversis postulati.

Aprilis.

Pons sublatus è Collegio ad hortum.

Cum tempus hoc esset, quo exercitus Moschoviticus adversus foederatam Po-
lonam nobilitatem debellaret, et vicissim Poloni adversus moschos, prae-
dium moschorum securitati fuc (: put dubitabant :) intra moenia confluendo instabat fortissime ut pons per quem patebat immediate aditus ex Colle-
gio ad hortum nostrum adjacentem, et vicissim ex horto ad Collegium tolleret.
R.P. Rector provide metuens ne aliqua à foederatis Polonis militibus in Civitatem irruptione facta; moschi et pontem et hortum nostrum causarent, eundem peritus deleri jussit.

Hospites in Collegio.

Die 13 praesentis Illmus Apraxim Generalis Exercitus Moschovitici cum suis officialibus et aliqot insignibus Viris Polonis, adfuit praelectio-
ni ex Physica experimentali in museo habitae. laudavit et scientiam, et majestatem venustatemque loci scientiae huic destinati.

Majus.

Gratulatio Ovinscieis instituta.

Festo S. Stanislai Episcopi Martyris excurrit Ovinscios R.P. Pro-
vincialis (: tunc Collegium nostrum visitans :) cum suo Socio; et R.P. Re-
ctor cum tribus aliis nostris ad exhibendam Gratulationem Venerabili Michali-
nae Gurowska noviter electae Abbatissae, cujus benedictio eadem die insti-
tuta erat

Oblatus est eidem Panegyricus parvus metro conscriptus et Typis mandatus sive suae deus volans folium.

Pro Festo S. Crucis et Festo Pentecostes, aliqot e nostris missiones breviores obivere.

Junius

Processio in nostro Templo ab aedificationibus.

In Octava Sanctissimi Corporis Xti Dni Processioni in Templo nostro pro laudabili Religionis nostrae more habitae aderat Illmus Apraxim Generalis Exercitus Moschovitici, quam plurimum laudavit, considerans bonum ordinem et modestiam Studiosorum ac nostrorum, dixitque, imo saepius palam repetiit: luculenter apparere cultum Divinum.

Idem Illmus Apraxim Generalis moschorum mense hoc cum tota militia Varsaviam evocatus excessit ex urbe nostra. Dissidentes veriti periculum a Foederata nobilitate Polona brevi venturas: uti revera tertio post die venit, flagitarunt asylum in Collegio nostro, quod utique illis denegare non conveniebat, cum domus Religiosae vere sint urbes refugii omnium. Annuit eorum votis R. P. Rector et suscepti sunt aliqui, dies noctesque permanserunt spatio aliquot dierum. Quin etiam idem asylum flagitavit uxor unius ex praefatis dissidentibus, promissumque pariter est illi ut in porticu Januae cum duabus filiabus incoleret cubiculum situm extra clausuram. Mirum quantae id fuerit aedificationi ipsismet dissidentibus, qui invalente urbem milite moschico, saepius apud eundem contra nos instabant, plurimasque in pagis nostris exactiones milites hi ipsis et auctoribus et suasoribus fecerat. Viderunt deinde nostrum longe ab omni vindicta animum, et exemplo Dnus nostri Xti bona pro malis reddentem.

Julius

Mors P. Kurowski Prof. 4 votorum.

In hujus mensis diem 20 incidit mors P. Andreae Kurowski Professi 4 votorum, anno aetatis 74. Religionis 55 vita functi, Eluxebat in eo accurata regularum observatio, qua in provecta aetate ad implenda regularum nostrarum munera omnibus praeibat. Modestus de seipso sensus, quo oblata sibi Collegii regimina recusavit, mirum vero apud omnes amorem conciliabat ipsa provectior aetas omnis, quod rarum est, morositatis expers.

Dies S. Patri Ignatio sacra magno Illustrissimorum Dominorum foederatorum praesertim concursu celebrata, quo etiam nomine insignitus Illustrissimus Ignatius Skarbek Malczewski Mareschalkus foederatorum Palatinatuum Majoris Poloniae instructa per unum e nostris oratione in templo nostro susceptus est, quod quidem [illegible] genus praeter memorati animi sollicitationem nequidquam aliud consecutum communium quoque in milites expensarum pars ad nos nonminus, quam ad alios pertineat. praeter stationes, transitus et [illegible] quibus nostri pagi saepissime premebantur, ipsos [illegible] cogere, et expedire Collegium nostrum debuit.

et Augustus

Octodecem namque e pagis nostris equites requisiti cum omni ad equestris militiis turmam necessario apparatu expediri a nobis debuerant. neque id impendiorum finem fecit, duo praeterea aurei nummi a singulis modiis agri, (mansos Poloni vocant) cogebantur, cumque neque cunctatio, neque expostulatio, excusatioque quidquam minueret; 1140 aurei foederatorum exercitui collati e nostris pagis sunt.

September

Renovatio Studiorum.

Instaurationem studiorum in recentem hunc annum Scholasticum subsecuta est Oratio de commodis historiae universalis, quam numerosa foederatorum praesentia cohonestavit. qui eodem mense post decantatas in nostro templo rei divinae ceremonias augustiore ritu vexillum voluerunt consecrandum.

Dimissio C. Andreae Zabłocki.

Mense hoc dimissus e religione Andreas Zabłocki Theologus anni 3tii. Juvenis hic, a primo ad Societatem nostram ingressu, meliorem de se spem portendebat, erat enim et optimis a natura dotibus instructus, et sedulitatis non mediocris. Caeterum ad primum de fratris sui morte nuntium velut in alium commutatus, caepit melancholicos vultus induere, maerori se identidem dare, animum a studiorum literis remittere, necquidquam aliud quam reditum ad saeculum cogitare, ut jam e re Societatis videbatur, deliberatam religionis desertionem suadere potius, quam impedire, cum praesertim et Patris sui minis, et amicis nostrorum dissvasionibus nequidquam a proposito revocaretur, abiit itaque quo tam inflammato studio contendebat.

October. November.

Duobus insequentibus mensibus nil memoria dignius accidit praeter gemina pietatis in Deum documenta. quorum primum est. Foederati ut pro quapiam reportata victoria gratos se Deo exhiberent, gratantes ovantesque templum nostrum adeunt, et rem divinam solenniori ritu cani curaverunt. Alteram quoque cani expetiit Illustrissima de Czarnkowskiis Sophia Radzewska pietate in Deum, beneficiis in Societatem nostram inclita, placatura precibus irati Numinis indignationem, ut efficaciter serpentes in suis bonis morbos comprimeret.

December

Edicta foederatorum typo vulgantur.

Imperioso ac rigido mandato, (quod inter munimenta Collegii conservatur) superioribus etiam mensibus Typographia Collegii non raro premebatur, uti Foederatorum edicta typo vulgaret. verum hoc mense aliqua ejusmodi vulganda porrigentibus, quibus contraria partis offendi ac nobis succensere timebatur, nostri legitimam excusationem attulerunt, haec tamen mandato ac vi concessit. quippe quatuor armati milites ad Typographiam destinati, nec prius revocati sunt, quam dum illis urgentibus allata edicta in lucem vulgata prodierint.

Festa dies S. Concept. B. V. M.

Die Octava Decembris festo Immaculatae Conceptioni ac Congregationi mediae tutelari ab uno Rhetorum Oratione dicta iorrer numerosam faederatorum Officialium multitudinem duo aderant Illustrissimi Mareschalli, alter Palatinatuum Majoris Poloniae Illustrissimus Ignatius Skarbek Malczewski, alter Pomeraniae Illustrissimus Zriski iidem ambo stipabant latera R. P. Rectoris processionem sacram celebranti; praeibant duo officiales imagine Immaculatae Virginis circumferentes. Pulchrum id erat spectaculum, nec minus ad majestatem Divini cultus, quam ad refrigeratos animos ad pietatem accendendos accommodatum.
In eundem ipsum diem Patres nostri ad quatuor, imminente verò festo natalis Christi ad 19 sacras expeditiones, eo quo petebantur missi, non segnem commodis animarum operam qua dicendo, qua poenitentibus aures dando navatant.

Annus 1770

Admodum Reverendus P. Laurentius Ricci Praepositus Gnlis.
R. P. Adamus Chrzanowski Praepositus Provincialis.
R. P. Michaël Orłowski Rector Collegii.

Januarius.

Redeuntibus undique nostris à sacris missionibus nascentis anni primordia solita celebritate consecrata sunt. Comprimendarum, quibus aliquot annos Polonia luctuosum in modum premebatur calamitatum nulla humanitùs spes affulgebat.

40 horarū Supplicatio.

Itaque Illustr. Episcopus Posnaniensis ad placandam Divini Numinis misericordiam se contulit, solennem 40 horarum supplicationem in singulis Posnaniae templis et vicinis circumquaque Oppidorum parochiis indixit. Posnaniae eo ordine peragebatur, ut non prius in altero templo desineret, donec in altero inciperet. Haec non interrupta supplicationum consecutio ad templum nostrum mense Januario devoluta, forma ab Episcopo praescripta peragi capit. Duplex injuncta concio altera quae praecederet, altera quae supplicationem terminaret, utraque eo spectabat, ut homines ad placandam Vindicis Dei iram quam vehementissimè impelleret. Factum est a nobis tam salubri mandato satis, populusque, qui frequens aderat, disertis et vehementibus concionibus ad preces orationesque accensus est.
In eundem mensem incidit mors Illustrissimi Joannis Swinarski Tribuni Calisiensis Consiliarii Faederatorum Majoris Poloniae Palatinatuum; cui longa infirmitate tabescenti nostri sacerdotes alternando vices non interruptam operam tamdiu navarunt, donec exemplarem vitam superare idest pia morte optimè praeparatus terminavit. Elatum funus 22 die Januarii,

Funus Perill. Joannis Swinarski Tribuni Calisii.

eo augusto apparatu in templo nostro exceptum est, qualem et ipsius in Societatem nostram addictio (cui filium etiam suum consecravit) et nostrorum gratus animus exigebat. Laudes ejus vespere P. Prochowalski, postridie P. Berent celebravit,

alter Philosophiae Professor, Concionator alter. Unus quoque è Consiliariis faederatorum Collega suo funebri oratione parentavit.
Festo S. Sebastiani ad consuetam missionem nostri invitati sunt.

Februarius.

Mors P. Lgocki.

Dies 12 Februarii hora 4ta pomeridiana ultima erat vitae P. Antonii Lgocki, primi inter superstites tum Provinciae nostrae Professos 4. Votorum. Mors haec tanto majus omnibus desiderium reliquit; quanto vita illius majora praebuit solidarum virtutum documenta. Observabatur videlicet omnibus mira illius in docenda per 10 annos Posnaniae Rhetorica accuratio, tanto tamque multiplici Illustrissimorum Virorum studio, ac grato etiamnum animo comprobata. Obversabatur illud Apostolicum munus, quod 40 prope annos in pago nostro produxit. Christianam doctrinam rudibus explanando, solando aegros, morientibus assidendo, concionando, missas festis singulisque dominicis diebus cantando, remotos bene pagos circumquaque pedibus circumeundo nulla decrepitae aetatis, nulla fractarum per continuos labores virium, nulla aestivorum calorum, frigoris, nivis, imbrium, ac tempestatum habita ratione. Obversabatur mirus paupertatis amor, quo rerum non raro necessariarum omnem inopiam hilari semper animo ferebat. Honoris cujuscunque contemptus, mira in conversando suavitas, omnis (quod in tanta senectute rarissimum est) etiam minimo morositatis expers. Dulce erat, et ad omnium animos ad regularum observantiam inflammandos acerrimum calcar, vidisse decrepitum senem ad primum surgendi e somno signum ad visitationem SSmi Sacramenti omnibus ordire, ibi ardentes preces fundere, solitudini religiosae vacare, suo se cubiculo continere, nec nisi religiosè et modesta suavitate, si res postularet et tempus, loqui, ut iam his et aliis praecellentibus virtutibus, illud sibi à Deo Optimo videatur impetrasse, ut illi omnibus Sacramentis munito fracto laboribus et 83 annis naturae ac mortalitati placide concedendum, et non cum diuturna morte acerbè fuerit colluctandum, illatus est ad sepulchrum Patrum die 15 Februarii. Quo tempore cum P. Praefectus templi sepulchra perlustraret, reperit in urna P. Simonis Waber parvum sacrarum reliquiarum conditorium, in quo is caelestium gratiarum, quas à Deo acceperat, et propositorum, quae fecerat breve compendium collegit. Quamvis verò pleraque eorum in historia vitae istius Patris superius explanata sunt; tamen et ad piam viventium aemulationem, et ad immortalem tanti viri commendationem (cujus praeclara et mirabilis planè sanctitas, in omnium oribus, viva memoria, et in orationibus etiam, quibus se ipsi commendant) circumfertur, operae pretium duxi, ea hic omnia, prout ipsius manu exarata accepi, verbum de verbo exscribere. Haec porrò sunt, quae sequuntur.

Compendium gratiarum Divinarum et propositorum repertum in urna P. Simonis Waber manu illius exaratum.

"Memoriale Gratiarum et Propositorum quolibet mense ob "
" emendationem pessimae vitae relegendum, quas Deus gratias "
" misericordissimus per manus dispensatricis gratiarum peccatori "
" maximo concessit. Atque 1mo Cum in Scholis minoribus "
" balbutientis essem linguae, desperavi de statu vitae meae spi- "
" rituali, quem ob zelum animarum ab ipsa fere infantia "

ardentissime desideravi, consequendum per conciones, quem ob
finem institui solidam devotionem ad Thaumaturgam imaginem
Sanctissimæ Virginis in Sacello Parochiali Posnaniæ, Exaudivit mater
Misericordissima preces peccatoris, et singulæ vinculum solvit.
2do Anxius de Vocatione mea ad eandem Thaumaturgam Vir-
ginem cum lacrymis confugi, annuit illa votis, et internum impul-
sum vehementissimum impetravit, ineundi Sanctissimam Societa-
tem Jesu. . . . . 3tio. Cum quadam nocte in singulari Beatissi-
mæ affectu obdormirem, apparuit illa per somnum quasi in templo
S. Nicolai amantissimum puerum Jesum gestans, multisque osculandum
dans, accessi et ego dans osculum et amplexum, quem in ulnis gesta-
vi, cum tandem evanuisset Dominus puer, expergefactus dolorem
nonnisi sensi de absentia, et uberrimas lacrymas, quas etiam
gaudium de præsentia ejus excitavit. 4to In tirocinio nocte
quadam vidi in somniis ad altare. S. Ignatii Christum cruce
onustum, multosque ex Connovitiis illum cum crucibus sequen-
tes, cum veró ego anxius hærerem, respexit me misericordissi-
mé, ego veró ab uberrimis lacrymis abstinere non potui, quas
etiam expergefactus sensi; et pulvinaria lacrymis madida. Tan-
dem et ego crucem accepi, Christumque secutus sum, Somnium
hunc comprobavit sæpius eventus minimé in externis crucibus.
Protestor veró Deus Summe Optime ante te, me hæc non scripsis-
se propter aliquam vanam gloriam, sed unicé propter gratia-
rum actionem, et pessimæ vitæ meæ; dico iterum iterumque
pessimæ et scelestissimæ emendationem.

Proposita Aliqua.

Propono mi Deus Divinæ Majestati tuæ, et Bmæ Virgini Ma-
riæ J. C. atque Patronis meis vivere tanquám mortuus à
corde, idest: nulla volatia pro qualibuscunque meritis meis ex-
petere. nisi contingat aliquod secundum tuum beneplacitum
et majorem tuam gloriam. Imo optare confusionem et irrisionem
ut ita magis tibi conformer.
Propono 2do. Nullos respectus humanos curare, imo in derisio-
ne opprobrio esse apud omnes exemplo Christi. Si veró aliqui re-
spectus contigerint, dolere potiús, et timere amplissimos favores Dei
3tio Omnia æquo animo ferre, tam prospera quám adversa, imo
in adversis gaudere, eo quod majorem confidentiam ad Christum
Crucifixum augeant.
4to. Omnia mea merita vilissima depono in manibus Dei applican-
da animabus purgatorii 1mo parentum 2do amicorum, 3tio
illorum, quibus sum obligatus, ita ut nihil mihi relinquam, maxi-
mé veró volo applicari illa animabus omni suffragio carenti-
bus, et quarum liberatio plús conferret ad gloriam Dei Majorem.
5to. Volo esse jumentum Societatis quoad labores. baculus senis
quoad obedientiam, cadaver quoad fructus paupertatis: crystallum
quoad puritatem corporis et animæ
6to Protestor mi Deus, ita me esse obfirmatum contra quod-
vis peccatum etiam veniale deliberatum, ut millies malim
ardere in inferno, privari cælo, quám te Deum, idque uni-
ce ob amorem tuum offendere.
7mo Propono me fore memorem passionis tuæ ad mensam,
imo in omni loco, recolendo proportionata actionibus meis passio-
nis tuæ puncta.
Propono Octavo et renovo singulariter me fore memorem Beatissimæ Virgi-
nis Mariæ, et illius memoriam sive in discursu sive lectione habere,
Item transeundo penes effigiem Christi Crucifixi, dicendo hanc orationem
Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non
sit cassus.
9no. Propono vitare omnes contentiones, jurgia, et quæcunque pacem
Religiosam turbant.
10mo. Propono in omnibus correspondere vocationi meæ, et ita vive-
re, ne minimam notam inuram per actiones meas. intaminatissimæ
Societati JESU; imo ipsius honorem, æstimationem semper et ubique
curare;
11mo Propono neminem unquam judicare, et condemnare.
12mo. Propono singularissimé promovere amorem Dei, Christi
Crucifixi, Beatissimæ Virginis Mariæ, et SS. Patronorum meorum
ac memoriam animarum defunctorum. sive in concionibus, sive discursu.

Et hæc sunt, quæ in ipsius urna reperta verbo ad verbum nil quid-
quam immutando exscripsimus, ut manifestó appareat, tantum
virum non de elegantia verborum, sed de simplicitate primi Patrum
Nostrorum spiritus sollicitum fuisse, qui tametsi decem et quatu-
or abhinc annis vitâ defunctus recentissima tamen omnium me-
moria, laudib9, ac sancti Viri appellatione etiamnum vivere vide-
tur, et tam præclara sanctitas æternitatem spectare.
Festo post cæleste puerperium lustratæ Virginis ad tres sa-
cras missiones expediti nostri commodis animarum navarunt o-
peram.

Martius

Jubilæi Indulgentia.

Clemens XIV. post felicem tam turbulentis præsertim Ecclesiæ
temporibus electionem et inaugurationem suam, solitum duarum
hebdomadarum Jubileum concesserat. cui in hac Diœcesi pera-
gendo tota ratio formaque ab Illustrissimo Episcopo præscri-
pta, templumque etiam nostrum, quod visitaretur, destinatum
est. Itaque præter sacras conciones eam ad rem accommoda-
tas, doctrina quoque Christiana confluenti populo explicabantur,
e suggestu nostri templi a Sacerdotibus nostris, qui pallio dunta-
xat induti, quá stando, qua sedendo, uti et rei et affectuum exci-
tandorum oportunitas congruentior cuique videbatur, informa-
bant populum, quæ ad tam sacti Jubilæi consecutionem, con-
ditiones requirerentur, quoque modo ad sacrum peccatorum
cognitionem, confessionem, dolorem. singulis abundé applicatis,
adduci ac excitari possent.
Die 2o Præsentis Moschi Posnaniam advenerunt, quorum ad-
ventum magna in Urbe trepidatio antecessit, nec vanus futuræ
calamitatis metus. In nostro Collegio equites ad 50. duo Offi-
ciales stabilem fixerunt stationem nobis perincommodam, qui-
pe quidquid fœni repertum id totum in equorum suorum pa-

bulum abstulerunt. duos vero Officiales, et quoscunque hi incitarent, invitabant autem non raro frequentes, Collegium debuit sustentare. Biduo post à Colonello Moschorum expeditus Officialis ad Collegium nostrum venit, res, si forte quas fœderati deposuissent, aut sicubi iidem ipsi latitassent, indagaturus. Is primo severius rem agere cœpit, omnes ad jusjurandum in templo, quod tum populo frequenti patebat, adigere, cum tamen placidè à nobis tractaretur, ad humanitatem compositus præstandum in Communi Theologorum cubiculo jusjurandum obtulit. Itaque ad æris campani pulsum congregatis nostris fere omnibus adstante dicto Officiali flexis interra genibus præivit R. P. Rector, et porrectam a Moschorum officiali juramenti formam recitavit, ea porro, uti porrecta ab ipso est verbo ad verbum huc loci inscribitur.

Nostri jure jurando a Moschis adiguntur.

„ Ja iest Xiądz Rector Klasztoru Poznańskiego, daię ne siebie ten dokument, że niemaſz u mnie ani żadnego z konfederatów, ani żadney ich strzelby. A ieżeliby się to drugi raz trafiło, tedy obowiązuię się, dać znać do nay bliższey Kommendy Rossyiskiey znayduiącey się blisko Poznania.

Hac jurisjurandi forma recitata, dictus officialis humaniter, et sine molesto incommodo demandatam sibi indaginem absolvit.

Aprilis.

Ad festos Paschatis dies invitati ad 19 missiones nostri abierunt e Collegio, in quo fixam stationem continuarunt Moschi tametsi pauciores nonnihil, quam præterito mense fuerint.

Die 12 Aprilis (in quem hoc anno incidit dies cœnæ Domini consecratus) Perill. Antonius Murawski Colonellus Fœderatorum Majoris Poloniæ Palatinatuum mero quidem sed luctuoso multis casu in potestatem Moschorum venit. quippe prœliis et quotidianis insomniis exantlatus cum correptus somno, mensa innixus dormitare cœpisset, à suis, ut hostem appropinquare senserant, desertus a Moschis undique circumventus capitur, in urbem media nocte adducitur, ubi illuxit, per singulas primorum Officialium domos circumducitur, tanto hostes ipsi tam felicis, tamque magnanimi Viri desiderio videndi tenebantur, et vel inviti virtutem in hoste suspiciebant. Cæterum Colonellus Moschorum, qui tum Murawskium, ut putabat, insequebatur, captivitate ejus cognita magnis itineribus Posnaniam contendit, suumque exercitum ab illo non mediocriter attritum, illum vero non a suo illo milite captum reputans, supra modum ira excandescens hominem crudeliter cædi imperat, ut is desperata vitâ, ac moribundo potius, quam victuro similior nostrum Sacerdotem postulaverit, quo conscientiæ suæ nævos expiante ad æternitatem beatam compararetur. Mirum est, quantum omnes omnino acerbum hunc casum fuerant miserati; ut authoritate et precibus viri pariter ac nobilissimæ mulieres, quo indulgentius mitiusque tractaretur, instabant, ut omnem amictus et lecti supellectilem alacres ultro ministrabant, ut ingesta conciso corpori vulnera curari satagebant sollicitè, ut sua illum Illustrissimi Viri dignari præsentia, suis solari colloquiis, liberaliter oblata pecunia sustentare, servos etiam suos in illius famulatu esse, ac de Illustrissimorum

Colonellus Fœderatorum A Moschis Capitur.

Dominorum mensa exquisitos cibos afferri quotidie voluerunt. tantam apud omnes sollicitudinem, subsidium, curam, amorem æstimationem, etiam apud ipsos Moschorum Officiales complures promeritus est vir iste, nulla majorum suorum commendatione, sed propriis duntaxat meritis, dexteritate, et imperterriti in adversis animi fortitudine nostro et externis regnis rumore publico notissimus.

Majus

Præter stabilem in Collegio nostro Moschorum stationem, de quibus non infrequens mentio superioribus mensibus facta, die 5ta præsentis decem præterea fœderatorum captivi curæ nostrorum demandati sunt, onusque nostris impositum, eis non solum victum ministrandi, curandi inflicta vulnera, sed quod omnium molestissimum fuerat, invigilandi, ne quispiam eorum aufugeret.

Junius

Nocte octavam inter et nonam Junii diem interjecta Celebris ille Fœderatorum Colonellus, cujus mense Aprili mentionem fecimus, e strictissima Moschorum custodia tanta dexteritate elapsus est, ut ne vestigium quidem fugæ, tametsi diligentissime circumquaque quæreretur, reliquerit. Triplex in nostro Collegio illius indagatio instituta, altera 9na Junii horis primo matutinis, tum altera pomeridianis; tertia denique die 10 Junii, toto hoc tempore armatis militibus pro templi et Collegii porta excubantibus, quæ tamen omnis tam laboriosa ac diligens ubique indagatio in cassum abiit, quippe qui nisi somno opressus in servitutem adductus est, sagacissime, ut se libertati redderet, vigilavit.

hoc mense aufugit.

Julius et Augustus.

Pridie Calendas Septembres in solenni studiorum instauratione P. Professor Rhetorices orationem de necessitate atque utilitate universalis historiæ peroravit. Ipsis autem Calendis Septembribus singuli Magistri suas de more Scholas ingressi prima studiorum hujus anni fundamenta jecerunt. Nil præterea singularius Septembri mense accidit.

October.

Die 19 Octobris cum tota civitas, tum nostrum præsertim Collegium non parva trepidatione perculsum est. fœderatis quippe inopinate Urbem impetentibus, crebrisque bellicorum tormentorum ictibus expugnare tentantibus, Colonellus Moschorum Rönne, idemque urbani Præfectus militis partim infirmitate præsidii, partim terrore hostium non leviter commotus; nostrum collegium veluti ultimum rerum suarum refugium delegerat. huc proinde pretiosiore supellectili comportata se cum uxore sua contulit. utque uberius securitati suæ provideret, pulsu æris campani omnibus templis interdicto, obvallata atque muro obstructa, qua res domesticæ curribus invehuntur, porta dubiam fortunæ sortem tota nocte anxius expectavit. Interim feroces fœderatorum conatus illuvie obscura nocte, nec satis explorata locorum munitione irrito conatu recidebant, emissi tormentis globi magnam partem inhærebant tectis, sicque nostro præsertim imbracteato templo globis frequentibus trajecto non parvam claden

Oppugnatio Urbis a fœderatis

afferebant. Cæterum imminentes in suppetias obsessis Moschorum copiæ altero statim, ut illuxit die, Urbem obsidione solverunt, nostrum quoque Collegium importunis hospitibus, scholæ incommodis vacationibus postridie liberatæ sunt.

Dum hæc passim geruntur, crebræque belligerantium velitationes exercentur, eo tandem res venit, ut promiscuè è religiosorum etiam familiis non paucos ad exploranda fœderatorum consilia et itinera Moschi mitterent, seu ut invidiam religiosis conflarent viris, seu ut extorquendæ pecuniæ speciosum titulum obtenderent, certe altera istarum causa fuit, cur Admodum Reverendus Pater Prior Conventus Cisterciensis ex Oppido Lend Posnaniam à Colonello Moschorum accersitus, totum propemodum mensem in nostro Collegio commoratus sit, donec et impositam pensionem persolvisset, et in varias dimissi partes ejusdem exploratores ordinis rediissent.

November.

Geminum S. Patris Ignatii patrocinii documentum.

Mense hoc geminum mirabilis, ut creditum est, divinæ benevolentiæ documentum duæ nobiles æquè ac piæ fœminæ consecutæ patrocinio Sancti Patris Ignatii in acceptis retulerunt. Altera erat Francisca Korzlowska Vexiliferi Uschovensis filia, cui Virgini in ipsis dextri oculi palpebris inopinato excrevit tuber, et in majorem quotidie intumescebat molem. adhibiti ad consilium medici ancipitem et plane periculosam illa præsertim mollissima tactu corporis parte curationem affirmabant. et præter metuendam turpitudinis, [illegible] vitium quoque oculi timeri oportere. ~~affirmabant~~. Ergo desperatâ medentium industria, ad implorandam divinam opem ardentiore animô confugitur. Peropportunè tum accidit, ut patratum in Italia per Sanctum Ignatium miraculum typis impressum, tum passim per manus Polonorum volitaret, hac occasione arrepta, diu interea cultui Sancti Patris Nostri devota mater Virginis, suadet filiæ, ut certâ impetrandi fiduciâ divinam ab Ignatio imploret opem. Arripit avidè consilium pia Virgo, instat precibus, decem dierum supplicationem ad Sanctum Patrem nostrum devovet, et inflammato obit animô. res plane mira, nulla humana curatione adhibita, tumor ille, sensim uti crescebat, detumescens tandem brevi evanuit, pristina corporis forma nihilquidquam immutatâ.

Alterum patrocinii Sancti Patris Ignatii documentum expertam se esse palam testatum voluit, Francisca de Walichnowsiis Boguska Ensiferi Posnaniensis Conjux, quæ cum crebros ac vehementes singultus ederet, ut etiam seu in circulis seu in templo horrorem adstantibus incuteret, medicis causam morbi, et remedium efficax ignorantibus, opem Sancti Ignatii ardentibus et continuis precibus tam fortunato eventu exoravit, ut brevi tempore non modo omnem prorsus singultum repressum sensit, verum etiam ipsa temporis diuturnitate eo se plane agnovit liberatam, ergo in perpetuum grati animi documentum non solum ad aram Sancti Ignatii rem divinam solemni apparatu decantari voluit, verum templum quoque nostrum pretiosiore ~~ap~~ supellectili ceperat exornare.

Hoc iterum mense fœderati speciem oppugnandæ Urbis pretulerunt. Et certe, ut expugnassent, parum abfuit. ita quippe tacito passu sub ipsa mœnia suggressi sunt, uti nisi excubitorum unus fœderatos adesse vociferans reliquos ad occludendas civitatis portas excitasset, Moschi prius captam viderent Urbem, quam sperare potuerunt oppugnandam.

December

Illibatum Virginis intemeratæ festum prosecuti sunt solita pietate Sodales Congregationis Mediæ, uno illorum de laudibus intemeratæ Virginis perorante. Divæ quoque Barbaræ gratificatura Civitas vesperi frequentissima cereis, pro recepto more, ardentibus instructa, comitata est SSmam Eucharistiam, quæ per ædem nostram circumferebatur. Duodecem è nostris Patres cum iisdem

dem Sociis vicini Curiones invitarunt, qui in diversis parœciis verba ad populum verba ad populum facerent, et peccata sua enarrantibus aurem darent.

Fuga aliquorum fœderatorum

Fœderati, qui diversis temporibus in manus Moschorum venerant, atque in nostro quoque Collegio Moschis custodibus servabantur, hujus tandem mensis nocte hostium excubias fefellerunt, et concubia nocte per murum se demittere audentes plerique aufugerunt, pauci, qui ætate et incommodis fracti tanto se periculo committere formidarunt, in sua remanserunt servitute. Quod ut primum Colonello Moschorum Rönne denuntiatum fuerat, jubet confestim duos è nostris Patres nempe Procuratorem domûs et cocum, media nocte ad se pertrahi, rem à mancipiorum præsertim residuis sociis diligenter investigari, utrum è nostris quispiam, aut fugiendi mentem illis non injecerit, et non ministrarit modum. comprobata undique nostrorum innocentiâ incolumes domum redierunt. res tamen ipsa non parvi incommodi causa fuit, quippe multa deinde fœderatorum mancipia, uti aliis religiosis viris ita nostris quoque non solum alenda, sed etiam custodienda attributa sunt, pretio pro singulis, si forte quispiam illorum aufugerit, assignato.

Die 29 Xbris Fœderatis iterum Urbem infestantibus Unus Moschovitici militis speculator lethali trajectus globo semianimis ad nostrum collegium inter militum manus allatus est, et mox ultimum vitæ spiritum edidit. Hic quod a Judaica superstitione ad Christianam traductus religionem fuit, instabant vehementer Moschi, ut in nostro sepeliretur templo, Sed quoniam et vita ipsius populari flagrabat infamia, et de religionis Christianæ dubitabatur constantia, et in morte nullum pœnitentis animi apparebat signum, tantum proinde egerunt nostri, ut tandem Moschi de sua sollicitatione et imperiosa voluntate remiserit, alioquo loco sepultus sit.

Annus 1772.

Admodum Reverendus Pater Laurencius Ricci Præpositus Generalis.
R. P. Adamus Chrzanowski. Præpositus Provincialis.
R. P. Michael Orlowski Rector Collegii.

Januarius.

Oppugnant Urbem fœderati: Moschi Suburbium incendunt

Hoc etiam mense ferociore et obstinatiore, quàm aliás animo fœderati oppugnabant Urbem, incisis aquariis fistulis, aqua proinde civitati interdicta serii ad expugnandum animi speciem præferebant. Ergo Colonellus Moschorum Rönne ex metu ac prope desperatione in furorem actus suburbium incendi jussit, flagrabant frequentes circa Urbem domus, ignea illa tempestate tota furoris vi omnia circum depascente clamor et lamentabilis ululatus pauperum omnem fortunam una diei hora amittentium lacrymosum edebant spectaculum. Hoc lugubri incendio nostra quoque in proximo horto domus ad omnem recreandi animi commoditatem extructa conflagravit. Domum hanc uti multa præclara alia à fundamentis ædificavit R. P. Franciscus Koźminski Vir omni laudatione major et Provinciæ universæ Præpositus, et deinde Collegii hujus Rector. formam crucis referens in duas contignationes erecta fuit. inferior ad prandendum cœnandumque vacationum præsertim feriis perquàm fuit opportuna, inferior variis instructa lusibus recreando à labore animo serviebat. utraque jucundis exornata picturis tum nostris, tum externis non rarò adventantibus hospitibus gratissimum præbebat spectaculum. Dum hæc in suburbio aguntur, fœderatis urbem obsidione prementibus, omnesque præcludentibus

aditus acerbior in dies fames vexabat Civitatem. Accessit quod Colonellus Moschorum Rönne cellam penuariam perlustrari, et modica parte nostrorum precibus reservata, reliquum alimentorum claudi, et suo sigillo apposito obsignari jussit. Nostri proinde rei domestica inopia ac fame compulsi, Moschis ac foederatis annuentibus h[illegible] quadraginta urbe excesserunt, ac in varia dilapsi rura sunt. Quantum incommodorum rigidissimo frigore, ac niveis aggeribus oppleto pedestri itinere perpessi sunt, pronum est conjicere. Octo praeterea, qui antea ad sacram expeditionem in varias paraetias profecti sunt, subsistere in iisdem debuerunt. Interea dum nostri è Collegio emigrant, dissidentes in catholica fide, à foederatis, si urbem expugnassent, multum sibi metuentes ad collegium nostrum in noctem praecipue facultatem demigrandi postularunt. Postulatis ipsorum tanta humanitate delatum est, ut eam ipsi maximis tum laudibus praedicarent et grato deinceps animo in multis occasionibus fuerint prosecuti.

Februarius.

P. Paulus Justrzembowski solemnem quatuor Votorum Professionem die lustrata post celeste puerperium Virgini sacro coram R. P. Michaële Orlowski Rectore Collegii fecerat. Nostri, qui mense elapso è Collegio excesserunt, a die Octava Februarii coeperunt redire.

Martius.

Novus Praeses Provinciae et Collegii.

Die quinta Mensis Martii R. P. Adamus Chrzanowski Praefecturam Provinciae, quam prope quiennium cum summa laude gesserat R. P. Michaëli Orlowski Rectori Collegii nostri tradidit. Ab eo vicissim regimen Collegii traditum susceperat. Diem duorum Praesidum inaugurationi laetissimum immatura mors Carissimi Joannis Wichert Scholastici approbati Theologiae anno secundo dantis operam funestavit. Juvenis hic ad omnia summa natus non solum ab acri ingenio, pietate in Deum, sed etiam laborum patientia laudem est summam consecutus, dum multa in laudem Societatis ad usum juvenum Collegii Nobilium, praesertim autem grammaticam Germanicam perficere cogitaret, in ipso aetatis flore prius extinctus est, quam suorum laborum partum edere in lucem potuisset.

Mors Scholastici Theologi Wichert.

Aprilis.

Missiones Sacrae

Magna Sociorum manus ad sacros Resurgentis Christi dies in expeditionem sacram educta est. Bini singulas paraetias excolendas susceperunt, verba ad populum faciebant, et pueris Christianae doctrinae rudimenta explicabant, aures enarrantibus peccata sua non poenitenda sane opera duarum hebdomadarum spatio dabant.

Majus.

Mors Cariss[imi] Josephi Walentyn

Carissimus Josephus Walentyn Coadjutor temporalis formatus omnibus morientium praesidiis comparatus è vita discessit die 1ma Maji, qui e triginta sex annis, quos in religione exegit, amplius viginti rei domesticae utiliter impendit ruri nostro Siekierki, ubi templo à fundamentis extructo ac ornato ad omnem pietatem et divinum cultum rusticis nostris praeibat. quos praeterea simplicitate cordis, mansuetudine spiritus et moderatione animi facile et suaviter in officio continebat. Hinc factum est, ut tenui victu eoque vulgari contentus praediorum reditus solerter provideret, eosque omnes ad Collegii utilitatem fideliter refunderet. nihil sibi sub cujuspiam industriae praetextu reservans praeter fervens religiosae perfectionis

studium, amoremque laboris ac paupertatis.

Ejusdem mensis die 18va Maji suprema fuit P. Andreae Malczewski Professi quatuor Votorum. Pater hic illustribus clarus natalibus splendidiorem longe gloriam à virtute et laboribus consecutus est. Complures annos in diversis collegiis Oratoris sacri munus egit. reliquum fractae laboribus vitae in pagis nostris traduxit, in quibus tanto animarum juvandarum ardore exflagrabat, ut nulla decrepitae aetatis, nulla fractarum virium ratione habita vicinos circum pagos peragraret passim, et rudibus pueris jam Christianae doctrinae rudimenta explicaret, jam peccata sua enarrantibus indefesso studio aures daret. Obiit supremum diem rure nostro Jeziorki omnibus morientium praesidiis munitus corpus Posnaniam deductum in sepulchrum Patrum illatum est.

Junius.

Instauratione Votorum ac Spiritus, nec non disceptationibus Scholasticis celebris est. Vota enim nostri die Angelico juveni Aloysio sacro instaurarunt. Jucundumque erat erat in publica Lycei aula disputationibus tam variis tamque accuratis interesse, disceptabant de natura arcanis Philosophi. disceptationes Theologicas tum Scholasticae tum Controversae publicè tam multi expediverunt, ut prope totum mensem disputationes traherentur.

Julius.

Examen nostrorum Theologorum qui sacris erant initiandi in praesentia Per-illustris Matthy Canonici Posnaniensis.

Cum novus Praeses Collegii approbationem nostrorum, qui confitentibus pro Sacro Tribunali aures darent, postularet, libenti tum quidem animo impertitam est consecutus, Caeterum cum expleto Theologiae triennio sacris nostri initiandi fuerant, denuntiatum nobis est, hanc expressam esse Episcopi Posnaniensis voluntatem ut sacris initiandi praesente quopiam Dioeceseos examinatore ex Theologia morali periculum doctrinae facerent, parendum tam expressae Antistitis nostri voluntati tempus ipsum usque adeo rebus nostris infectum persuadebat. Ergo invitato ad Collegium et praesente Perillustri Ludovico Matthy Canonico Posnaniensi, qui è nostris sacerdotio inaugurandi erant, nostris Theologiae Professoribus quaestiones proponentibus illi in Theologia eruditionis rationem cum laude reddiderunt. Tam promptâ ad nutum Antistitis obedientiâ, id demum effectum est, ut nostri facillimo negotio et sacris initiati sint, et ad exsolvendos vinculis peccatorum reos in perpetuum deinde approbati. et inusitata examinis illius forma prima tum et ultima fuerit. quippe manifesto constitit, Antistitem non doctrinae nostrae quam potius demissi et subjecti animi periculum facere voluisse, illoque abunde comprobato nil deinde simile praecepturum.

Augustus et September.

Pridie Calendas Septembres solito more Scholae discipulis patuerunt. Patre Rhetorices Professore Apologiam pro Scholis publicis perorante. Aderant nobilissimi et numerosi hospites, praecipue Cathedrae Posnaniensis Canonici cum Illustrissimo Walknowski Vicario Episcopi Posnaniensis. Argumentum Orationis erat bipartitum. È scholis publicis nonnisi optimos in omni literatura viros evadere facile posse. hoc primum: cur nulli saepenumero evadant, id privatae partim parentum, partim filiorum culpae adscribi debere. hoc alterum.

October.

Mense hoc Moschi Urbe Posnania quin toto adeo Palatinatu Varsaviam evocati excesserunt. quanta ipsorum abitus laetitiâ compleverit urbem, pronum est omnibus conjicere. levari à ruina populus videbatur, et quasi praeteritarum calamitatum oblitus, fiducia melioris fortunae recreari, ecce autem calamitas calamitate truditur. Nondum Moschi Posnaniâ excesserunt. Borussi in abeuntium succedunt locum. Quod gaudium quanta tristitia commutatum est! ita enim veteris calamitatis et experientiae admonitione persuasi omnes erant, plura sibi ab his novis hospitibus, quam a Moschis timeri incommoda oportere. nec certe opinionem publicam eventus fefellerat. Vix enim è vicinis

oppidis Borussorum aliqui intulerant se urbem, tum subito fatale publicæ
calamitatis quasi signum quodpiam sustulerunt. Et primo quidem redin
quenum à Moschis frumentum, ut majore deinde pretio venderet, redempto-
rus Borussorum Subcenturio justô pretio laborabat. ergo cives, mercatores
et nostros adextremum homines confestim ad se vocat. peculium commodan-
dum posuit, se ad assem omnia redditurum pollicetur, omnibus injuria tempo
rum fraudulentam petitionem eludentibus, ferox ille gravius minatur malum,
nisi injunctam pecuniam omnes tamdiu sub custodia detinendos. Et certè
Pater Procurator Collegii cum aliis una civibus aliquanto tempore de-
tentus erat, donec a Colonello Moschorum Posnaniæ adhuc præsente et
rei atrocitatem dedignante liberatus evaserit. Primum istud malorum
initium aliæ ex aliis atrociores longè calamitates sunt consecutæ. Paucis
post diebus Generalis Borussorum Beling ut primum Posnaniam venit,
enormem siliginis et avenæ copiam singulis Palatinatûs injungit pagis.
quæ cum omni deprecationis spe adempta undique adveheretur in Ur-
bem. tanta illius ubertas extitit, ut non solum in permultas potiorum
~~civium~~ Civium domos, in curiam, sed in complura quoque templa infun-
di debuerit. Tanta frumenti copia obrutis Theologiæ, Philosophiæ, Poeseos,
Grammatices et infimæ classibus nostri et externi discipuli lectionibus scho
lasticis in Collegio interesse debuerunt. Et infimæ quidem Classis discipuli
in Collegii valetudinario, Grammatices in Congregatione Minima, Poeseos
in theatrali aulâ. superiores verò classes tum in Communitus, tum in
privatis Patrum, prout major aut minor Discentium numerus exigebat
cubiculis lectiones cuique Scholæ proprias addiscebant.

November.

Calamitates Collegii.

Hoc iterum mense alia exalia calamitas trahebatur. pedestres Borussorum
copiæ Posnaniam venerant, illis non solùm hospitio excipiendis sed præter-
ea perquàm commodè alendis tota urbana ac religiosæ domus pre-
mebantur. et nostrum quidem Collegium hoc vexabatur acerbius, quod
ex pagi nostri magnam frumenti copiam nullo accepto pretio ex
tradere, sed ipsum quoque complures Borussos milites alere
vit coactum. augebat præterea calamitatem, quod unus idemque
pagus noster a diversis et loco dissitis militum stationibus a-
cerbissima frumenti et tributorum exactione premebatur. Inde
fiebat, ut frumentorum exportatione et evectu longisque itineri
bus omnes res domestica perderetur. Præterea nova exigendæ
pecuniæ speciosa ratio quærebatur continuo. Fossis nempe et
vallô urbem communire, et propugnacula circumquaque erigere
Borussi occeperunt. Opus hoc parum utilitatis, nihil fere necessi-
tatis habere omnibus videbatur. (cum insertim quod uno die egerunt,
altero destruebant,) nec nisi ad complendas pagorum Urbis, et Colle-
gii perniciem spectare putabatur. Dandi nempe in singulos menses
complures operarii erant, atque in eorum quotidianum cibum pecu-
nia injuncta eroganda, cujus Borussi majore parte in alios conver-
sa usus, aliquot adulterinis grossis contentos esse operarios voluerunt.

December.

Neque hic quoque mensis à frumenti et pecuniæ exactione vacavit. Pu-
blica quippe calamitas, quæ à primo Borussorum adventu emanavit torrentis
instar irrequieto defluebat cursu, et magis auctius augebatur. Generalis Bo-
russorum Beling ingentem Siliginis copiam pendendam sibi nostro Collegio
imperavit, quod imperium quantas deinde calamitates, et ultimam Collegii
ruinam procreavit, in sequentem mensem copiosius describendum reserva
mus. Hoc mense in festo Nativitatis Xti die 26 multi e nostris ad
sacras expeditiones, missiones vocant, expediti sunt.

Suppressio Instituti Societatis Jesu

Anno 1759. prædicta Societas e Regno Lusitaniæ pulsa,
Regnante tunc in Lusitania Petro III. —
Anno 1762. Parisijs, Anno vero 1764 in toto Regno Galliæ
Collegia Jesuitarum clausa, educatio juventutis, et bona ablata.
Anno 1766. e Regno Hispaniæ in Italiam exportati
Anno demum 1773. Clemens XIV. edidit Bullam Suppres-
sionis — In Regno Poloniæ Bona eorum Educationi Juven-
tutis addicta sunt — In Imperio Rossiaco Catharina II.
Imperatrix eos sustinuit in Alba Russia; Siestrzencewicz
Visitator Apostolicus primum, dein Archiepiscopus Mohilo
viensis iisdem Novitios Polocij habere indulsit; Pi-
us VII. demum eosdem approbavit Anno 1801. ac Gene-
ralem suum habere permisit, in Regno solum Rossiaco

F I N I S.

+12

II

Blasphemi executio A 1744.
Altercatio de accip. bened 1702.
Ordines collati in Idx. 1609. Junius.



